





1
6
717














OPVS

APOLOG

Q

FR. IOANNES ANNIVS VITER… SIS

Ord. Prædicatorum à … orum …

quorum calumnijs vind…

PER

F.THOMAM MAZZA

FOROLIVIENSEM.

Et post Italicam Euulgationem

A

F. IOANNE BAPTISTA ECTOREO

VENETO

Eiusdem Ordinis latinitate donatum.

ET

ILLVSTRISSIMO D.

D. AVGVSTINO

CORREGGIO

PATRITIO VENETO

Dicatum.





RONCHI,

Apud Antonium Georgium Franch. *Superiorum permissu.*



ILLVSTRISSIMO

D. AVGVSTINO
CORREGGIO
PATRITIO VENETO

Mæcenati suo munificentissimo

R. IO: BAPTISTA ECTOREVS VENETVS
Ord. Præd.

S. P. D.



ID vnum altiùs mihi animo insedit, Illustrissime Domine, dum sępiùs ingentia à tua in me benignitate collata beneficia reuoluerem, vt publicum, nec

leuiter

um tibi darem grati-
.imonium, cum per
per dignitatem tuam
ces rependere non liceret.
a, s n... ibi compertum, ali-
ter in l... vtique ipſa meridiana cę-
cutirem, quod peruetuſto Maiorum
tuorum ſplendori, ſpectatiſsimæ fa-
miliæ tuæ nobilitati, præclariſsimis
animi tui dotibus paria munera im-
pendere non valerem; nimis namque
erat eruditionis meę curta ſupplex,
vt tam altum, tam nobile, adeòque
permagnificum coloſſum conueſti-
rem. At ne quoque ab Auorum
tuorum tumulis laudes veſtigare vi-
dear, priora ſæcula, in quibus, &
cęlitus miſſa munera Correggiorum
ſanguinem illuſtrarunt, euoluere, li-
bens prætereo; in te namque ſolo om-
nem encomiorum materiem cumu-

latiori

latiori vbertate reperio. Et [illegible]
si par meritis stilus adesset,
vtique de virtutibus tuis la[illegible]
effunderem: si calamus flores pr
meret, coronas contexerem. Ve[illegible]m
ne plumbo gemmas intersera m, in-
sitamque animi tui modestiam fati-
gem, silentio premenda duxi quæ
plurima in te extollenda suspicio.
Iugis enim ille tuus in Cęlites cultus,
prolixus in Sacrorum Ministros fa-
uor, in opulenti fortuna ciuilis animi
moderatio, generosa nec elata indo-
les, profusa in egentes charitas, ma-
ximè quos occulta premit inopia, sua-
uissima morum comitas, verborum
affabilitas, vt omnes in tui dilectio-
nem trahas, te ab omnibus laudan-
dum exhibent, & super omnem lau-
dationem extollunt. At quorsum
pergo? volare contendo, cum sim

de

is Solis intuitum affecto, cum
aliget. Vela contraho, ne
... exundantibus obrutus va-
o in pelago mergar. Id tantum precor, vt hanc meam, qualiscumque sit ipsa, Apologetici Operis interpraetationem, quam in tesseram gratitudinis, & obsequij pignus offero; ipsa, qua fulges animi benignitate amplectaris, qua & meipsum semper excepisti. Eò tandem vota mea collimant, vt post Nestoreos annos, ęternitatem fęlicissimam consequaris. Vale.

Si

IV



SIá conuitijs tandem, vt pa[...] calumnijs, probrosisque veli[...]um scommatibus contra F. Io[...]m Viterbiensem Ordinis Præd[...]um tot hostes infensi, & calum[...]res acerrimi calamum abstinuisse[...] vtiquè Apologetico hocce discu[...]u, ad quem fateor, penè inuitus trah[...]or, nunquam pro Manibus eiusdem Compro-fessoris mei propugnator in arenam descendere voluissem. Verùm tanti Auctoris sortem miseratus iniquam, iniustè in eum eiaculata tela retundere, & iniquorum venenatos ictus refellere, pro viribus decreui. Sicque veritas cū magis effulgeat, iniquitatem sibi mentiri demonstrem, & tam eximij viri innocentiam tot blateronum iniurijs conspurcatam vindicem. Mirúm equidem, Humanissime Lector, quám malo omine suas Annius lucubrationes ediderit; cum enim ipse immensis vigiliarum laboribus tot antiquorum monumēta è latebris, immò ex tenebris obliuionis eruta in commune studiosorum commodum, & profectum donasset, hinc illi tot malorum myriades euenerint: quapropter si fallaci Mathesi vlla fides, dicendum profectò, infęlicissimo sub horoscopo à genitrice Auctorem enixum.

distat enim qua

Sidera te excipiant modo primos incipientem Iuuen. Sat. 7.

Edere vagitus, & adhuc à matre rubentem.

Nedum enim superstitem, sed & post funus, immò & iam hominum memoriæ penè extinctum, iniquo fato, iniquissimis censuris semper expositum vidimus. Vtiquè Claudianus dixerat

Liuor post fata quiescit.

Annio attamen nostro tali benigna quiete nunquam datum est frui; adhuc enim post centum, & septuaginta euolutos à funere annos, acerbiùs recruduit liuor, & rabidioris sæuitię perplures, innouata pugna, stylum in ipsum intorquent. Ad Augustum sanè cecinit Horatius. Horat. lib. 2. ep. 1.

Diram qui contudit hydram

Notaquè fatali portenta labore subegit:

Comperit inuidiam supremo fine domari.

At si Annio leuare caput liceret e tumulo, vtique inspice-

rei[illegible]icum Alemenę filio post obitum commune solatiũ, imm[illegible]o viuere desijt, tunc truculentior in eum surrexit
Ouid. de Pont. eleg. vlt. in fin. inu[illegible]ocum habuit in cęteris Sulmonensis Vatis effatum

Non solet ingenijs summa nocere dies:
Famaque post cineres maior venit.

V[illegible]n Auctori nostro versa vice plùs nomini quàm vitæ nocu[illegible]ntum mors intulit, & pro nænijs laudatorijs vituperationes, & opprobria abbundè recepit. Gloriabatur olim Martialis id sibi a[illegible]hùc superstiti concessum splendoris, & gloriæ, quod non nisi post cineres à cęteris assecutum: hinc de se (an sine iactantia, iudicent alij) cecinit

Martialis. *Hic est, quem legis, ille, quem requiris*
Toto notus in orbe Martialis
Argutis epigrammata libellis.
Cui, Lector studiose, quod dedisti
Viuenti decus, atque sentienti,
Rari post cineres habent Poetæ.

Immò alio in loco adeò posthumam paruipendit laudem, vt
Lib. 5. epig. procestetur, se potiùs renuere Parnassicam laurum, si funebri tantùm cupresso complicata virescit.

Vos à nostri non festinate libelli
Si post fata venit gloria, non propero.

Quàm longè dispar Antiquarij nostri fatum, coaceruato enim agmine maximè sęcularis eruditionis Professores eundem conuitijs, contumelijs, omnique turgidiori maledictorum congerie dehonestarunt; ab ijsdem diris confossus, quibus prodesse studuit, vnà cum Prudentio sustinens

Liuori substerni, & sustentare procellas
Inuidiæ, mergiquè fretis spumantibus iræ.

Vix publici iuris per Typographos fecerat Annius præclarum illud, ac scelestioribus antiquitatum eruditionibus cumulatissimè refertum volumen, cum statim Volaterranus, & Sabellicus facto impetu theonino dente altiùs infixo lethaliter vulnerarunt, vt sic in ipso orientis limine haberet occasum, & ante lucem tumulatum iaceret in tenebris: datis enim ad cœlum vsque clamoribus perstrepuere, illud nil aliud esse quam mendaciorum struem, figmentorum colluuiem, illegitimum, suppositititum, ac spurium: quartum iam attigerat annum, ex quo e gremio genitoris emissus liber à pluribus euoluebatur, cum Patre orbatus pupillorum incommoda vtique est perpes-

sus,

sus, & damna; omnibus namque impunè peruium ludibrium, & facilè vltimum totius dehonestamenti propudium deuenit; & ab illis quoque fędioribus contumelijs conspurcatus ad ima detruditur, qui potius vmbonem obtendere, & omni adhibito nisu eleuare debuissent. Melchior Cano, Latinus Latinius, eiusdem professionis ille, Patriæ iste, qui tantis humanitatis nexibus deuincti suppetias dare, & contra exterorum blaterantium tela parmam extendere tenebantur, atrocioribus confodiunt sagittis, rabidiori dente proscindunt, ac dilaniant.

Posthumum infortunium præuidit, sentitque adhuc viuens quàm rabidis vngulis, ac dente ab hienis, euiscerandus esset; hinc in sua præfatione impauida voce hostes vocauit ad classicum. *Si quis obijcere cupit, non expectet id agere cum mortuus fuero, quià cum laruis, & vmbris tunc certamen inibit, quod est timidi simul, ignorantis, atque inuidi ingenij.* Mihi autem in aure nunc insonant emissæ cum Ouidio e tumulo ipsius voces contra vellicantes se mortuum, cineribusque insultantes suis.

Non sum qui fueram, quid inanem proteris vmbram?
Quid cinerem saxis, bustaque nostra petis?
Quid simulacra ferox dictis incendis amaris?
Parce precor Manes sollicitare meos.

in demortui leonis ore libero volatu excurrunt, insusurrant, & aculeos maxillis infigunt vespæs; nec non

Hector erat tunc, cum bello certabat, & idem
Tractus ab Aemonio non erat Hector equo.

deque sincera, candida, nec vllo modo fucata Auctoris veritate securus contra insultantes repetam

Hunc quoque, qui fuerat quondam, non esse memento
Ex illo superant hæc simulacra viro.
Ergo summotum mundo proscindere, liuor
Desine, neù cineres sparge cruente suos.

Verum inuictissimi animi Scriptor consimilium blateronum, ac nugarum venditorum laudes, vel conuitia æquè aspernabatur; hinc in præfatione libri Etruscæ Cronographiæ ait. *Non inuidorum, nec blateronum, quorum nostra atate maxima est multitudo, neque laudem, neque detractiones timemus.* Secùs autem si á doctis, & ingenuis censuræ venissent, & monita. (*Cęterum, sicut Cicerone teste, vera Philosophia paucis est contenta iudicibus, eruditissimis tamen, ità & cuncta nostra de antiquitatibus opera*) Crescentibus igitur annis, immò singulis ferè

 diebus

diebus detractores in Annium augebantur, & hostes. Nullum prodibat volumen, quod maledicta, iurgia, iniurias in Antiquarium Viterbiensem secùm pariter non deferret. At euolutis binis iam ferè sæculis, & fortè exaturata rabie vna cum Auctoris nomine aduersariorum dicacitates, & improperia tumulata iacebant. Diutina vellicatione lassati obmutuerant Zoili, & Auctor ipse vltimæ datus obliuioni, recentioribus eruditis, penè omninò ignotus, in puluere, & carie inter Musæorum obsoleta neglectus tabescebat, tineis, ac blattis vilis cibus, & esca. Quod si fortè externa eius voluminis inscriptio alicuius se se offerebat obtutui, decurso tantummodo titulo, quæ intus erant exarata minimè euoluebantur. Cum hac ipsa nostra scripturientium feracissima tempestate, en ab Aquilonaribus regionibus, vndè barathrum inexplebili hiatu in Catholicam veritatem venena incessanter euomit, iuxta Propheticum illud: *Ab Aquilone pandetur omne malum*. A non multis annis terribile fulmen iterùm quiescentis Auctoris tumulum repercussit, & exestuanti rabie noua ingesta improperiorum face antiquum ignem succendit; fętidoque maledictorum sulphure improba malignitate Annium iterùm dehonestare contendit.

Hic est ille Gherardus Vossius Idelbergensis nostri sæculi notissimus sctiptor, cui (ne quid debitæ laudis demam) nihil deest, quin inter omnigenæ eruditionis viros numeremus: quem, nisi diris deuouendæ hæresum maculæ turpissimè fędarent, libros equidem suos nitidissima specula dicerem, in quibus Antiquorum omnium imperuiæ, ac pęnitiores eruditiones fulgentissimo eloquentiæ lumine repręsentantur. Is binis datis libris de Historicis Gręcis, & Latinis, quos alioquin cedro dignos censeo, in locis fermè decem, immò quoties, inuita etiam, & reluctante Mineruа, mordendi ansa ingeritur, toties in Annium truculentiori insolentia calamum stringit; nec minùs, ac si id vnum sibi præscripsisset, vt illum exagitaret, pessundaret; qnod quidem Erasmanis Belgis, atque Batauis familiare semper extitit, vestigijs inhærentes eorumdem Prothoducis, cui benè congruit illud Martialis in sexto contra Calliodorum:

Martial. lib. 6. epig. 45.

Omnibus irridet, dicteria dicit in omnes,
Sic se Lectori posse placere putat.

Quod verò fastidiosior fuerit in Annium, vt sua omnia apocripha, nullius fidei, immò certissima scientia falsò Au-

ctoribus, quos in fronte opusculorum recenset, notauerit, id quodam connaturali suo genio potest attribui, quod semper Antiquorum volumina in dubium reuocauerit; adeoque in hoc effræni, immò sacrilego ausu progressus est, vt symbolum quoque Apostolorum, Athanasij, & illud Nicæni simul, & Constantinopolitani Concilij falsitatis insimulauerit; farcinato super hoc à triginta annis volumine, quo molitur ostendere, neque à Patribus in Synodis iam laudatis formulas illas fidei vnquam confectas. Igitur si in viridi quid in arido? Quod ergò Annij fidem labefactare sit conatus nil mirum, cum & celestem, diuinamque veritati vniuersali Catholicorum consensu tot sæculorum curriculo firmissimè receptam temerare non erubuerit. At verò quod eidem tam infestè iniurium se præbeat: quod non nisi fędo aliquo scommate eum vnquam appellet, quod semper dicterijs, & irrisionibus turpissimè traducat, equidem non poterit non esse mirum quibus notum est quam honorificè habeat cęteros omnes, quos recenset auctores; ac proindè vtroque pede mecum in sententiam ibit, quod peculiaris hæc in Annium Vossiani stomachi commotio, non nisi ab infausto, ac auerso Annij sidere, originem ducat; eruditissimum omnium huius sæculi stylum contra ipsum acerbissimè intorquente.

Vt probra accedant fatalibus hæc quoque damnis.

Vossius igitur tàm importunè infestus, tàm iniquè in suis editis libris contra Annium iniurius, cum falsarium, mendacem, impostorem appellans Auctorum, quos e tot sæculorum tenebris erutos, euulgauit, me veluti ex profundiori somno excitauit, vt Fratris mei immeritò lacessiti vindicem constituerem: immò si per religiosam moderationem par pari licuisset referre, vtique non apologia, sed satyra fuisset instruenda: & obtestor parum abfuit, quin calamum instructissimè acuerem, adeò incaluit cor meum intra me, & exarsit ignis efferuescentis zeli, cum tot iniurijs traductum, imposturis dehonestatum Fratrem meum conspicerem. Siccinè bone Deus! tot scommata, tot iniuriæ, sarcasmi, sannæ, ludibria, tot denique opprobria in Fratrem meum eiaculantur impunè?

Hac ego non credam Venusina digna lucerna? Ex Ianuē. Saty. pr.
Hos ego non agitem? Stulta est clementia, cum tot
Occurrant Zoili, peritura parcere charta.

Et si tamen tot stimulis inuitatus, vt acriori stylo contra

hostes

hostes insultem, ac talione eosdem repercutere sit concessum Lucilij, & Horatij calamo

Et hoc libeat potius decurrere campo

Per quem magnus equos Auruncæ flexit alumnus.

Quid tamen mihi per religionem, quam professus sum, aptiùs conueniat, cum optimè nouerim, mitiorem stylum delegi, auersaque à papyro acuminis acie, ea tantummodò parte, per quam errata expungantur, vti decreui, omnesque ingenij mei conatus sint parmam opponere ad defensam, non intentare vulnera ad offensam. Quod si fortè ex impetu excitatæ choleræ tale aliquid duriusculi sermonis exciderit, id sic Lectores accipere velim, vt non efferatæ maledicentiæ pruriginem existiment, sed meminerint, illud mihi quoque sæpe contigisse

Horat. *Vt neque chorda sonum reddit, quem vult manus, & mens,*

Poscentemque grauem sapè remittit acutum.

Sic iniustè lacessiti Auctoris calamus asperè notat in opere, quæ leniter exarare mens ante fuerat, nec semper intentionis genium stylus secundat. Apologeticum igitur non satyricum erit opusculum; ideoque à prudente, eoque candido Lectore de substantia n n de phrasi æquum iudicium exigo. Libret nec ne rationes, quibus Aduersariorum calumnias depello, rectè concludant, si conuincant; minimè verò si venustis Poetarum flosculis, si Rethorum lenocinijs, Oratorumque coloribus opusculum conuestierim, vel si quemquam ex his, quos recenseo, Auctoribus, perbelle, aut nimis acritèr laudauerim, vel perstrinxerim. Reducat ad trutinam, & æquo lance secum reuoluat, nec ne Viuis, Vossij, Cluuerij, cęterorumque, contra quos in hoc opere bellum indico, obiectis satisfecerim, eaque abbundè refellerim, nō verò si pari cum eis eruditione meas lucubrationes exornauerim. Etenim cum clientulo meo Annio ingenuè, vltròque fateor, quod (*Cuilibet cedo in copia, & ornatu dicendi; & in perquisita veritate illis solis palmam concedo, & eos censores sequor, qui contrà me produxerint non verba, sed argumenta*) At maximè cedo magno illi celeberrimo, & incomparabili viro, vndequaque eloquentissimo, ac eruditionibus refertissimo Vossio, quem veriùs nostri sæculi Phænicem dixissem, ni Sectariorum picè infectus faciliùs coruum exprimeret, cum quo tamen maximè pro Annio certamen inire contendo, & classicum cano, idque præmitto.

Nam

Nam vereor ne me nimiùm confidere quisquam
Arguat, ingenijque putet luctamen inire,
Ac conferre pedem tanto me Rethore posse. Pruden. contra Simac. lib. I.

Non sum tam audax, nec adeò effrons, modestissimo cum Prudentio loquor, idemque repeto, quod ille celeberrimo cum Oratore tota Vrbe spectantissimo de eloquentia certaturus, dixerat. Illud vnum intendo forti, & ineluctabili animo, vtcumque potero, pro veritate dimicare, & Fratris mei lacessitam innocentiam defendere

Illius, & rectum seruare à vulnere pectus,
Oppositaque volans iaculum depellere parma.

Non equidem me fugit non cum vno tantùm, vel paucis certamen esse ineundum, sed spisso cum agmine hostium contendendum, immò ferè cum quotquot post ipsum volumina edidere; nihilominùs pugnam non detrecto, tanta enim securitate ab omnipotenti veritate profundor, quod nec si vnà simul omnium scriptorum agmen contra me staret, nihil extimescerem. Arduum opus aggredior, at magis spes victoriæ impellit, quàm retrahat dubium; eo gloriosior quo difficilior est palma tryumphi: Docet me Ouidius:

Ardua per praceps gloria vadit iter.

Hinc virescit robur, mihique cum Propertio vires adiungo Propert. eglog. vlt.

Magnum iter ascendo, sed dat mihi gloria vires.
Non iuuat ex facili lecta corona iugo

Nimio rubore suffunderer si Meuanius Vates generositatis palmam abriperet; vbi de magnanimitate sit contentio cedere detrecto; faciles tryumphos, peruiasque coronas minimè curo.

Apologetici ergo huiùs opusculi scopus erit ostendere Annium minimè fuisse impostorem, nec falsò antiquisimis illis Scriptoribus attribuisse, quos edidit, libellos, sicut de omnibus acerrimè contendit Vosius, & de aliquibus eum Volaterranus, Sabellicus, Viues, Melchior Cano, Antonius Posseuinus, Latinus Latinius, alijque perplures, nec ignobilis notæ auctores insimulant. Contra hos omnes, sola mecum, veritate, in arenam descendo, & cum Propertio

Iam feror in pugna, & modò cornua sumpsi.

Verùm quia complures sunt libri editi ab Annio, & ab Aduersarijs reprobati, quos omnes, & singulos à calumnijs vindicabimus, eos omnes expeditiori vocabulo Annianos dicemus,

mus. Vt verò in his apertiùs, & faciliùs procedamus, duplicem conficiemus Elenchum, in quorum primo Latinos Auctores, in secundo Græcos, & Barbaros ordinabimus; hinc sigillatim de vnoquoque veritatem discutiemus, simul & ostẽdemus quàm iniustè in nostrum Viterbiensem Antiquarium, idque etiam incautè debacchati sint hucusque Auctores.

Series librorum, quos euulgauit Annius, & suis commentarijs illustrauit. §. 1.

IN primis igitur publici iuris fecit Annius noster ex Latinis Caium Sempronium, Portium Catonem, Fabium Pictorem, & Antoninum Pium; secundam quarti libri eclogam Propertij, in qua fabula Vertumni disseritur, non recenseo, quàm tamen edidit, & commentarijs exornauit idemet Annius: adeò enim patenter, ac dilucidè Poetæ Auctoris sui stylum, ac phrasim præsefert, vt proteruiæ, ac liuori locum ademerit. Cum igitur in eam hostes non desæuiant, nihil pro defensa addendum censeo.

Secundo loco recensentur Archilocus Lesbius, Xenophon Atheniensis, Metasthenes Persa, Manethon Ægyptius, Philo Hæbreus, & Berosus Chaldæus. Hunc in calce seposui, qui tamen, si temporum decursum attendimus, inter primos fuisset recensendus; verùm quia pro eo longiùs est a nobis dissertandum quàm pro cęteris omnibus, ideò, vt dilucidiori distinctione procedamus, primùm ab oppositionibus, quæ contra reliquos intenduntur, expediti, tam longa discursus intercapedine sublata, Berosum ipsum Annianum postremò vindicabimus.

Compendium vitæ Annij. §. 2.

SIC igitur Auctoribus, quos ab Annio confictos contendunt, sua cuiusque in classe coniectis, præfationis loco vitæ Auctoris Synopsim præponendam duxi, vt hinc candidus quisque, ac prudens Lector eliciat, quàm parum rectæ sit consentaneum rationi, virum summæ probitatis, religionis, ac scientiæ temerario ausu veritati, quæ Deus ipse est, adeò iniurium

se præstitisse, simul atque totum litterarium orbem tam criminosa falsatione illusisse.

Frater Ioannes Annius ex antiqua, eaque nobili familia Annia, quæ & Nania Viterbij Anno salutis millesimo quadragintesimo trigesimo secundo ortus est. Auitæ Progenitorum nobilitati, quos surculos e germine prodijsse constat Illustrissimæ Familiæ Anniæ Veræ, tota Hetruria celeberrimę, cum ex ea bini Romanorum Imperatores prodierint, Antoninus Verus, & Comodus ille, à quo tot in Vniuersum Orbem fluxerunt incomoda; nobilissimæ quæque pariter vniebantur animi dotes, quę se se mutuò osculantes amplexu eumdem ab infantia cumulatissimè exornarunt. Is iam optimæ spei, viuidioris ingenij, ac solidioris pietatis adolescens in Prædicatorum familiam ingenti omnium gaudio est coaptatus. Studijs sacrarum litterarum totus incumbens mirum in modum profecit; suoque peculiari genio sæcularium antiquitatum monumenta quam sedula diligentia peruoluens, quæ honesta cum sint virum Religiosum minimè dedecent; in hisque singularem sibi eruditionem comparauit. Quià verò ex animi benignitate omnibus prodesse summoperè delectabatur nullis vnquam parcens laboribus plura in vtroque litterarum genere scripsit volumina. Primùm commentaria in plures sacræ paginę libros, at maximè comendantur quæstiones in Apocalypsim, quas Sixto Quarto Pontifici Maximo dicauit, easque cunctis Christiani Orbis Principibus dono misit, solidè in his demonstrans Mahomettem fuisse Antichristum, mysticè præfiguratum in bestia illa cap. 13. Apocal. In sæcularibus verò conscripsit commentaria in omnes supra recensitos Auctores: Historiam quoque contexuit de Antiquitatibus, & præclarè gestis Etruscorum. Insuper quadraginta quęstiones de rebus Etrurię Vlteriùs Librum quattuor institutionum de hac eadem materia: Aliud quoque volumen Etruscæ, & Italicæ Cronographiæ: Aliud de dignitate Magistri Sacri Palatij: Aliud de antiquis temporibus, ac de viginti quattuor primis Hyspaniæ Regibus: Aliud de correctione typographica Cronichorum, nouamque Cronographiā cōposuit contra euulgatā Cęsariensis, quam post ipsum pluribus scatere erroribus Iosephus Scaliger clarissimè ostendit in suis notis, & animaduersionibus in eam factis. Alia plura extitisse tanti viri opera Auctores recensent, quæ temporum iniuria, hominumque negligentia maiori ex parte desiderantur

uerantur, nec adhùc satis compertum est quo nam fato deciderint. Rumor tamen peruasit quod cum Auctor Romæ obijsset, Bernardus Carauaial Hyspanus Cardinalis S. Crucis, cui intimè familiaris erat Annius, quæcunque illius scripta in vnum collecta secum in Hyspaniam detulerit, ibique in aliquo Musæo paucis nota delitescant. Oh quàm ingens beneficium, à me votis omnibus expetitum, si quis diligenti vestigatione insudaret, vt e tenebris eruta in lucem tandem prodirent. Hisce litterarum dotibus, quibus perplures sui Ordinis condecorauit cathedras, pulcherrimo nexu etiam iungebantur quæ ad praxim diriguntur morales virtutes, quapropter pluribus in eiusdem instituti Cœnobijs summo omnium plausu, ac subditorum profectu præfuit. Tantis igitur exornatus virtutibus cunctis se admirabilem reddidit, omniumque in sui amorem allicieb at affectus, Procerumque fauores: nec id mehercle leuius est suarum virtutum argumentum. Venusinus enim Vates cecinit

Principibus placuisse viris non vltima laus est,
Nàm cuiuis homini haud contigit adire Corinthum.

A Cardinali Paulo Fregosio summa existimatione, ac beneuolentia semper est habitus, eoque in Theologum, & à Consilijs assumpto difficiliora quæque peregit, & sibi strictissima necessitudine deuinctum socium voluit itineris, quod pro obeundis Ecclesiæ Legationibus susceperat. Plurimùm etiam honoris, & dilectionis eidem tribuerunt Catholici Reges Ferdinandus Aragoniæ, & Isabella Castellæ, quibus mutua beneuolentia, debitoque grati animi obsequio opera, quæ nunc extant, dicauit. Sixtus quoque Pontifex huius nominis quartus, cui quæstiones in Apocalypsim, quas nunc desideramus, sacrauit, pluris fecit. Tandem Alexander Sextus Sacri Palatij Magisterio eum insigniuit, vt ad eminentiorem dignitatem eueheret, at inuida morte sublatus promeritos honores minimè est assequutus. Verùm pro Vaticana illi designata murice, candidissima stola, qua sequentes Agnum amiciuntur, indutus, duplici diademate Doctoris, & Virginis inter beatos cæliter perennitèr iucundatur, Desijt inter mortales viuere immortalis memoriæ vir anno ætatis suæ septuagesimo, Pontificatus Alexandri Sexti decimo, vtriusque verò hierarchiæ Pontificis æterni quingentesimo secundo supra mille: solemni funerum pompa in Ecclesia S. Mariæ super Mineruam tumulatur,

vlatur, superposito marmore honorifica inscriptione inciso, quam cum à longo integri sæculi decursu ferè exesam intellexissent Viterbienses, benemerenti, ac sapientissimo conciui nouam iterùm, ac elegantiorem incidi voluerunt; vt semper viuidior in omnium oculis vigeret tanti viri memoria, qui vitæ sanctimonia, eruditissimo calamo, conspicuis dignitatibus, auitam Familiæ, & Patriæ gloriam plurimùm illustrauit. Talis vita, & obitus Antiquarij nostri Ioannis Viterbiensis, at verè non est mortuus.

Viuit adhùc, complesque vagis sermonibus aures
Gloria fusa viri, quem nec ventura silebunt
Lursta, nec ignota rapiet sub nube vetustas.

Sic parentalia eruditissimo viro, dilectissimo Fratri compendiosis hisce laudibus à candidissimo Nili Cycno mutuatis agere volui, in quibus si fortè plus quàm par erat te destinui, humanissime Lector, veniam impartiri ne dedigneris; tibi enim pro tanta benignitate vices rependam, fontes ipsos innuendo, á quibus quæcunque de Antiquario exarata deprompserim: nempè à Leandro Alberti in sua Italia illustrata: á Sixto Senensi in sua Bibliotheca Sacra: ab Antonio Lusitano in sua Bibliotheca Prædicatorum: a Patre Fontana in Elencho Magistrorum Sacri Palatij: Insuper & ex aliquot M. S., quæ in priuatis Musæis Viterbij asseruantur, sedula opera, humanissimaque benignitate Patris Magistri Fratris Caroli Borali Aretini, Viri sanguinis nobilitate, sacra e suggestu eloquentia, omniumque virtutum ornamento Spectatissimi, Veronam transmissis, nonnulla decerpsi. Ampliori fortè calamo, digniorique certè stylo vita tanti Auctoris fuit cōscripta, maximè à Scriptoribus Viterbiensibus, verùm qui pleniorem notitiam exambit, sua diligenti vestigatione id assecuturum minimè ambigo. Perstrictum hocce compendium ad id, quòd omnibus votis exopto consequendum recto tramite ducit; vt Prudentes silicèt apud se rectè trutinent, ac perpendant, an hæc simul cohæreant: Virum Religiosum, Sacris Altaribus addictum, tanta scientia, omnigena eruditione exornatum, spectatissima dignitate præclarum, minimè erubuisse, petulanti procacitate, meretricia fronte posthabito Cęlituum timore, amandata propriæ conscientiæ irrequieti laniena, hominumque depulso pudore, tot falsationes emittere, tot pro veris insomnia venditare, vniuersumque orbem impudentissimo fig-

 men-

mentorum apparatu illudere, vti hucusque fatali quodam forè omnium errore immeritò insimulatus est. Adeò potens inualuit numerus, & auctoritas eorum, qui sine debita pensiculatione inconsideratè damnarunt. Ab his verò imposterúm immunos fore eos omnes spero, quos non pigebit nedum hanc, quam præmisi veluti vniuersalem, & abstractam(vt cum scholis loquar) rationem, candida peruoluere mente, verum & peculiaria ad obiecta omnia responsa, & solutiones diligenti discussione perpendere non dedignabuntur.

Prima contra Annium calumnia. §. 3.

IN primis igitur contendunt Aduersarij omnes quotquot Annius euulgauerit libros eos suppositios esse, ab ipsomet cōpositos, vtque fraudem conuestisset, in antiquatis membranis, & priscæ ortographiæ caracteribus conscriptos sub collapsi ędificij ruderibus, quod olim insana Gentilium superstitio erexerat, occulto silentio tumulasse, ibique posteà longè alio prætextu effodiens, veluti inopinatò inuentos, prodidisse, quod etiam de quibusdam priscorum temporum lapidibus peregisse obijciunt.

Impostura Latini Latinij Viterbiensis, quod Annius fraudolenter nonnullos lapides sepelierit. §. 4.

VTique fateor pari fraude, similique dolo, quo libros, ità & lapides tumulauit. Antonius Augustini, vt de vno præcipuè lapide falsato fidem astrueret dialogo decimo Antiquitatum Romanarum, simul & Hyspanarum quid sibi Latinus Latinius Viterbiensis narrauerit, quasi ineluctabile Annianæ fraudis argumentum Lectoribus diligentissimè congerit. Ità igitur sibi allocutum refert. Frater Ioannes Annius Viterbiensis Dominicanæ Familiæ, vt Viterbiensibus cariosam illam, quam sæpiùs euulgauerat, antiquitatem suaderet, clam incidi curauit in lapide caracteres quosdam; in quibus legebatur Osiridem Viterbum primum ædificasse, marmor autem ità insculptum quadam sua in vinea, non longè à Ciuitate,

altè effossa humo sepeliuit; indè callida præuentione euulgauit apud ciues, ex quibusdam antiquissimis Scripturis certò sibi constare, quod eo loci reliquiæ diruti templi condebantur; quare facta effosione lapidem insculptum caracteribus reperit, quem ipse ingenti gaudio, & admiratione Magistratui Ciuitatis deferens, suasit, vt summa reuerentia firmissimum Patriç antiquitatis testem publico omnium conspectui asseruandum omninò curarent.

Haud facilè dictu quàm firmitèr in omnium mentes adhæserit huiusmodi opinio, nec tantùm apud indoctos, quorum placita defectu iudicij veniunt explodenda, verùm & apud perplures ex eruditis, qui an mala mente, an iniuria, ipsi viderint, nulla præmissa pensitatione pro libito, quæcunque euoluunt damnant, vel credunt. At maximè auerso quodam connaturali genio quæcunque probra contra sequestres à sæculo, & cucullatos euulgantur, firmissimè tenent. Verùm humanissime Lector si ad ea, quæ nos in hisce vindicijs subijcimus candida mente, ac minimè præoccupato animo attendas, non est cur ambigem, quin imposterùm rectiùs sentias, vt par est, de Annio nostro, si fortè aliàs minùs recta de eo apud te irrepserit opinio. Sic igitur discurro.

Si vnquàm Annius tali, ac tanta callida fraude lapidem aliquem falsauit, maximè certè ille vnus erit ex his, quos in commentarijs suis diligentissima excursione descripsit, notis illustrauit eosque omnium captui peruios fecit. Hi autem senario numero perstringuntur, & quarta sua institutione describit, singulisque datis nominibus inuicem secernit. Duos primos Libiscillos, binos alteros Cibellarios appellat, quintum Lombardicum, sextum Osirianum nominat. Cum ergo luce meridiana clariùs constiterit nullum ex his suppositium esse, vtique pariter euidentissimè apparebit impostura Latinij, & Antonij Augustini. Primos igitur reuocemus ad trutinam.

Hos Libiscillos appellauit, à vico quodam agri Viterbiensis, in quo inuenti, sunt autem alabastrini, ac diaphani; neutrum verò ex his potuisse falsari ab Annio inde constat, quod eorum inuentio nedum Annium, sed & Abaui eius ortum longè ante præcesserit, nemo autem valet operari antequam sit. Nihil aliud ergo circa illos iam repertos, & asseruatos agit Annius, nisi discursu illustrando, & insculptos caracteres interpretando: quod idem peragere non est dedignatus doctissimus Her-

molaus

molaus Barbaro, cui quo magis omnium eruditionum copiæ cumulatissimè exundabant, eo amplius cunctæ rei familiaris strictissimè angustabat inopia, & humanioribus litterarũ studijs ad culmen fælicitatis euectum celebriores ipsæ dignitatis ad ima infælicissimè detruserunt: Exul enim à Patria, & a Patriarchali Aquileiensi sua sede, miserè Romæ victitans, dum Annius ibidem morabatur, eosdem est interpretatus, perspicacissimo suo iudicio eosdem legitimos agnoscens antiquitatis partus, minimè verò infames modernæ fraudis effectus.

Insuper lapides isti, vt Annius ipse refert, monstruosa quædam præseferebant, in altero enim illorum caracteres non in ipsa marmoris superficie, sed funditus in medulla impressi cernebantur, ac ideò non nisi opposito sole legebantur, illius enim radios peruios admittebat translucidum alabastrum. Augebantur in altero prodigia, etenim notæ in eo incisæ non fixæ, sed mobiles se se reddebant; nunc enim introrsùm marmoris viscera se recipiebant, modò extra in superficie tumescentes apparebant, nec semper eumdem præferebant colorem, immò & aliquando nihil pęnitùs videbantur. Mihi verò (cęlites cunctos obtestor) nunquàm innotuit Annio virtutem miraculorum patratiuam diuinitùs collatam fuisse: Ni fortè in cumulum cęterarum omnium criminationum, supraque tot mille iniuriarum myriades præstigiatoris quoque teterrimum dedecus Aduersarij addere velint; imponantque quod priùs Redemptori obijcerant Pharisæi, in Belzebub Principe dæmoniorum patratum miracula, simulque erudita detractione illud in ipsum vsurpent Iuuenci

Inque Beelzebub Principe tetro Dæmoniorum
Solo nequitiæ vires ditione tenente:
Hęc ipsum fecisse ferant.

Primis expeditis, Cibellarios trutinemus. Hos equidem duos, dum Annius Viterbij degeret inuentos fateri minimè detrectamus: licèt hinc impostura Latinij solidiori veritate aliqualiter roboretur: etenim ex his, quæ Annius ipse refert tota machina in insontem erecta funditùs ruit, & solis mendaciorum præstigijs compactam euincimus. Nam quarta sua institutione narrat a Corseto quodam lapides illos repertos, Viterbiumque delatos, ijsdem ferè diebus, quibus Summus Pontifex Alexander Sextus toto Prælatorum, ac Procerum nobili famulitio stipatus illùc accesserat. Cumque ad ipsum de

nouitèr inuentis lapidibus rumor peruasisset, eo loci, quo effosi fuerant personaliter accedere voluit, vlterioremque imperans effossionem quattuor simulacra marmorea insuper eruta sunt, quæ ex inscripta basi Antiquarijs innotuit representare Cibellem, Iasium, Armoniam Vestalem, & Electram. Hinc ergo quisque prudens eliciet, ab eodem certè reposita simulacra, à quo & lapides conditi. Quo enim pacto Vir Religiosus, paupertati addictus, in communi Fratrum collegio degens: potuit se omnium oculis comprofessorum subtrahere, & adeò occultè rem tanti momenti, operis, & temporis, vlla de se suspicione relicta, sine impedimento perficere? Sic ne Pontificem perspicacissimi iudicij, ac viuidissimi acuminis illusum dicemus? Tam facili negotio Romanam ipsam Curiam, quæ super omnes totius Orbis aulas prudentiæ, ac viuidæ calliditatis palmam iure sibi vendicare gloriatur, eò stupidæ barditatis, consopitæque supinitatis deuolutam credimus, vt à solo Fraterculo crassis hisce fictionibus se illudi permiserit? His omnibus addendum, lapides illos, vt ex relationibus colligere licet, grandioris magnitudinis marmora esse, in quorum munda planitie grecorum caracteribus priscæ ortographię nonnulla Antiquorum gesta sunt exarata. Modò an hæc fraudis Annianæ opera esse potuerint vnusquisque cernere potest.

Post Cibellarios lapides Lombardicum marmor discutiendum venit. Nomen à litteris quibus erat insculptum, elicitum. Longobardorum enim caracteribus priuilegium à Desiderio illius gentis Rege Viterbiensibus indultum legebatur. Cum igitur lapis iste adolescentulam antiquitatem octocentum, nempè tantummodò annorum Viterbiensibus daret, illum profectò esse nequit, quem Aduersarij ab Annio confictum, & dolosè tumulatum contendunt, cum enim vellet tali fraude suadere ab Osiride originem duxisse Viterbum, lapis ille, Longobardorum opus adeò cariosæ, & vltrò porrectę antiquitati apertissimè obstabat. Quis verò tam decurtatæ mentis non intuetur minimè facilioris operis fuisse marmor prægrande adeò clandestino labore in vinea tumulare? Siquidem in vineto marmorum fodina non extabat, ideò aliundè comportatum, non vtique magico murmure illuc ventum, sed vel in humeris conductitijs delatum, vel iugalium defatigatione pertractum: Si caracteribus insculptum marmorarius accitus, ac tandem ligones, & fossores adhibiti vt altius sepeliretur.

Per

Per illationem igitur excludentem, lapis commentitius, & spurius erit Osirianus, hancque impostoris fuisse intentionem inde euincitur, quod ideo commentum volunt lapidem ab Annio, vt Osiridem Patrię fundatorem venerarentur Viterbienses, fauent circumstantiæ, quia marmor illud Publico Ciuium decreto, teste eodem Annio, in Ecclesia D. Laurentij, olim Martis templum, omnium conspectui collocatum fuerit.

Nihilominus triplici ipsaque euidentissima ratione euincemus quám iniquè Latinius Annium imposturæ reum denunciauerit. Sit prima. Silex illa longè ante Annium reperta fuit, nec alio vnquam in loco repositam vidit Annius, nisi quo omnium obtutui publica auctoritate olim fuerat collocata. Hoc idem ipsemet refert; nec prudenter dicere possumus, aliud peractum, aliud scripris traditum; pugnant enim adinuicem quod oretenus iactauerit á se lapidem inuentum, ac in suis operibus testatum relinquere: *Maiores nostri in templo olim Herculis, nunc D. Laurentij, vt semper ante oculos nostros vetustatis huius Vrbis memoria teneretur pro rostris posuerunt columnulam, idest, tabulam alabastrinam, Osiriani tryumphi monumentum*: Ipsamet verba Auctoris transcripsi. Debuisset autem Latinius antequam in calumnias erumperet consultiùs perpendere, quid latinè redderent hæ duæ partes orationis (*Maiores nostri*) Non se ipsum inuentorem prædicat Annius, sed ait *Maiores nostri*: Vtique illi inuentum lapidem, alabastrinum marmor omnium oculis in euidentissimum Patrię antiquitatis argumentum, exponere voluerunt. Quod minimè aduertens Latinius Viterbiensis & ipse, mendacij criminatur conciuem, & dum lapidi fidem adimere nititur, Patrię antiquitati iniustissimè detrahit. Cum tamen huiusmodi inscriptionibus, consimilibusque ęneis, marmoreisue tabulis, notis, & caracteribus obsignatis pro expiscanda veterum gestorum certitudine nil sanctiùs agnouerit Antiquitas.

Lib. 1. de fal. Relig. Hinc Euemerus Messinensis, vt Lactantius Firmianus tradit, ex consimilibus monumentis historiam Iouis, cęterorumq; Numinum gentilitatis contexuit. Quam maiores illi adeò sunt venerati, vt sacram appellauerint; eamque Ennius in redactam latinam reddidit. Sic igitur res ita se habent, cur solus Viterbiensis hisce vestigijs inhærens expungitur, horrendo falsarij dedecore, infuscatur, & ab honoribus propulsum, in infame barathrum conijcitur? Sicque vndè encomia, &

plausus

plausus inde conuitia, & contumeliæ à conciuibus quoque, & comprofessoribus suis semper obuenerint. Verùm sileant lamenta, loquantur rationes, vt quas in Annium licentius calumnias effundunt aduersarij, euidentiùs mendacij conuincantur.

Sit igitur secunda ratio. Si eruti marmoris caracteribus Patriæ antiquitatem euincere Annius intendebat, equidem illi, quos dolosè ab eodem insculptos imponit Latinius, minimè ei suffragantur; nam fundatorem dicebant Osirim, sententia verò Annij sexcentis in locis suarum lucubrationum semper constans fuit Ianum pluribus sæculis ante Osiridis ætatem Viterbum condidisse: quid ergò insulsius calumnia Latinij, & Augustinij? equidem suamet leuitate euanescit in auras. Si enim tali fraude illudere voluisset, non Osirim, sed Ianum notasset in silice. Ianus enim non Osiris iuxta eius mentem fundatoris gloriam habet. Attamen omnibus innotescat, nec Annium, nec vnquam alium caracteribus signasse lapidem illum, nec Ianus, nec Osiris in eo legitur. Sitque tertia ratio.

Calumniosum mendacium astruere conatus est Latinius euulgando Annium in alabastrino illo marmore litteras quasdam insculpsisse, quæ legentibus referebant. Osiridem fundasse Viterbum. At, ò quàm verum Propheticum illud. Mentita est iniquitas sibi. Nam luce meridiana clariùs innotescit, nec litteram, nec apicem, nec vnum Iota signatum in lapide illo extare, sed tantummodò figuræ quędam hieroglyphicę intuentur, quas accuratissimè descripsit, & interpretatus est Auctor; ipso igitur edocente scimus, in medio marmoris stipitem quercus assurgere, quam pampinosa vitis circumquaque perstringit; pro ramis sceptra pullulant oculis plena; duas facies humanæ speciei vtriusque sexus, nidulum auium, serpentem, cocodrilum, draconem, duos volantes accipitres, & binos quiescentes tenet in giro; quæ omnia quid aliud sunt nisi caracteres hieroglyphici,

Che in vece vsò di scritto
L'antica già misteriosa Egitto?

Non igitur notis, litterisuè, aut vllis caracteribus dolosè signauit Annius lapidem illum, sed solùm eruditissima interpretatione exornauit; quam & Aduersarij dignis laudibus comendassent, si per inuidiæ liuorem id eis licuisset; at pertinaci quadam superbia Auctorem insectantes, vt eiusdem famæ

detrahe-

detraherent, vt honorem imminuerent, ab his omnibus longè declinabant, per quæ eiusdem innocentia innotesceret. Poterat equidem, & mecastòr debuisset Latinius, si (*vir doctus, & bonæ fidei*) vt eum celebrat Augustinius, dum hęc contumeliosa inuenta per imprudentum ora excurrebant, a prudentibus, & eruditis rei veritatem exquirere, immò ipse tenebatur lapidem diligenter inspicere, notare litterarum elementa in eo insculpta, vno verbo legere, quæ in eo erant exarata, idque leui labore, omnium enim conspectui publicè extabat; sicque ex lapide suo ipsius intuitu firmam exceptam certitudinem alijs euulgare. At fortè inuisit, & clarissimè innotuit, nullas in lapide litteras extare, sed tantummodò figuras hieroglyphicas, verùm cum in Annium amari esset stomachi, dulciora quæquè ascescebant: Sic benè Venusinus

Sincerum est nisi vas, quodcunque infundis accessit.

ità pariter quicunque de sinceritate Annij minus rectè sentiebant, vel quibus suspecta erat fides eius, tenebantur quæ dictauerit peruoluere, aliorumque in idem argumentum opera inspicere, vt capescerent veritatem; indè si reum reperissent obloqutionibus insectari, & falsitatis arguere.

Quis fuerit Viues, vndè emotiones ipsius, Volaterrani, & Sabellici in Annium. §. 5.

OMnes contra infelicem Auctorem oblatrant, cunctique in ipsum desæuiunt, & scripta proscindunt, & dilaniant, cum tamen nec ad latum vnguè examinare dignentur: auersantur anteqnàm agnoscant, inauditum condemnant; non perlegunt, nec intuentur, & cęcis oculis execrantur, furciferis tradunt (vt ita dicam) in perfidia parentum, Sabellici vtique Volaterrani, ac Viues, qui Neroniano perciti œstro in eumdem debaccharunt: hi calumniantium antesignani, & iniuriarum vexilliferi; cęteri omnes hos duces agnoscunt: isti extulerunt voces, cęteri cum perstrepentibus eiularunt: sicque verum reddidere adagium illud Ouid.

Ouid. lib. 2. trist.

Cum cępit quassata domus subsidere, partes
In proclinatas omne recumbit onus,

At si qui sint, & quales eorum conditiones ventilabimus, vtique imposterùm benignior erit de Annio sententia. Viues semper

ſemper in ſcholaſticæ Theologiæ Profeſſores iniurius, cęteroſque ex Religionibus ſcriptores effręni dicacitate, aculeatis dicterijs væſano liuore túrpiſſimè ſæuijt: adeò vt ſi cunctas eiuſdem lucubrationes euolueris, nec vnum ex his ab eo laudatum reperies, immò nullum vnquam niſi detractionibus, & contumelijs ſaginatum dimittit. Effrons ille, ac temerarius auſus, quo Angelicum Doctorem omni amandata reuerentia impudentiſſimè exagitat, ſatis probat, *ſi in viridi, quid in arido?* Lib. 5. cap. 6. de Ciuit. Dei

Sabellicus, & Volaterranus æmulatione, nec ſine aliquali fortè inuidiæ liuore in eum exarſere Eadem profitebantur ſtudia Antiquorum ſimul eruditiones, & pœnitiora litterarum monumenta veſtigabant, modò quis ignorat, quod *Figulus figulo rixatur?* Inſuper addendum, quod horum Patriæ vicinijs ferè iungebantur, erantque conterminæ. Inter finitimas verò Vrbes ſemper concertationes, & garritus, ſæpe de vbertate ſoli, aeris clementia, facinorum claritate, ciuium excellentia, opum amplitudine, antiquioribus principijs, conſimilibuſque friuolis, & gerris mutuis vellicationibus contendunt. Vt igitur æmuli gloriam infuſcarent, tetra calumniarum vela obtenderunt. Locus conſulendus, quià apud me nec verbum.

Ab huiuſmodi liuido acore nullo pacto Volaterranus poteſt excuſari; Is enim ſuis in æneadis per ſucceſſiuas temporum viciſſitudines eruditos omnes honorificis laudibus efferens, & ad triobolares vſque calamum demittens, de Annio tamen eiuſdem temporis, ac Prouinciæ Scriptor ſicco ſtylo nec verbum quidem profert; ſed cum ſuppreſſo nomine lib. 2. decimæ æneadis quaſi Catoniani fragmenti falſarium damnat: dum verò hæc vt falſa expungit, alia cuiuſdam Pſeudo-Proſperi, quæ de Tuſcijs antiquitatibus pertractant, legitima agnouit; cum tamen hæc apertiſſimè euincantur conſcripta a Thoma Fœdro, qui vixit anno 1490. Sic & Prudentum lumen liuor infuſcat, & obnubilat.

Annij rudis ſtylus, & incomptus valida ſui contemptus ratio. §. 6.

PEculiaribus hiſce recenſitis, communis quoque ponenda est ratio, qua nedum citati Auctores, verùm vnà ſimul Ciceroniſtæ omnes emoti, adeò acerbè in Annium deſæuierint. Hæc equidem fuit ſtylus rudis, incompta elocutio, phraſis vndequaque barbariſmis ſcatens, nec à ſolæciſmis abhorrens; id verò an amanuenſium inuitia, an impreſſorum incuria, vel Auctoris vitio aſſerere non auſerim. Cum enim latina elocutio, quæ tandiù inter Barbarorum fæces obſurduerat, ea tempeſtate à diutino cęno veluti caput extolleret, immò quaſi reuiuiſcens à funere, iuuenili quadam petulantia ſuperbè incedens, antiquam ſimplicitatem, vel ruditatem ſubſannabat, & data manu requirebat ad interitum. Hæc autem ſuæ conſulens incolumitati intra Religioſorum ſepta puriſsimo, veluti in aſylo ſe recepit, Sacraque Theologorum Myſteria ediſcerens, & per ſcholaſticorum calamos, & ora diſcurrens imminens ſui exitium valida manu propulſabat. Quod vt faciliùs aſſequeretur per ſuos aſſeclas, & cultores voce, & ſcripto Aduerſanti comptulæ, & ceruſſatæ bellum indixit. Antiquum enim, & congenitum eſt ſcholaſticis, ſimplicitatem, quam moribus ſtudioſiſsimè colunt, & ſermonibus profiteri, vt ſic per ipſas quoque voces diſcriminentur à cęteris. Illuſtre profert de his teſtimonium Plinius ep. lib. 2. ait enim. *Scholaſticus tantùm eſt, quo genere hominum nihil aut ſimplicius, aut ſincerius, aut melius, nos enim qui in foro, veriſque litibus, terimur, multum malitiæ, quamuis nolimus, addiſcimus*. Inſuper cum viri Religioſi à ſæculi pompis, quibus renunciauerant, integrè abſtinerent, à verbis etiam ipſis continendum cenſuerunt, illud D. Hieron: ſecum reuoluentes, quòd in extremo Iudicio (*Chriſtianorum hominum non eloquentia, ſed vita accuſabuntur vitia*.) Id etiam impensè ſuadebat D. Proſperi Aquitani ſaluberrimum monitum.

De vita contemp.

Vaniloquum ſtudia, & pellaces mittite voces
Dedita linqua pijs ſit magis eloquijs.

Hinc propterea execrabantur, & fortè indiſcreta nimis acerbitate huiuſmodi ſermonis elegantiam, elocutioniſque munditiem, quam vel pęnitùs ignorabant, vel data opera aſſe-

qui renuebant . Inter hos maximè excessit Fr. Hieronymus Sauonarola eximię integritatis, eruditionis, & auctoritatis vir, Præco Christi, amor populi, magnatum terror, victima zeli, præda factionis, cuius mors, dum indicitur, mysterium politicum; dum tolleratur apologia Christiana, Hic disertissimus concionator, nedum e suggestu viua voce sæpè (sæpius in huiusmodi sermonis lenocinia, lepores, ornatus eiaculauerat fulmen, verum & elucubratum opusculum contra vanitatem sæcularium scientiarum euulgauit, & libellum quoque specialiter contra Poesim. His autem lacessiti punctionibus Aduersarij, Grammatici, Rethores, Poetæ, Elegantistæ vniuersi facto impetu in scholasticam, hoc est in minimè phaleratam phrasim irruerunt, quamque in contemptum à Fratrum deriuato vernacula lingua vocabulo, appellabant (*Fratesca*) simul & per omnes ferè periodos dicteria; venenata scommata in eodem emittebant: nec se continuerunt in phrasis detestationem, sed Auctores ipsos iniurijs, conuitijs, improperijs insolenti calamo impetebant. Ex Fratrum sodalitijs Scriptores omnes Asinos Cumanos, palearios, canes ęsopicos, scriptores semilatinos, Panto barbaros probrosis appellationibus dehonestarunt. Adeòque effręnis hæc licentia inualuit, vt ab ipsismet etiam sęcularium litterarum professoribus vindicias extorserit Sic Inclytus ille ingeniorum Phœnix, Ioannes Picus Mirandule Princeps pro malè lacessitis Apologiam conscripsit, in qua precipuè summa lenitate, ac modestia Hermolaum Barbaro reprehendit, cuius sęuities inter cęteros scholasticorum Mastiges insigniter eruditione, ac dignitate eminebat. Extat paręnetica inter eiusdem Auctoris epistolas, quas Ioannes Franciscus eius Nepos in vnum collegit.

Dum igitur feruentius hæc in religiosos ebulliret elegantistarum rabies, & excandesceret liuor, Annius sua euulgauit opera, quæ vtique fateor nimia fætere barbarie. Tuum ergo sit iudicare. prudentissime Lector, quo plausu, quibusuè excepta fuerint blanditijs. Non modo litterarum Proceres eruditionum Candidati, verum & Grammaterculi, & qui vix à limine scholas salutauerant, linguam, calamum acuerunt. Quotquot ea maximè tempestate qui vel historias, vel poemata, Geographicasue descriptiones tenebant; omnes deniq; quoquo modo cartas implerent, Anniũ vellicabant, mordebant, quia igitur cucullatus, & quia elocutionis erat incõptę ideo habitus est.

Horat. Senn. lib. 1.

Minus aptus acutis
Naribus horum hominum, vt rideri possit: eo quod
Rusticus, & tonso toga defluit, & malè laxus
In pede calceus hæret.

Attamen nolo vos fugiat, infestissimi Momi, quod vir iste, cui illuditis, quia barba, & capite raso incedit, quia tunicam discinctam, malè aptatam vestit, & quia amplioribus in calceis pedes liberè excurrunt,

Idē ibidē.

Et est bonus, vt melior vir
Non alius quisquam, & boni amicus, & ingenium ingens
Inculto iacet hoc corpore.

Et inter Scriptores historiarum priscorum temporum vtique non postremò recensendus.

Quis fuerit Petrus Crinitus Annij asperrimus insectator. §. 7.

IN Annium quoque Aristarchus induere ausus est Petrus Crinitus, quem Florentiæ triobolaria Grammaticæ rudimenta pueris asse vendidisse constat. De audaculo isto censore illud repetendum, quod olim Martialis de insulsissimo quodam infimæ classis Poeta, qui inter compta illius epigrammata ineptissima sua inserere ausus fuerat:

Sic niger in riuis errat cum forte Caystri
Inter Ledæos crocitando coruus olores.
Sic vbi multisona feruet sacer Athide lucis
Improba cecropias offendit pica querelas.

Cum & ipse Ludimagister inter eruditos vellicantes censores voluerit se immiscere; & contra eruditissimum Viterbiensem Antiquarium nostrum lib. 24. de honesta disciplina insolentiùs effutiuit *Pleraque omnia impudentissimè confixit.*

Equidem à fictionibus quantum Crinitus semper abhorruerit, vel inde apertissimé constat, quod cum librum quendam compillauerit, in isto nihil omninò de suo penu, in quo vt in Aristotelico asse nihil fortè erat depictum: & de eo, vt in Orbis primordio de terra sacer Chronista dixisset Terra autem erat inanis, & vacua; nihilque penitùs in commune studiosorum commodum reposuisse conspicitur. Non vtique pœnitiores Priscorum eruditiones introspiciens abstrusiores eorum recessus Posteris complanare; non difficilia peruia facere, vel implexos,

plexos, abditosque Auctorum sensus enucleare orsus est; sed in id se totum impendit, vt ab Aulo Gellio, Valerio Maximo, Macrobio, & alijs, quos in scholis puerorum manus passim euoluunt, peculiaria quædam dicta, vel gesta ab ijsdem relata selegit; sic à pagella in papyrum excribens à suspicionibus falsitatis se integrè exemit. His selectioribus absque vllo ordine in vnum congestis quędam alia suorum temporum insulsa, & obtrita, vt volumen excreueret, addidit. Volumini nomen imposuit, de honesta disciplina, sanè non dissonat titulus, nihil enim contra morum honestatem continet; verùm si quibus prodesse valeat diligentius inquiremus, mecastòr, sutoribus, lanijs, textriculis tantummodò, & eis omnibus, qui cubito nares emungunt, & manibus sputum excipiunt datum est tali, tantaque peregrina eruditione proficere, quapropter adeò suspiciendum Criniti opus à Lelio Giraldo hocce dignissimo exornatur elogio. *Omnis Criniti oratio, non vt aures, ità animum implet: Propè enim dixerim canora nugæ:* At si scriptis nugatorem, actionibus ludionem insigniter se prębuit, talemque vt ei benè congruant versiculi, quos in Petronij fragmentis quisque legere potest:

Quod cum discipulos nullo terrore coercet,
Et ferculis culpas tollere cessat iners;
Proiectis pueri tabulis Floralia ludunt,
Iam nomen ludi ritè Magister habet.

Erat enim Crinitus, vt refert Iouius in Musæo, discipulorum Pantomimus, & plerumque non Ludimagistrum, sed Scurram cum illis agebat; hinc illi mors adeò erubescenda obuenit, quam narrat Vossius, vt cum Horatio de illo canere liceat:

vellent tibi barbam
Lasciui pueri, quos tu non fustè coerces.

Et si non euulserunt genarum pilos, vtique capillitium ignominiosè irrorarunt. Adeò enim turpi insolentia effrænes pueros, quos supercilio, & verbere continere debuerat, secum agere patiebatur, vt quadam vice, cum in cęnam largiùs męro indulsissent, ac propterea laxatis habenis scurrilitas, & petulcitas licentiùs excurrerent, scyphus aqua redundans à quodam de conuiuio ei per caput immissum est (simile quid in Scurram notissimum, quem Gonellam appellant, factum audiuimus) *Obriguit, doloreque contumeliæ in acmi decessit.*

Refert

refert ille, à quo rem gestam accepimus. Adeòque obriguit, vt ipso trigesimo tertio ętatis suę anno extinctum defleuerit Magister Vgolinus Verinus eius Præceptor, qui nimio in discipulum obcęcatus amore, cum eidem nænias pangeret, illius carmina in æuum duratura censuit:

Discipulique mei Criniti carmina Petri
Æternum viuent.
Ah nimium ante diem vndecima trieteride raptus.

Funeri quidem superstiterunt carmina; nimirùm vt acutioribus censuris subiacerent Lilij Giraldi, atque Iosephi Scaligeri. Verum non tantùm Magister in epicedio perennitatem somniauit Crinitę poæsis, sed ipsemet Petrus longius supra se volitans futuram sibi cecinit immortalitatem, vt propterea luctum recusauerit in funere, talia ariolando de se euanidũ caput, grandiori prompsit hiatu:

Non me reuinctis pallida crinibus
Turpique luctu nania defleat,
Æuo beatus perpetuò fruar.

Hæ sunt dotes egregiæ, hæc præclara facinora eorum, qui nostrum Annium primò obtriuerunt.

Verùm tu, precor, ignosce, humanissime Lector, si duriusculi quàm promiseram in Auctorem litterariæ Reipublicæ non omninò inutilem, calamum distrinxi; vtique in defunctos Auctores desæuire ex animo auersor, quodque in alijs carpo, in me quoque reprehendo; at egit inuitus animus. Bone Deus! Nimia illa Criniti licentia, qua Annium impudentissimè pleraque confixisse effutiuit, ad hæc me obnitentem pertraxit. Equidem doleo, cum

Egit inassuetas sumere tela manus.

Des veniam Lector, & ad propositum redeamus.

Ipsa nimis longæua librorum antiquitas suspicionem falsitatis ingerit. §. 8.

NEmo tamen existimare velim, me indubiam Euangelistarum certitudinem Annio tribuere. Hominem noui, ac ideò de ipso quoque verissimum illud. *Omnis homo mendax.* Minimè pro legitimis omnia admitto, quæ in antiquitatibus suis immiscuit; nec pro certis eos omnes, quos ex antiquis

euulgauit Auctores; cum vel si nil aliud obstaret ad minuendam rebus, & scriptoribus fidem, cariosa ipsa antiquitas satis superque faceret: hæc nedum chartas, sed & fidem, & famam Auctorum ligurit, & absumit. Ipsis quoque sanctis voluminibus certitudinem ademit, & abrasis a canone, dubijs, & apocryphis addixit. Sit in exemplum volumen illud ab Enoch iusto conscriptum, de quo D. Aug. ait: *Nimia fecit antiquitas, vt apud Iudæos, & apud nos in auctoritate non esset.* Minimeq; ad eumdem expungendum obstitit, quod operi inscriptus esset Auctor tantæ sanctitatis, qualis fuit Enoch, cuius niuea innocentia, ne quid terrestrium sordium pateretur næui, scilicet. *Ne malitia occuparet intellectum eius.* A Domino in terrestrem Paradisum subductus est, vt ibidem in eo vegetior degeret innocentia, quæ ab eodem per Protoparentis malitia fuerat expulsa. Hinc Scotus cecinit Vates. Cap. 38. de Ciuit. Dei.

Primus ab vsque chao meritis viuacibus Enoch,
Multa per innumeros iam sæcula contigit annos,
Natura perdente modum, quem iure creandi
Terra tulit genitum; sed mors miratur ademptum.

Tanti Herois igitur volumen, quo, vt nutantem de vniuersali futuro Iudicio fidem astrueret, vsus est in sua canonica epistola Thadæus, vnde maximum, & firmissimum additum robur; nihilominùs sola ipsa cariosa vetustas: etenim octocentum, & septuaginta annis Orbis cataclysmum præcessit: de eiusdem veritate suspicionem induxit, & ab albo sacrorum voluminum expunctum, à Sinagoga, & Ecclesia pariter inter apocypha recensetur.

Et verè si monstruosam, vti appellat Scaliger, in ipso librorum vestibulo antiquitatem offendimus, quasi horrifici spectri intuitu, illicò perterrita fugit fides. Hinc Venusinus Vates à consimilium antiquitatum Scriptoribus delicatulè abhorrens, Amicum Telephum monet, vt spetiosis, & obsoletis hisce posthabitis, amænioribus studijs incumbere satagat, vita viuat iucunda, nigris portitoribus sinens vltra innumeras annorum chiliades iam extinctos à sarcophagis reuocare

Quantum distet ab Inacho Lib. 3. Ode 20.
Codrus, pro patria, non timidus mori,
Narras, & genus Æaci,
Et pugnata sacro bella sub Ilio.
Quo Chium pratio cadum

 Mercemur,

Mercemur, quis aquam temperet ignibus,
Quo prabente domum, & quota
Pelignis caream frigoribus, taces.

Quod ergo antiquissimi, & vltra hominum memoriam sunt Auctores, quos edidit Annius, idcircò de sinceritate, suspecti, suppositirij, & adulterini creduntur. Attamen non propter hoc deberet patere effreni licentiæ, aculeata dicacitate Virum Religiosum de Republica litteraria benemerentem, sacris dignitatibus insignitum traducendi, & eiuratæ fidei calumnioso ausu insimulandi: maximè si non adsint ad id euincendum rationes, & argumenta. Vtique in Annium omnes clamant, & furentes iurgia euomunt, impostorem, falsarium appellant, at verò nullum vnquam legi, qui hæc argumentis conuincat. Arguunt de mendacio, sed veritatem non ostendunt. Non est idem conuitiari, & probare; non qui scommata, & improperia cumulat, verùm qui rationes adducit, ille victor habendus.

Ioannes Vossius satis acerbè in Annium sæuit. Titus Liuius à quibus censuris notetur. §. 9.

INter cęteros omnes Annij mastiges primum sibi vendicauit locum eruditissimus Vossius, & certè mirum! cęteros enim omnes, quos redarguit Auctores, benignissimè cū excipiat, solum Annium tam durè pertractare. Absit tamen, vt pares relumpendamus vices: licèt enim falsæ religioni addictus (*Et in hos non laudo*) attamen ea, quæ par est, reuerentia cum eodem agemus. Summis, esset vir iste efferendus laudibus ob scientiarum, quas possidebat, fulgentissimum splendorem, & quod studiosis omnibus tam luculentèr iuuerit, eruditissimis datis voluminibus (à quibus ea secludo, & damno in quibus de Theologicis, & de Religionis dogmatibus perperam egit)

Ex Hor. Sat. 10.

Non quidem ego illi detrahere ausim
Harentem capiti multa cum laude coronam.

At impauidè sustineo quod, effractis solitę suæ modestiæ repagulis minùs rationabiliter Annium exagitat. Cum enim cap. 9. primi lib. de Latinis Historicis, longam, & acrem, verùm

rùm & rationibus benè munitam Annij censuram in Liuium excripsisset, eam nec vno argumento in contrarium adducto solemniter damnans, hac iniuriosa periodo Viterbiensem traducit. *Hactenùs nimis profectò patienter latrantem caniculam istam audiuimus. Cuius omnia singulatim refellere velle, planè sit otio suo abuti.* Quàm valida censura! quàm neruosa responsio, cuncta funditus euertens! Nouum Mehercle respondendi genus! Nec verbum mussitat pro responsione ad rationes Annij, & quasi confusum irridet Auctorem: putat victum, quia calumniatum dimittit. Si Annius Liuium carpit rationes adducit, profert argumenta: illas ergo soluere, ista eneruare debuerat Vossius, si canere volebat tryumphum. Hanc de Liuio Annij sententiam sequuti sunt Ioannes Scopa Neapolitanus in suis collectaneis: Henricus Glareanus in sua præfatione ad annotata in Liuium, & alij non obscuri nominis Auctores. At cum Horatio a doctissimo Vossio peto, & dico:

Age quæso

Tu nihil in magno doctus reprehendis Homero?

Et ipse quoque perplures, nec vltimæ notæ Auctores carpit, & damnat, nec tamen nos in eum acriùs perstrepimus. Festucam vidit alieno in oculo, trabem non aduertit in suo. Forte Liuium impugnare erit inexpiabile scelus? At si tantum facinus, cum perplures ex priscis, & recentioribus id egerint, cur his omnibus parcit, & contra Viterbiensem mille, & adeò probrosas eiaculatur iniurias? Fabius Quintilianus Liuium nedum infra Salustium ponit, verùm & in fabellis Herodoto parem facit. Asinius Pollio ait quod patauinizabat. Caius Imperator apud Suetonium, decreto cauit ne legerentur eius Libri. *Tamquàm verbosi, & in historia negligentis.* Antoninus Pius Imperator inuidum appellabat. D. Gregorius Magnus vtpotè superstitionibus exundantem, impiaque idolorum Religione nimium conspurcatum vltricibus flammis addixit. Inter recentiores verò doctissimus Lipsius eidem negligentis, frigidi, & nugatoris notas inussit. Hoc idem de ipso sentit Posseuinus insuper, & quod indiscretæ superstitionis fuerit addictus. Scopa, & Glareanus de malignitate accusarunt. Fuluius Vrsinus in suis notis super legationes Polibij in ceteros scriptores maleuolum dixit. Noster etiam Cano erroribus obnoxium Liuium tradit lib. 11. c. 6. his verbis. *Quem constat primùm nullos publicos annales habuisse, deindè in plerisque dubitasse, deniquè*

nique erraſſe in multis, & ità erraſſe, vt errorum quorumdam ab alijs euincatur, quorumdam etiam ipſe ſe arguat. His omnibus manus dedit Barzius, nec tamen à Voſſio laceſsitos legimus, ſed omnia emotæ bilis ſpicula in ſolum Viterbienſem conglomerantur: Et quid hoc, niſi congenita quædam Domini Canonici(Eccleſiæ tamen Anglicanæ) in Antiquarium faſtidioſa auerſio? Annius ſecurum credidit iter, per quod tot proceres ſemitarum Duces habuit. Impauida manu vela explicuit, dum cęteros minimè à vorticibus inſpexit abſorptos.

Ouid. lib. 2. Trij.

Non timuit meritò, ne qua tot iere carina
Naufraga, ſeruatis omnibus, vna foret.

At quia in Annianam ratim fluctus omnes tumeſcentes exundarunt naufragium pertulit. Verùm non hac ſola occaſione, à Liuio propulſandi iniurias, in Annium recruduit Voſsianus liuor, ſed quoties occaſionem arripere potuit, pari ſemper dicacitate eumdem falſarium, impoſtorem appellat; quaſi fædiſsimos fuimet ingenij abortus pro legitimis aliorum fœtibus ediderit.

Sic, quæ nigrior eſt cadente moro
Ceruſſata ſibi placet Lycoris.

Credo ſi menti occurriſſet cum Venuſino in Annium ſic repoſuiſſet Voſsius.

Voſſius Annium carpit quod finxerit libros Fabij Pictoris, Marci Catonis, Caij Sempronij, & Antonini Pij. §. 10.

HOs omnes quos in titulo paragraphi enumerauimus Auctores ab Annio ementitos fuiſſe contendit Voſsius, ſuaq; inſomnia,& non vera eorumdem opera venditaſſe; at nihil penitùs probat. Cum criminatur verbis exundat, dum crimationes rationibus firmare tenetur, obmuteſcit. Dicat nobis quæſò eruditiſsimus vir, cur pro legitimis Anniana detrectat admittere? Fortè quia Scriptores illi nunquam fuere? Deſunt fortè indubiæ fidei Auctores, per quos apertiſsimè nobis innoteſcant de quibus egerint? Neutrum certè dici poteſt, nam ab omnibus ferè Romanarum rerum ſcriptoribus Auctores illi recenſentur, & à pluribus pariter traditur quod nam fuerit operum

operum argumentum, ex quibus deprehenditur optimè conuenire cum his, quæ nobis tradidit Annius.

Quintus Fabius Pictor Romæ celebris vixit, dum Annibal in Italiam Reipublicæ exitium valida manu, ac prosperis euentibus intentabat. Hic post ingentem illam Cannis receptam cladem à Senatu Delphos ad consulendum oraculum de bellicum Pœnis euentu missus est. Huius meminit Cicero, Liuius, Alicarnasseus, & alij, per quos nolentibus medio in lumine cæcutire innotescit, eum historias, seu Romanorum annalia conscripsisse, in quibus etiam perplura de Italiæ antiquitate, & Romæ principijs immiscet. Et fortè primus fuit, vel certè inter primos, qui Romanorum gesta soluta oratione perstrinxerit, cum tamen ante ipsum Ennius, & Neuius eadem metro exarauerint. De Ennio testatur Lucretius. Lib. 1. leg. lib. 2. decad. 3. lib. 1.

Ennius vt noster cecinit, qui primus amano
Detulit ex Helicone perenni fronde coronam. De Natu. lib. 5.

Et ipse sepulcrale sibi texens elogium de se tale testimonium reliquit.

Aspicite, ò ciuet, senis Ennij imaginis vrnam
Hic vestrum panxit maxima facta Patrum. Ex lib. Gyr. dialog. 4.

Scipiones verò quod egregia eorum facinora celebrasset, in familiæ sepulcro cineres benemerentis Poetæ condiderunt. Sic cecinit Ouidius.

Ennius emeruit, calabris in montibus ortus
Contiguus poni, Scipio Magne, tibi.

Neuium pariter primi belli Cartaginensis, siue Punici historiam texuisse, in quo etiam stipendia fecisse, testantur Varro, Cicero, Gellius, & alij quoque tradiderunt. Hic Ennij vestigia sequutus pari vanitate, at longè tumidiori fastu, tali ad suum tumulum apposito epigrammate Campana superbia de se elatissimè sentiens, cecinit Lib. 1. de Poetis Cicero Gellius lib. 1. cap. 24.

Immortales mortales si foret fas flere,
Flerent Diuæ Camænæ Neuium poetam.
Itaque postquàm est Orchio traditus Thesauro
Obliti sunt Romæ lingua latina loquier. Varr. lib. 1. de Poet. A. Gal. lib. 1. cap. 2.

Huic haud dissimile illud, quod sibi voluit apponi Plautus.

Post quàm

Ex Varr. loco cit.

Postquàm est morte captus Plautus
Comœdia luget, scena est deserta:
Deindè risus, ludus, iocusque, & numeri,
Innumeri simul omnes collachrymarunt.

Pacuuius quoque sepulcrale sibi confecit epigramma, at verecundissimum, & purissimum, dignumque eius elegantissima grauitate, Mirere modestiam.

A. Gell. lib. 1. cap. 24.

Adolescens, tametsi properas, hoc te saxum rogat,
Vt se aspicias: deindè quod scriptum est, legas.
Hic sunt Poetæ Pacuuij Marci sita
Ossa. Hoc volebam, nescius ne esses. Vale.

Sed ad quid hæc? Redeamus ad id, quod de Pictore nobis dicendum superest. Ille igitur adeò curiosę antiquitatis scriptor fuit inter Romanos, vt à Liuio *Scriptorum antiquissimus* appelletur, & alibi de eo dixerit: *Longè antiquissimus Auctor.*

Lib. 1. Decade. Lib. 10. Decade.

Marcus Portio Cato, cui à Censuræ dignitate Censorij indictum est cognomen, Romæ floruit inter secundum, & tertium bellum Carthaginense, e Tusculano Municipio ortum traxit, Valerio Flacco sibi amicissimo suadente primus omnium suæ familiæ Romæ degere cępit; vbi ob præstantissima virtutum omnium merita nullo vnquam contradicente Reipublicæ dignitates omnes adeptus est. Siciliæ primùm Tribunus militum fuit; deindè Prætor Sardiniam subegit. Tandem Consul vnà cum eodem Flauo creatus, citeriorem Hyspaniam sortitus est, vbi rebus fęliciter gestis, Vrbium omnium, quæ infra Bętim erant, muros vno die solo æquari iussit. Hunc ob morum grauitatem, insignemque iustitiam Virgilius Inferorum iudicem facit, sic canens:

Secretosque pios, & dantem his iura Catonem.

6. æneid.

Vir adeò eximius, tamque ingentis existimationis, vt omnium laudes promeruerit, suęque integritatis fama sic cunctorum repleuerit mentes, vt vitia quoque ipsa in eo virtutes crederentur: quemadmodum & fluminum vndæ statim, ac in mari sese citatu cursu exonerant, nomen, & qualitates amittunt, nobilioremque alueum nactæ præcedentis conditionis angustias quam celeriter exuunt. Mirum equidem dictu! Ebrietas ipsa, qua nil turpius hominem dehonestare posse, communis est moralium sententia. Vnde D. Crisologus in carpendo tam fędo vitio Martialem imitatus, qui spicula in Zoilum iaculauerat talia:

Mentitur qui te vitiosum Zoile dixit
Non vitiosus homo es Zoile, sed vitium.

Aurea sua eloquentia dixit: *Ebriosus non peccat tantùm, sed est ipse peccatum*. Nihilominùs cum caput hebetauerit, sensusque Catonis obstupuerit, non vitium, non crimen, sed virtutem seueriores morum censores crediderint. Seneca, ille, qui de vitijs, & virtutibus pari subtilitate, ac eloquentia copiosissimè disseruit, qui penitiores habituum omnium latebras acutissimo stylo est perscrutatus, in Catonis laudes vltra merita effusus, stoicam seueritatem exuens, dixit. *Quis quis obiecerit Catoni ebrietatem, faciliùs efficeret hoc crimen honestum esse, quàm turpem Catonem*. Hic teste Alicarnasseo volumen pluribus distinctum libris composuit de origine Vrbium Italiæ. Cornelius Nepos apud Vossium has lucubrationes historias appellat. A Tito Liuio vocantur annales, vt habetur in epitome. Plinius eumdem Catonem veluti Romanum Trimegistum eximiè celebrat his verbis *Tres summas in Catone res præstitisse existimatum est, Optimus Orator, Optimus Imperator, Optimus Senator*.

Senec. lib. 3. de tranquill. Alicarn. lib. 1. Liuius 49. hist. Plin. lib. 27. c. 7.

Binos eodem tempore Sempronios Romæ floruisse Romanarum rerum Scriptores tradiderunt, quorum alter Caius Sempronius Tuditanus vocatus est, qui simul cum Marco Aquilio Vrbis conditæ anno 624. Consulatum egit. Is nobili de Iapygis Calabriæ Populis reportato tryumpho cladem ab illis primùm acceptam redemit. Alter Sempronius Aselio dictus militum Tribunus sub Scipione Africano Duce fuit in bello Numantino, quod ab anno 614. ad 721. conditæ Vrbis vsque productum est. De vtroque constat ex Tullio A: Plinio B: Alicarnasseo C, & alijs, historias edidisse, quarum quædam veluti minutula fragmenta ad nostra tempora perdurasse Vossius ipse minimè negat. Inter ceteros Gellius de Aselione hæc habet. Is Aselio sub Publio Scipione Aphricano Tribunus militum ad Numantiam fuit; resque eas, quibus gerendis ipse interfuit, conscripsit.

Flori lib. 59. A lib. 1. leg. B Lib. 13. C Lib. 1. Lib. 2. cap. 13.

Antoninus Imperator cognomento Pius, Adriani successor, certissimè aliquando vixit, nec est euanidum, suppositicium, vel fantasticum nomen. Nostris hisce quoque temporibus itinerarium quoddam circumfertur, quod Orbem totum peragrare docet. Verum quidem non satis adhùc apertè constare an id opus Patris fuerit, vel Filij eius successoris, Marci Anto-

nini, cognomento Philosophi, siue alicuius alterius eiusdem nominis ex successoribus: cum enim faustum, felicisque ominis tale nomen haberetur, à pluribus assumptum est. Sed quicunque sit Auctor, liber certissimè extat vna cum titulo: Itinerarium Antonini Augusti. Hac cum inscriptione vnus ex his apud me reperitur Solini historiæ annexus ex typographia Hæredum Philippi Iuntæ Florentiæ an: 1519.

Annius à fraude immunis defenditur: & quonam pacto huiusmodi ad ipsum fragmenta peruenerint. §. 11.

CVm igitur extra dubietatis aleam notum sit omnes recensitos Auctores certissimè extare, & de rebus, quas euulgauit Annius in eorum lucubrationibus pertractasse, nunc remanet discutiendum de veritate, & sinceritate horum voluminum, an verò per fraudem ipsa Viterbiensis intruserit; hoc aduersarij sibi, & alijs suadere nituntur, à nobis verò omni contentione negatur, apertissimaque ratione conuincitur. Annius ipse in præfatione fragmentorum Catonis, & in præliminari epistola, quam Nepoti suo inscribit, & etiam alibi, ingenuè fatetur, omnia, quæ edidit Priscorum opuscula, vnà cum fragmentis alijs, à vetustionibus collectaneis cuiusdam Magistri Guilielmi Mantuani Mantuæ recepisse, cum ibidem Cardinali Paulo Fregosio à Theologicis inseruiens (quare & Dominum suum eundem appellat) degeret. De ipso Guilielmo nihil mihi compertum est, nisi quod circiter annum 1319. hęc collectanea in ordinem redegerit; quod etiam Annius de Antonini itinerario in eiusdem operis proœmio dilucidè testatus est. Hæc igitur Priscorum fragmenta à ducentis ferè annis iam olim in Mantuano Musæo apud recensitum Guilielmum extabant, antequam ab Antiquario nostro per impressores euulgarentur, quod fuit an. 1498.

At si quid ex coniecturis fas est disserere, satis benè congruit, fuisse hominē studijs antiquitatum impensè addictum, multo labore, ac diligentia plurima ex Priscis Auctoribus per ipsum reperta in vnum collegisse, & hinc factum, vt Magistri Guilielmi collectanea diceretur; ex quibus posteà noster Antiquarius, tāti

Cardinalis

Cardinalis auctoritate fultus hæc eadem excerpserit, & in ordinem redacta, suis additis notis, & commentarijs publici iuris fecerit. Quis prudens inficias ibit, quod nisi, quæ de collectaneis narrat Annius, vera fuissent, vtique non adeò vecors, ac effrons se præstitisset, vt id publicè testatum relinqueret, cum adhuc viuerent, á quibus poterat mendacij redargui; maximè à Cardinali supra laudato, cunctorum enim quæ euenerant testis erat oculatus. Moritur Paulus Fregosius Cardinalis S. Sixti anno septimo Pontificatus Alexandri Sexti, teste Ciaconio, Annij verò commentaria, quæ ex his collectaneis constant Romæ imprimebantur anno sexto eiusdem Pontificis per Silberium, vt in fine eiusdem codicis intuenti apparet, & ipse Annius tandem Mundo viuere desijt anno decimo eiusdem Alexandri eruditorum memoriæ duraturus in æuum, quicquid contra despumet rabidus liuor, nam

Rumpere liuor edax magnum iam nomen ademptum
Maius erit lecta, si qua fuere mea.

Sed quid amplius ad id firmandum superest? En testis omni exceptione maior, & quidem oculatus, nempe Leander Albertus hic magnæ auctoritatis Scriptor, & publico omnium plausu, & consensu integerrimæ fidelitatis semper habitus, testatur, se adhuc adolescentem vidisse, ac perlegisse authentica, & originalia eorumdem operum folia, quæ ad Antiquarij nostri manus peruenerant, modo iam enarrato: Et summo animi angore dolet Albertus, scriptores omnes, quos iniustè calumniantes patitur Annius, eadem prothographa intueri minimè potuisse, sic enim, vt erat candidæ mentis, certissimè sibi persuadet, quod adeò iniquam de Auctore sententiam eiurassent, nec vnquam in eum adeò tumenti rabie tot conuitiorum probra effudissent.

En igitur quàm palmari euidentia de prostratis aduersariorum calumnijs consurgat, ac tryumphet sincera veritas Annij. Nihil enim sæpiùs, veluti crambe recocta, ad nauseam vsque repetunt, quàm fragmēta illa supposititia esse, in Annij cerebello tantummodò visa, & solum eiusdem calami impudentissima mendacia; quæ vt honorificò conuestiret amictu, præclaris illustrium Virorum nominibus insigniuit. Verum sint, vt contendunt, figmenta, vtique non Annij, sed collectoris erunt mendacia. Ipse enim quomodo collecta reperit, eodem & prælo euulganda supposuit: Nam si tali fraude illudere voluisset,

luisset, vtique tantum dolus ad aliquem finem assequendum direxisset: at quæso quem vnquàm habere potuit tanta operum mole? Respondent cum Latinio, vt hisce, & alijs, quibus abundat figmentis, Hetruriæ suę gentis populos primas in Italia finisse sedes, demonstret, vtque Viterbium Patriam suam bis mille annis ante conditam a Romulo Vrbem, ædificatam ostendat, & vt fidem astruat in ea primùm regnasse Ianum, quem Sanctum fuisse Nœmum, nonnullorum est sententia: ita conciuis

Dente theonino cum circumrodit & ipsum.

Vltrò, gratisque concedo talem fuisse Annij scopum, & intentum, & quod id vnicum sibi præfinierit, vt Gentis suæ, ac Patrię vetustissimam nobilitatem hisce Priscorum fragmentis confirmaret; Verùm dicant amabò, vt quid ad hoc tot operum confingere struem? ad duodecimum vsque excreuit numerus librorum, quos ab Annio ementitos volunt. Fortè non sufficiebant tres, vel quattuor, eosque tam bellè aptare, vt sine vllo inter ipsos discrimine contestes legerentur? Nonnè compendiosiori via ad id conduxissent, si cum certis, ac indubiæ fidei Auctoribus, maximè verò sacris eorumdem asserta conuenirent? Cum igitur pluribus in locis inter se dissentiant Auctores, vt Berosus, Metastenes, & Manethon, & ab historia quoque sacra toto cęlo discrepent, quod ansam dedit Cano, & Posseuino, vt ea opera conficta arbitrarentur, minimè restat dubitandum, non Annium, sed Priscos illos Auctores ea sic exarasse, Quæso, si per fraudem irrepsisset, quàm supinæ barditatis esset sugillandus, quod non ita concinnauerit commentaria, vt à tam diris infestationibus se præberet exemptum.

Sit igitur firmiter inconcussum ea non esse Annij figmenta, sed vel aliorum, vel omninò non sunt; quod vtique sentiendum duco, cum minimè mihi suadere possim, viros omnium virtutum honestamento decoratos, quales humanarum litterarum cultores esse solent, tam execrandum facinus patrare potuisse, vt libros ementirent, quibus nec animus, nec defuit ingenium, vt mendacia componerent, vtique nec iudicium, vt agnoscerent, quod tandem fraude detecta ęternum sibi struerent dedecus. Nec enim eos latere existimandum (quod tamen Annium minimè aduertisse arbitratus est Vossius) quod homines, non omnes *sunt obesæ naris*, sed vt plurimùm odo-

rem procul sentiunt; nec solum Martialis tempestate, sed & quo viuimus æuo, nec Romę tantùm

Vbi nimiùm Martia turba sapit

Sed & alibi etiam

Maiores nusquàm rhonchi, iuuenesque, senesque,
Et pueri nasum Rhinocerotis habent,

vbique repèriuntur emunctę naris homines, qui & incerniculo grana secernere valent

Atque sciunt iustum gemina suspendere lance
Ancipitis libræ, rectum discernere vbi inter
Curua subit, vel cum fallit pede regula varo.

Libri editi ab Annio non sunt integra opera Priscorum Auctorum, sed mutilata fragmenta. §. 12.

IVdicium tuum expostulo, humanissie Lector, vt ad trutinam reuoces, ac ęquâ lance perpendas, quas modo allaturus sum rationes, nec ne quod mihi, hoc & alijs suadere valeant, codices nempè Annianos fragmenta tantummodò esse integri operis, exiguasque partes eorum, quæ extabant, & vt ità dicam minutiores quasdam procerrimarum arborum, ac tandem amplissimi festucas diruti ędificij congesta rudere; cum enim Barbarorum illuuies Romanorum Imperium de solio Maiestatis deiecerint, totiesque incursionibus repetitis Italia deuastata sit maximè Vrbem ipsam, in qu a veluti Matris in græmio filiorum opera condebantur, rabido furore diruerint, & incenderint, litteræ quoque ipsæ, nec non eruditorum monumenta communi rerum omnium clade pari excidio interiere. Nec iam pacatis rebus, paceque florente omnia simul potuerunt exurgere, sed quamplurima omninò desiderantur; quædam verò decurtata, & detruncata tantummodò supersunt, eaq; fragmenta appellamus, quę siue Posterorum diligentia, siue ex originalium Reliquijs excripta, siue ex aliorum lucubrationibus excerpta, siue ex M. S. pęnitiori aliquo latibulo ab incendio vastatore pręseruata, seù quolibet alio modo ab exterminio exempta, cęterarum sui partium interitum deflendum, simulque nostrum litterarum irreparabile damnum mutis vocibus demonstrant.

Ex his autem ea esse, de quibus quæstionem agitamus, illud primùm ostendit, quod quædam nec folium implent, alia nec binas paginas complent, alia vix quartum folium occupant, pauca excurrunt in quintum, & sextum, omnia denique adeò breuiori compendio perstringuntur, vt in solitam voluminis molem non consurgant: modò quis vel sibi, vel alijs suadere vnquam poterit, adeo exilia, infantilisque breuitatis fuisse integra Priscorum Auctorum monumenta? minimè certè, cum ex illibatæ fidei Auctoribus habeamus, protographa eorum in volumina grandiora excreuisse, & quod vberiorem librorũ copiam conscripserint, idque de singulis ab Annio editis apertissimè demonstratur. Omnium primus se se offert euentilandus Fabius Pictor. Hic, testis est Cicero lib. p. de Diuinat., Romanorum annalia ab initio ad sua vsque tempora perduxit, eaque simul græco, & latino sermone exarasse ab aliquibus asseritur. Hinc Alicarnasseus Fabium Pictorem inter eos recenset, qui Romanorum gesta græcè scripserint. En igitur quàm liquido constet, quæ de Fabio Pictore attulit Annius, eiusdem non esse integra opera; illa enim tot annorum gesta perstringebant, hæc autem aurei sæculi descriptionem, & Vrbis cunabula tantummodò complectuntur, quæ & in integris Fabij voluminibus olim contenta minimè inficiatur Vossius.

Cic. p. de Diuinat.

Alicarn. lib. p.

Præter binas hasce notitias ex ipso Fabij annalium fonte, haurit Cicero narrationem cuiusdam somnij Æneæ, & Liuius quàm infæliciter à Populo Romano ad Trasimenum pugnatum sit excerpsit. Plinius verò mutuatus est historiam hirundinis, quæ pedibus alligatam epistolam Romanis militibus à Liguribus obsessis (columbarum Syriæ æmulo beneficio) præpeti volatu detulit. Idem paritèr quonam pacto Matrona quædam Romana, quod scriniolum, in quo claues cellæ vinariæ asseruabantur, aperuerit, grauiter plecta sit. Eutropius verò lib. 2. Historici sui Breuiarij rerum Romanorum, Bellum aduersus Gallos, eo quod trans Alpes non se continuissent, à Romanis initium Lucio Emilio consule, & idemet testatur Fabium ipsum Historicum eodem in bello stipendia fecisse. Alij quoque Scriptores ex Pictoris annalibus, cum extarent, perplura sunt mutuati. Sit igitur firmum, quæ ab Annio de Fabio Pictore traduntur non integra eiusdem annalia, sed eorumdem esse detruncata fragmenta.

Loc. cit.

Lib. 21. decade

Plin. lib. lib. 14.

Secundo loco quid de Mario Catone sentiendum sit examinemus.

nemus. Hic, præter cæteros, quos iam ediderat libros, cum iam consenuisset, grandioris quoque molis volumen historiale composuit septem libris diuisum, in quorum secundo, & tertio cum de origine omnium Italiæ Vrbium pertractarent, hinc à sola parte totum volumen, Liber originum veteres appellarunt. Hæc tradit Cornelius Nepos, cuius testimonium Vossius ipse adducit: *Senex historias scribere instituit, quarum sunt septem libri: Primus continet res gestas Regum Populi Romani. Secundus, & tertius vndè quæque Ciuitas Italica orta sit: ob quam res omnes origines videtur appellasse*. Insuper Catonem de origine Italicarum Vrbium scripsisse testatur etiam Alicarnasseus lib. p. Et in idem argumentum etiam habemus Titum Liuium, qui lib. 34. Caium Oppium Plebis Tribunum Catonem ipsum redarguentem repręsentat textu ipso sui voluminis de originibus, in hæc verba: *Tuas aduersus te origines reuoluam*. Recensita Catonis opera ab Auctore Epitome Liuij annalia, ab alijs verò historiæ appellantur, quorum tamen ad nos quædam solummodo fragmenta peruenerunt, vt integri operis interitum iure optimo lugeamus.

Alicarn. lib. p.

Cuius nam verò Sempronij sint fragmenta ab antiquario nostro edita, quę compendiariam quamdam diuisionem, & Italiæ cronographiam perstringunt, anceps hæreo ex eo, quod bini fuerint huius nominis historiarum Scriptores, nempè Caius Sempronius Tuditanus, & Sempronius Aselio, qui simul eodem tempore Romæ floruerunt, vt ipsemet Vossius tradit, & nos supra retulimus. Si nomen ipsum attendimus, Primus vtique erit Annianus, nàm ipse Annius eum Caium Sempronium appellat. At verò in his nolo immorari, cum certum sit ex Plinio, Gellio, & Alicarnasseo ambos historiarum libros scripsisse. Tuditani appellabantur comentaria, ex quorum lib. 13. Plinius testimonium deprompsit, volumina à Cassio Hemina Scriba è Numæ sepulcro eruta, duodecim fuisse. Aselionis verò dicebantur Historiæ Romanæ, quarum lib. 14. vbi lego quod citat lib. quin tum Aselionis citat Gellius, & alij teste Vossio quadragesimum. Ex Alicarnasseo verò habemus, quod in hisce historijs lib. p. continebatur historia Romuli, & Remi, quomodò fuerint expositi, & in tuguriolo Faustuli à Lacca Laurenta eius vxore enutriti. Hoc præcipuè adnotaui, quia hoc quoque in Anniano fragmento narratur, ideoque valdè probabile est ab illo fuisse desumptum.

Plin. lib. 13. c. 13.

lib. 2. c. 13.

Vltimò

Vltimò tandem itinerarium Antonini discutiendum venit. Omnes vna voce concedunt illud fuisse perfectum, & integrum cum per omnes Mundi regiones Romano Imperio subiectas discursum instruxerit; tale quoque illud est, quod nunc circumfertur, ipsumque vna cum Cluuerio verum, & legitimum Antonini opus Vossius agnouit. Annius etiam suum quod profert itinerarium antiqui detrunca tum monumentum asserit, quod tantum semitas, & stationes Roma in Galliam vsque ostendat.

Quis igitur tam claro lumine perfusus vlterius volens cæcutiet, ne videat, adeoque apertis rationibus saxea ceruice reluctans inficias ibit, Anniana opuscula, non integra, & perfecta esse Auctorum opera, sed minutiora quædam fragmenta, quæ cum ad id, quod vnicè intendebat de Patriæ antiquitate suadenda, optimè conducerent, summo studio, ac irrequieti diligentia, & labore in vnum collegit, disposuit, notis illustrauit, totumque ex his consarcinatum Antiquitatum volumen composuit, in quod tam acriter hucusque sæuitum dolemus.

Multa, quæ Vossius adducit, nobis fauent. Elocutionem Priscorum, & stylum trutinamus. Quo nam pacto rudis Antiquorum, & Recentiorum latina phrasis discriminetur. §. 13.

ERuditissimus aduersarius noster Vossius copiosam argumentorum segetem, ad stabiliendam fragmentorum Annij legitimam originem, dum acerbiùs lacessit, nolens exhibet. Et hæc sit tertia, eaque potissima ratio. Vossius vltrò fatetur a recensitis Auctoribus collecta fuisse fragmenta, quæ vtique cum Annianis eiusdem sunt argumenti. De Fabij fragmentis hæc habet: *Quæ ex Fabij Pictoris annalibus veteres referunt ea partim sunt de antiquitatibus Italiæ, & Vrbis; partim de gestis Populi Romani*: Et vlteriùs progrediens adnotat, collectores fragmentorum Fabij quædam prætermisisse, quæ in alijs Auctoribus reperiuntur, quę etiam vt Fabiana fragmenta admittit; *Eos, qui fragmenta Fabij leuius collegere, fugit locus*

iste Eutropij. De Catonianus quoque fragmentis de Catone ipso agens Vossius ait, quod ex eorum stylo Catonianum elocutionem elicere possumus, pluresque alias operum Catonis reliquias ex Gellio extrahi posse eius verba sunt. *De stylo Catonis, non aliundè magis coniecturam capere possumus, quàm ex luculentis aliquot fragmentis, quæ apud veteres leguntur.* Ac tandem lib. 1. c. 8. Sempronij fragmenta suscipit, loquens de Aselione, quem à Bartio emendatum scit in hæc verba: *In Sempronij Aselionis fragmentis quædam emendat, & illustrat Bartius.*

Verùm dum hæc admittit vt legitima, Anniana vt commentitia refellit nulla alia ratione, nisi ob barbaram, & luculentam elocutionem nimiùm à politiori Romani sermonis venustate, ac munditia desciscentem. Hinc ingenita Hæreticorum petulantia in Catolicos viros sacris altaribus muncipatos, Annium malignum appellat, Asinumque deprædicat. Audi feculentum encomium: *Dignissimus profectò erat, vt feno semper vesceretur, qui de ceteris malignè adeò sentiret, vt eos putaret, veluti Arcadiæ pecuaria inter mellita Fabij bellaria, & musidum Annij fanum distinguere non posse.* Mitissimus igitur encomiastes intendit Antiquarium Viterbiensem pecuaria stoliditate sibi suasisse, vel callida malignitate alijs suadere voluisse, nullum esse discrimen inter suauissimam Fabij, cœterorumque antiquæ latinitatis Patrum elegantiam, & rudem, vilem, ineptamque sui ipsius elocutionem. Voss. de Poe. lat. lib. 1. cap. 3.

Stylus igitur Fabij Pictoris apud Vossium, Marci Catonis, & Caij Sempronij erat dulcis, suauis super mel, & fauum, adeò vt ferè, & Tullianum exuperaret, & Liuianum anteiret. Oportebat tamen sui memorem esse; eodem enim capite agens de Fabio, eòque adeò celebri encomio Annium excipit, ex sententia Ciceronis dixerat: Fabium, ceterosque eiusdem temporis Romanos Scriptores minùs cultæ, ac rudiusculæ fuisse elocutionis: in hæc verba: *Cicero in p. de Legibus, omnes, & istius, & proximi temporis Scriptores planè exiles esse ait.* Et iterum post duo capita phrasim Catonis censorio iudicio euentilat, ibique dialogizantem cum Attico Ciceronem in hanc causam adducit, in qua Attici sententiam præualuisse ostendit, eumque sic allocutum: *Ego Catonem vt Ciuem, vt Senatorem, vt Imperatorem, vt Virum denique, tum prudentia, tum omni virtute excellentem probo, orationes autem eius, vt illus temporis* Tull. in Bruto.

valdè

valde lando; significani enim quandam formam ingenij, sed ad modum impolitam, & valdè rudem. Hocque de stylo, & elegantia orationum, verum de sermone originum, Tullium vti blasphemum redarguit, quod Tucididi Atheniensi, ac Filisto Syracusano comparare non erubuerit: his verbis: *Tu ne istis comparas hominem Tusculanum (sic à Patria Catonem appellat) nondum suspicientem quale esset copiosè, & ornatè dicere*. En ergò elegans, comptus, florens, lacteus, melifluus, aureus Catonis sermo, cum nec si sint elegantiæ, & ornatus dicendi vnquàm somniauerit?

Prisci illi Scriptores eiusdem vtiq; venustatis, & elegantiæ stylo vtebantur (ipsius Romanæ eloquentiæ Principis testimonio) quo & annales maximi fuerant conscripti; nomen à Maximis Pontificibus deductum: hos enim primos historiarum Scriptores Roma recenset sub Romulo, vel saltem sub successore Numa; eorum igitur elocutio: *Sine vllis ornamentis*: eo quod illius tempestatis Scriptores: *Non tenebant quibus rebus ornaretur oratio; non ornatores rerum, sed tantummodò narratores*. Fuit igitur Priscorum sermo adeò inelegans, ac rustica quadam simplicitate incomptus, vt eloquentiæ Princeps de eo pronunciauerit: *Quod nil tàm exile, quàm isti omnes*. Horum tamen non phrasis culpanda, sed temporum conditio, adhùc enim inter infantiles fascias, puerilesque habetudines veluti ineptiebat Romanorum sermo, nondum defæcatus ab imperfectionibus, quas secum detulere à vicinis Latinorum Mappalibus, agrestes illi, & rudes, qui ad nouas implendas sedes conuenerant; ac propterea Primi Romanorum ità loquebantur vt in tuguriolis, & pascuis, inconcinnè, non verò sicuti in Foro, in Curia, in Academijs lepidissimè audimus. Ità Ennius de Auctoribus qui eum antecesserant, ait

Fest. in Satur.

- - - Scripsere alij rem
Versibu, quos olim Vates, Faunique canebant;
Cum neque musarum scopulos quisquam superaret,
Neque dicti studiosus erat

Ennium nihilominus, & Lucilium pariter fæculento admodum, & luculento stylo scripsisse notissimum est, nec enim adhùc ea ætate ab omni sorde, defæcata verba intonabat Romanorum lingua. Virgilius iactabat se ab Ennij stercore gemmas seligere, innuens quàm rudi sermone prætiosissimi eiusdem conceptus conuestirentur; attamen quot verba, insuper

& integra carmina ab eodem excerpserit indigitat Macrobius. Lib. 6.
Verùm nec ipse Maro solem se præstitisse ostendit, qui radijs volutatur in cæno, nec maculatur à sordibus, sed fæces ipsas inaurat, ex illo enim perlutulenta Ennij carmina studioso incessu perambulans plures non facilè detergendas maculas cōtraxit, id tamen data opera fecisse voluit Seneca, vt de ipsa antiquitate Populi plausum venaretur, his verbis: *Virgilius noster non ex alia causa duros quosdam versus, & enormes, & aliquid supra mensuram trahentes imposuit, quàm vt Ennianus Populus agnoscerunt in eo carmine antiquitatis aliquid*. Ennij verò ruditatem Ouidius etiam in vna defensoria ad Augustum carpsit cum ingenium celebrasset

Grauis Ennius ore:
Ennius ingenio maximus, arte rudis. Trist. lib. 2.

Lucilium verò Horatius sugillauit his verbis

In hora sæpè ducentos
(Vt magnum) versus dictabat stanspede in vno, Sat. 4. lib. 1.
Cum flueret lutulentus.

Quid igitur Vossiano palato inhæserat cum fæces, & lutum sacchari, & mellis ei saporem redderent? Accipe huic consimilem.

Sic fautor veterum tabulas peccare vetantes, Epist. 1. lib. 2.
Quas bis quinque viri sanxerunt: fædera Regum,
Vel Gabijs, vel cum rigidis æquata Sabinis:
Pontificum laudat libros, extollit, & vsque
Dictitat Albano musas in monte locutas.

His innuit Horatius eorum iudicium, qui ea tempestate optima quæque fastidientes, voces iam tumulatas gustatissimè excipiebant, rudemque Fabularum Legalium stylum incomptum, & horrisonum, quo per decem viros fædera a Romulo, & á Primis Romanorum Regibus inita cum Gabijs, Sabinis, alijsq; finitimis, fuerant exarata. Tantaque animi voluptate perfundebantur quoties eis sinniebant in auribus voces illas inconditas, ac rudes Annalium maximorum, quę ex institutione Pompilij conscripta fuerant, vt suo genio indulgentes, illorum æuo musas ipsas Pindo, ac Parnaso posthabitis in Albanorum, Latinorumque montium prærupta gymnasium aperuisse Romanorum infantes grammaticam edocturas crediderint.

At quam intollerabilior fuit, & ipso indigna, Vossij negligentissima inconsideratio, dum in eodem folio dictorum con-

trarietatem, assertionumque repugnantiam non aduerterit, crassaque supinitate soler tissimam suam in omnibus vbiq; seruatam diligentiam dormitare permiserit. Equidem si tam alto furfure infectum depræhendisset Iuuenalis tenuissimum puluerem ab alio abigere intentum, vtique Satyram in eum direxisset

Iuuen. sat. 2.

Quis Cælum terris misceat, & mare cælo,
Si fur displiceat Verri, homicida Miloni,
Clodius accuset Machos, Catilina Cethegum,
In tabula Scylla si dicant discipuli tres.

Non minoris certè admirationis est; Vossium stoliditatis, & supinitatis notam inurere Annio, cum ipse adeò cæcutierit, vt reddat in idem, ac si Caius Verrus Prouinciarum expilator latrũculũ triobolarẽ impetijsset: vel si Milo, qui Clodiũ iniquissimum iniquissimè sustulit homicidas execraretur: si Clodius idẽ adulterijs saginatus, & sororis etiam fœdissimo strupro conspurcatus, leuissimas carnis lubricitates in aliũ repræhẽderet: Si Lucius Catilina nequissimus in Patriam conspirator Lentulum Cæthegum criminis socium in scelere damnaret; idem tandem mecastor, ac si Antonius, Lepidus, & Octauianus, feralis ille Romani Imperij Gerion integram Monarchiæ molem triplici in parte discerpens, in tabulas Scyllæ damnationis inuectiuas perorarent, quasi nimium ciuili sanguine rubricatas, ac madentes, cum ipsi sæui Magistri effæratiores discipuli tot, tantosque ciues Patria proscripserint, & truculentissima sæuitie innumeros equestri, ac senatoria dignitate spectatissimos viros sustulerint.

At ne Arcadicis simul, & Beoticis pecudibus me quoque interserendum censeat, fortassis existimans eò me collimare, vt ex phrasis, ac styli similitudine firmissimè statuam, codices Annij verè eos esse, quos Fabius, Cato, & Sempronius edidere, cum vtriusque par sit impolitus sermo, & rudis elocutio; apertissimis verbis id me vnquam cogitasse obtestor; nec enim adeò sum luminis expers, quin videam quantùm inter ipsas etiam impolitas ruditates sit discriminis. Prisci etenim Latini Auctores barbarè quidem, at sine barbarie, hoc est, sine admixtione peregrinarum vocum scripsere, sed eorum sermo integrè, & ex toto Latinus erat, licèt non dedolatus ab arte, & ad mulcendas aures minimè aptus. Huiusmodi erant hymni sacri, quos Salij Ancilaria festa ex Numæ instituto longo agmi-

ne agentes in Martis cultum deuota oris modulatione canebant. Huiusmodi quoque stylo duodecimo tabularum leges erant exaratæ, & eodem pariter poemata Liuij Andronici, Neuij, Ennij, Pacuuij, cæterorumque Vatum vsque ad Lucretium, in quibus omnibus frequenter legimus: *Terrai*, *Naturai*, *Frugiferai*, *Hemones*, *Quoi*, *Frudes*, *olli*, & mille his similia inconcinna, & aspera, quæ omnia Tullius, cæterique Romanæ eloquentiæ Patres tumularunt.

Vnicum exemplum subijcio ex Neuio, quem asperum, & siluestrem Ennius dixit, aliquo fortè æmulationis, ac inuidiæ, liuore permotus; cui tamen Neuius, si per mortem licuisset, cum Iuuenale dicere potuisset,

Loripedem rectus derideat, Ethiopem albus

siue cum Martiale

Nostra quidem mala sunt, nec nos manifesta negamus,
Hæc mala sunt, sed tu non meliora facis.

Tullius quoque tale de Neuio iudicium protulit: cum tamen nec ipse ab antiquorum fœcibus semper fuerit exemptus. Tacitus enim, siue Quintilianus sit illius opusculi Auctor, adnotault: *Priores eius orationes non carent vitijs antiqnitatis*: & paucis interpositis subdit: *& veluti in rudi ædificio firmus sanè paries, & duraturus, sed non satis expolitus, & splendens*. Nos verò ad euidentiorem horum certitudinem initium poematis Neuij de bello Punico ab ipso Vossio desumptum hìc transcribimus. An sui sęculi Oratores antiquitatis, & quare cōcedant.

Quei terrai latinai hemones tuserunt
Vires, frudesque Poinicas fabor . . . . .
Marcus Valerius Consul partem exercitei
In expeiditionem ducit. De histor. lat. lib. 1. cap. 2.

Audistis ne sermonis elegantiam, venustatem, armoniam? quàm concinni, & aurem titilantes concentus? Non nè Tullius, & Quintilianus ipsi mellitæ huius eloquentiæ suauissimo tinnitu pellicerentur? Nihilominus Martiale adhuc superstite fastidiosuli quidam reperiebantur, qui eiusmodi obsoletas voces, & cariosa verba deperibant, & quæcunque perpolitè dicerentur auersantes, à ducentis annis funeratas rusticitates, horrisonosque boatus in vnum reuocare nitebantur: Inter hos Vates ipse quemdam recenset Crestillum, quem iusto furore percitus tali epigrammate perstrinxit;

Carmina nulla probas, molli quę limite currunt,
Sed quę per salebras, altaque saxa cadunt:
Et tibi Meonio quod carmine maius habetur
Lucilli: Columella hic situs Metrofanes:
Attonitusque legis, terrai, frugiferai,
Accius, & quidquid Pacuuiusque vomunt.

Huius generis erat Barbaries, qua prisci Latini exundabant, & ea, quoque historiæ, atque annalia Fabij, Catonis, & Sempronij scatebant. Verùm barbaries, quæ Posterorum Latinum obscurauit idioma, corruptissimæ infectionis vitium fuit, ab ingruentium barbarorum Scitharum, & Sarmaticæ gentis teterrimo eloquio in Latium, & vbicunque Romanorum lingua erat in vsu, infelicissimè inuectum. Teterrimæ illæ Gentes vnà cum moribus labia quoque deprauarunt. Haud facile dictu quàm pernici, ac fermè insensibili pede hæc scabies in omnes sese diffuderit, omniumque sermonem corruperit. Ouidius ipse, qui vna cum lacte politiorem, simul & venustiorem hauserat loquendi formam, tùnc enim flos ipse puritatis, & nitoris Tulliani eloquij Romæ vernabat; nihilominùs inter Getas Patriâ proscriptus per Augustum à duobus annis commoratus, sermonis puritatem, ac verborum munditiem barbarorum fœce denigrare cæperat; ideòque ab exilio Romam scribens amicos precabatur, vt ignoscerent, si quo modo scithica duritie latinum sermonem asperaret, vel fœda illorum caligine Romanum nitorem conspurcaret: Ita anno secundo sui exilij scripsit,

Si qua videbuntur casu non dicta latinè,
In qua scribebam barbara terra fuit.
Thraicio, Geticoque fero circum sonor ore,
Vt videar Geticis scribere posse modis.
Crede mihi timeo, ne sint immista latinis,
Inquè meis scriptis Pontica verba legas.

Huiusmodi autem fęculenta verborum colluies, rudissimumque per ingruentes Barbaros immissum inter Latinos eloquium, octingentis annis perdurauit. Petrarca ipse, Giouio teste: *Litteras à multo miserè sepultas à Gothicis tumulis excitauit.* At forti animo, nec imbecilli audacia pro aris, & focis contra exurgentem elegantiam pugnauit sauciata barbaries, & adhuc, ne ornata verborum mundicies suo iugulo intentet, & pœnitus exturbetur de Imperio, dura obstinatione conten-

contendit. Quicunque ergo rudi barbarie exundantes Fabianos, Catonianos, Sempronianosque codices, quos tradidit Annius, asserere vult, vtique, non de prisca Latinorum, sed de recentiori, quum Gothi, Scithæ, ac Sarmatæ in Italiam inuenere, id intelligendum oportet, si per Annium ipsum illa omnia commentaria confecta contendamus; istiusmodi enim est ea barbaries, qua cuncta Viterbiensis Antiquarij scripta copiosissimè scatent.

Sed vt verum fateamur, quod & cuilibet codices illos intuenti apertissimum erit, non tali pacto barbara sunt opuscula illa, Priscis Auctoribus attributa; nulla enim in illis depræhenditur externa barbaries, sed cuncta Priscæ linguæ latinæ rusticitatem redolent: secus verò in commentarijs proprio Annij calamo exaratis, in his agminatim externa barbara verba leguntur. Ille enim vnicæ veritati studens, hanc nudam, nullisque verborum lenocinijs circumornatam tradidit. Et ipse fortè, à prima sui adolescentia sacris addictus scientijs, in quibus non venustum, sed verum contemplabatur phaleratum texendæ orationis artificium minimè *sciebat*: quod in prefatione voluminis ingenuo candore fatetur his verbis. *Ornatum, & elegantiam non profiteor, sed solum, & nudam veritatem; quare cuilibet cedo in copia, & ornatu dictionis*. In periodis exornandis, perpoliendis, in seligendis amænioribus verbis, sermonemque totum ad elegantiarum leges reuocandum minimè se dedit Annius, à puero enim, cum hæc addiscuntur fortè nec magistrum ad id aptum habuit, quod liberè adhùc perpolita sermonis elocutio non per omnes scholas excurreret, sed tantùm apud instauratores suos pœnitioribus quasi latibulis delitescens, minimè omnium amplexibus se se peruiam præstabat, sicuti hisce nostris diebus, cum iam omnium facultatum professores eleganti stylo proprias promere lucubrationes pro viribus satagant, etiam inuita Minerua. In his ergo de Antiquario nostro illud repetam, olim quod de Lucillio retulit Venusinus.

Si foret hoc nostrum fato dilatus in æuum Hor. sat. 10. lib. 1.
Detereret sibi multa, recideret omne, quod vltra
Perfectum traheretur.
Sæpè caput scaberet, viuos, & roderet vngues.
Sæpè stylum vertens, iterùm qua digna legi sunt
Scripturus.

At verò Gothicæ, ac Sarmatæ comentariorum Annij barbaries Priscorum Romanorum textus, quos ad lucem reuocauit, minimè deturparunt: nullæ enim in illis à latinis magistris peregrinæ voces, quod quidem nedùm ostendit non vnum tantum fuisse illorum operum Auctorem, verùm etiam extra omnem suspicionis aleam euincit ea esse, qualia ab Annio inscribuntur, Antiquorum scilicèt, quos recenset fragmenta, quę nec à posteriori barbarie polluta, & minimè eleganti prisci temporis vultu exundantia, quasi congenita Progenitorum suorum lineamenta præseferunt, sicque ex sola effigie sublatis etiam nominibus quilibet ex Auctoribus opus suum dignosceret, illudque cum Ouidio alloqueretur.

Vt titulo cares, ipso noscere colore,
Dissimulare velis te licet esse meum.

Quòd si fortè dubium aliquod ingereret, nullum ex iam antiquatis dictionibus, de quibus supra specimen exhibuimus, in his commentarijs esse immixtam, cum verosimile videatur prototypa his conspersa fuisse, eo quod essent in vsui te monitum velim, eas omnes Collectorum, & Amanuensium diligentia fuisse deletas; sicque antiquatas ruditates auersantes: Hemones in Homines; Frudes in Fraudes; Poinicas in Punicas; Exercitei in exercitus; Fuserunt in Fuderunt; Terrai Frugiferai in Terrę Frugiferæ; Olli in illi, elegantiori moderni leporis pronunciatione immutarunt. Pari exilio verba omnia his finiti ma, vel similia recentiores amandarunt, ita vt vix vnum supersit, nec etiam penès eos Auctores, qui sententias, placita, integrasque orationes Antiquorum primæui styli, ac rudis elocutionis suis in operibus interseruere. Apertissimum de his habemus testimonium in Liuio. Hic enim cum perplures Antiquorum sententias, senatus decreta, conciones populo habitas pro rostris, orationes à Ducibus in bello, à Legatis in missionibus, responsa quoque Priscorum Consulum, Prætorum, omniumque magistratuum, ipsis hisce dictionibus, quæ tunc erant in vsu in suis historijs inseruerit nullam tamen ex rusticalibus vocem commiscet. Quod si aliter cum Poetis actum, id leges carminum fecere, immutatis enim syllabis, vel ad limam reuocatis vocibus, vtique obtruncatis pedibus versus non excurrerent. Verùm in libera oratione hisce legibus minimè alligata, ne glaberosis illis dictionibus exasperaretur latina elocutio, omnes explosæ fuere.

Hisque iam satis patere censeo, Annij sinceritatem circa fragmenta Fabij, Catonis, & Sempronij, cum minimè aspernandis rationibus probauerim ab ipso non fuisse conficta; nec minus probabile reddiderim ea legitima esse integri operis fragmenta, siuè à Guilielmo illo, de quo supra, vel ab Anonimo aliquo collectore.

Legitimum esse Itinerarium Antonini illud expositum ab Annio, Spurium econtra illud approbatum à Cluuerio, & Vossio.

§. 14.

NVnc igitur discutiendum occurrit nec ne quæ exposuerit Annius sint verè integri Itinerarij Antonini fragmenta, vel figmenta? Nec immorandum qualis sit iste Antoninus. Id & Vosius ignorat, & nihil facit ad propositum; tantummodò euentilanda quæstio, an hęc fragmenta Antonino Pio inscripta sint vera, vel conficta.

Id totum pendere censeo ex peruestigatione, an Perfectum Itinerarium, quod nunc circumfertur, & cuius Auctorem faciunt Antoninum Pium, verè sit tale; nam si hoc legitimum est, vtique Anniana fragmenta erunt falsa, eo quod in illo perfecto hæc non reperiuntur. Vosius libro primo, in quo de Tito Liuio, & libro tertio, in quo agit de Antonio Augusto, Primum tantummodò Itinerarium legitimum agnoscit, cęteraque omnia in hac materia, & tali nomine insignita vt nugationes, & figmenta expung t. in his vtitur subsidio Iosię Sinleri, cuius opere, & diligentia tale itinerarium, à mendis expurgatum, commentarijs illustratum Hieronymus Surita typographus primò edidit. Et auctoritate Philippi Cluuerij, qui hoc recepto, & approbato, Anniana fragmenta explosit. Hisce subsidijs; & auctoritatibus sibi consuetas rationes infibulat, his verbis. *Ioannes Viterbiensis commentus fuit itinerarium quoddam Antonini, ac cunctis obesæ naris vt germanum obstrusit, quo sanè nihil indoctius, atque insulsius.* Videsne quam efficax sit Vosianum hoc argumentum. Annius verò modestiam, & scientiam religioso vinculo innectens longè alia

via procedit. Sciens enim in litterarum agone non contumelijs, sed argumentis, non conuitijs, sed rationibus dimicandum; ideò si Itinerarium à Cluuerio, & Vossio impensè laudatum, vt illegitimum expungit, id quadruplici ratione confirmat.

Prima. Euulgatum illud Itinerarium obtruncato capite sine vlla prefatione, vel preliminari discursu, contra communem librorum consuetudinem, excurrit, & ad instar tragicarum declamationum ex abrupto ab itineribus Africe initium sumit. At nimis certè desipuisset Auctor si acephalo edito libro antrocephala ipsa Gangitana monstruositate superasset, de quibus Plinius, & cum eo quotquot Ctesie fabellis fidem prestant, tradiderunt; quod dempto capite incedunt ne dignoscantur, & in humeris lumina frontis defernnt, ne fortè quod oculos in calcaneo habeant insimulentur.

Secunda ratio est. Sene sunt frequentiores viæ Româ in Galliam, nec vlla ex his in enulgato illo Itinerario recensetur; ab Antonino posthabitas fuisse minimè credendum; cum enim esset Imperator, & Rome degeret, vtique eas omnes optimè nouerat. Itinera verò, que ab Vrbe in Gallias eo in intinerario describuntur, nullum ex interiacentibus Castrls, proprio, & tunc vsitato nomine appellat.

Tertia ratio est. Illud Itinerarinm vias omnes, nedum Europe, verùm, & Africe, & Asie milliaribus Romanis metitur, quo pacto dissitis illis in reglonibus, vbi tales commensurationes propinquitatis, & distantie omninò erant ignote, minimè poterat inseruire; illisque tantùm Gentibus aptum, quibus itala hec milliaria erant in vsu; ideòque nec generale vocandum, cum maiori parti Gentium, & Populorum nihil poterat prodesse. Nihilominùs non est ambigendum, quin Antoninus omnibus, maximè verò Romanorum Ducibus, quocunque tenderent, profuturum coufecerit. Verùm ad id adamussim inseruire potuisset, si, vt in Anniamo fragmento apparet, fuisset dispositum. Sensim enim itinerantes ab vno ad alterum locum per ordinatas itineris stationes; manuducit, & proprijs nominibus, quibus tunc temporis obuia queque loca appellabant indigitat; ideòque nescientibus quoque quanta distantia, vel stadium importet, poterat esse vsui.

Quarta denique ratio est. Euulgato, ac ab Aduersarijs recepto in itinerario, nedùm perperam antiqua reticentur locorum,

corum, atque Ciuitatum nomina propria, & illa tantummodò, quæ post linguæ latinæ corruptionem, & à quolibet ex Antoninis longa temporum intercapedine obtinuerunt, reponuntur; verùm & Ciuitates nouitèr extructæ post obitum Auctoris recensentur. Det exemplum Florentia, hæc obuia ponitur in descriptione itineris Luccà Romam, cùm tamen omnibus notum sit Florentiam in Ciuitatis copiam, & dignitatem tali cum appellatione surrexisse, non nisi post omnes Antoninos Cęsares. Hoc idē apertius de Cōstātinopoli. Vndè satis euidēter euincitur Auctorē post Antoninū floruisse, suūq; itinerariū (ex animi benignitate cōcedit Annius) ex Antonianis fragmentis consarcinatum, illudque pluribus immutatis nominibus, multis additis locis, quæ tunc non extabant, cęterisque cōmensurationibus itala milliaria præferēdo, in faciliorem suorum temporum vsum accomodasse. Et fortè Eticus Philosophus, quem inter latinos historiarū Scriptores memorat Vossius, illius itinerarij fuit Auctor, cū nec desint, qui in citationibus itinerarij, illud ei tribuerint. Notum est eum Cosmographica quædam commentaria edidisse, binasque habitabilis Orbis descriptiones: de tempore, quo floruerit ambigitur, certè tamen post Magnum Constantinum, & ante D. Isidorum Hispalensem Antistitem, eo quod ipse testatur Constantinopolim à Constantino nomen traxisse, & à S. Antistite bis in libris suis de originibus 4. fil., & 19. citatur.

En igitur quanta eruditione, ac modestia pro sua sententia disseruit Annius: quod asserit probat; nihil reprobat, nisi rationibus innixus: Non admissum itinerarium minimè vt falsum, vel per fraudem inductum condemnat, sed in statu suo puræ incertitudinis relinquit; nec ei fidem, vel auctoritatem adimit, cum vltrò concedat ex fragmentis integri Antoniani itinerarij ab aliquo erudito forte coaceruatum, ac reformatum prodijsse.

Tuum sit humanissime Lector, vtpotè, partium affectionibus omninò expers, iudicare, quænam ex binis hisce sententijs veritatem propiùs attingat: nec diffiteor quin pro Annio tuum stet iudicium, quòd probra non impingat, sed argumenta adducat: illud enim emoti animi, hoc candidæ mentis est indicium. De hostili ergo impostura tryumphat Annius, maximè verò quia Collectorem fragmentorum adducit

ducit his verbis in præfatione. *Ex collectaneis Magistri Guilielmi, collectis anno salutis M. CCCXV.* A centum igitur, & octoginta tribus annis manuscripta in Musæis hęc fragmenta asseruabantur priusquàm per Annium a Typographis euulgarentur. Quid ampliùs contra effutiet dura proteruia? Verè cum Ouid. calumniatorem monebo.

Desine si pudor est hominem damnare malignè
Nam tua te solum hac improbe dicta prement.

Et hæc pro vindicijs circa Latinorum fragmenta sint satis.

Propulsatur criminatio quod Græcos, & Barbaros Auctores falsauerit Annius; & primùm veritas de Manethone AEgyptio stabilitur. §. 15.

VErum ne aliqua ex parte Annij sinceritatem nutantem sinamus, hoc firmiter stabiliendũ, scilicet huiusmodi ab ipso edita fragmẽta sint ne vera, vel conficta, nihil ad ipsum, sic etenim mutilata, & manca ex M. S. collectaneis Mantuę habitis exscripsit; quod quidem de Metastene, Mirsilo, Archiloco, Xenophonte, ac Philone expresse fatetur: Berosum pariter à quibus acceperit ostendit; Verum de Manethone, neque verbum, ideòque difficilior nobis sternitur via, vt eum a calumnijs vindicemus. Nihilominùs si cęterorum fragmenta non est commentus, vtique nec Manethonis; ad extruendam enim de Patriæ antiquitate sententiam à fraudibus, a mendacitate opem querere non indiguit, cum à legitimè habitis tot firmissima exhiberentur argumenta.

Et si modum, quo ad manus ei peruenerit Manethon, Annius non edisserat, minimè tamen hac vice falsarij nomen ei Vossius impingit. Verum id non ex animi benignitate, sed præ nimia conuitiandi lassitudine ommittit: Eum enim iam tędere dicit Annianas fraudes detegere, mendacia euulgare, & carpere (vllum tamen, & si toties in eum surrexerit, ostendit) & silens igitur, & loquens æquè semper Annio iniurium, & iniquum se præstat: *Et hinc omnis pendet Lucillius.* At nos pro sinceritate Antiquarij nostri de Manethone dimicemus.

Nec tamen probandum aggredimur Annij expositum libellum cuncta Manethonis opera compræhendere; Equidem per Eusebium Cęsariensem nos non latet illum Dynastiarum omnium historiam scripsisse; hoc est Ægiptiarum Dominationum omnium ab Orbe post diluuium renouato exhordiens ad Nectanabum vsque vltimum ex Pharaonibus in Ægypto, quem prælio victum in Æthiopiam vsque fuga se recipere adegit Artaxerses Ochus, Auus Darij, cuius post obitum ipsa quoque Persarum Monarchia funerata est. Pręter tantæ molis opus Ptolomæo Philadelpho Ægyptiorum Regi dicatum alia insuper commentaria, & varia multiplicis eruditionis opuscula composuit, de quorum numero fortè erat fragmentum Annij, seù potiùs totius magni operis minutula pars.

Iosephus Iudæus in libro c. Apionem plura eiusdem Manethonis fragmenta excripsit, quæ cum nihil habeant de contentis in Anniano, apertissimè euincitur, hæc minimè esse illius integrum opus, sed vel tantùm breue opusculum ab alijs diuisum, vel totius Ægyptiorum historiæ collecta fragmenta. Verùm si licet, & nobis proprium in his promere sensum, vtique diceremus opusculum, de quo disserimus ex alijs collectis coaceruatum, non verò ex operibus Manethonis immediatè desumptum, eo quod hæc non extant, nec scimus ea vnquàm in Latium peruenisse. Plinius enim, qui diligentissima vestigatione infinitos feré scriptores in cathalogum redegit, Manethonem vnquam recenset, euidens argumentum de ipso nullam habuisse notitiam. Sed existimo Annianum Manethonem ex scriptis vetustissimi Manethonis compositum, quæ Eusebius in Chronicis adducit, sicque non immediatè ex historiali opere Auctoris, sed ex Chronologicis Eusebianis coaceruata fuerit huius libelli materia, quàm sic in ordinem digessit Collector, vt successiua narratione seriem Regum Dinastiæ Ægyptiæ cęteris coniungeret Regibus eiusdem temporis cęterarum Nationum, quæ in Eusebio sparsim, & a narratione aliarum rerum inter sectæ tantummodò habentur.

Vel dicamus hoc Annianũ opusculum pro parte esse epitome, vel breuiariũ magni operis ipsius Manethonis, quod, vt Vossio placet, Iulius Africanus in compendiũ redegit, à quo Cęsariensis ferè ad verbum Chronicas suas vniuersales excripsit

cripsit, ideò Iosephus Scaliger extra iniuriam dignitatis de illo dixerit *Eusebij Chronicon esse Africani Chronicon recoctum.* Hinc in eum iurasset Horatius.

Sic iterat voces, & verba cadentia tollit,
Vt puerum sæuo credas dictata Magistro
Reddere, vel partes mimum tractare secundas.

At qualecumque sit opusculum, si candidè primi sui Auctoris res continet, cur negabimus suum esse, vel suo genitori inscribere detrectabimus.

Verùm concedamus, quod huius libelli collectio facta sit ab Annio quacunque via ex iam recensitis id fecerit; adeò atrox, adeò immane commisit facinus, tam sacrilegum patrauit scelus, vt omnes impostorem, mendacem, falsarium plenis buccis conclament? quid falsi, quid ficti, quid ementiti hoc in opusculo depræhenditur? ostendant quæso, vt eis cedamus, & vt tandem iurgia compescant, á maledictis desistant. Collegit ergò Annius noster, vel quilibet alius ab extractis iam a Manethone historico, ac Sacerdote Ægyptio, series illas Ægyptiorum Regum, cum adiunctis Chroniculis aliorum Principatuum, vt ad finem Berosiani libri adnecteret, sic prosequendo historiales narrationes, in quibus Berosus finem imposuerat eodem stylo, ac modo, quo Berosus ipse proprias conscripserat; & hac de causa, eas series supplementa Manethonis ad Berosum appellauit: adeoque in vtrisque consimilis est phrasis, vt vtraque vnius videatur Auctoris. Et hæc pro Manethone.

Annius vindicatur pro Archiloco. §. 16.

VAlidissimum erit pro Annij defensione argumentum ostendere, cæteros, quos excripsit libros ex collectaneis toties iam recensitis, non adeò execrabiles esse, vt Aduersarij perstrepunt; spurios, suppositios, nugacitatum, & mendaciorum sterquilinia. Expendamus in primis Archilocum, inter Græcos Historiarum Scriptores antiquissimum, & cæteris omnibus, de quibus superstes sit nomen, primum; floruit enim iuxta Cæsariensem Chronologiam anno secundo Olympiadis vigesimæ nonæ, hoc est sexcentis sexaginta annis ante Christi aduentum. Huius Auctoris profert

profert Annius exiguum quid fragmenti, quod vix vltra folium occupat, & hoc collector ab aliquo Auctore, qui id in suis libris transumpserat, excerpsit, vt de aliis quoque contigit: eo quod nec vnus superest, vel apud Græcos, vel apud Latinos Archiloci liber, ac propterea nec de eo vllam mentionem fecit Plinius, in argumentum quod omninò eum ignorauit.

Fragmentũ hoc Archiloci tres tãtùm breues Chronographias vetustissimas continet, quarum in vna describitur tempus, & quot annis regnauerint quattuor primi Babilonensium Reges, Ninurotus, Belus, Ninus, & Semiramis. Secunda pariter quando, & quamdiù vixerint sex primi Troianorum Reges, nempe Dardanus, Eristianus, Troilus, Ilus, Laomedon, & Priamus. Tertia continet quo tempore, & loco vixerint octo Homeri, quorum vltimus fuit ille Poetarum Princeps, & floruit Olympiade vigesima tertia iuxta supputationem huius Archiloci, quem ideò sibi Synchronon dicit. Testimonium hoc Archiloci de tempore Homeri refertur ab Eusebio in canone Chronologico; eodem ferè tempore Homerus in Græcia, quo in Latio regnabat Æneas Siluius, sic ille scribit: *Archilocus vicesimam tertiam Olympiadem, & quingentesimum annum Troianæ euersionis annum supputat, quo tempore Homerum fuisse putat.* Emigitur aptissimum argumentum, quo suadetur non suppositium, sed verum, ac legitimum Archiloci fragmentum, quod profert Annius, licèt Vossius tanto acore in eum inuexerit, vt euomuerit: *Edita ab Annio Viterbiense sub nomine Archiloci verè sunt nugæ, ac planè supposititia, vti alia plura, quæ ab impuro illo Annij fonte promanarunt.* Si quæ in Archiloco Anniano sunt nugæ, vtique, & illa, quę in Eusebiano continentur, quæ tamen vniuersali omnium consensu sunt approbata. Verùm sit Chrystallinus, situè Spissus Annianus fons, vtique ab eo non scatet riuulus iste, sed a Mincij lacu Mantuano. *At qui rerum caput, hoc erat, hic fons.* Et hæc pro Archiloco.

Pro Xenophonte propugnationes instituuntur. §. 17.

TEmporum ordo exigit, vt post Archilocum Xenophontem vindicemus; hic enim illo posterior ferè ducentis, & septuaginta annis, ni quis detrectet eum ipsum esse Atheniensem, Grilli, seù cum Annio, Griphi filium, qui Cyropediam de vita, & disciplina Cyri conscripsit, qui & discipulus fuit Socratis, Platonisque condiscipulus simul, & hostis.

Alij octo reperiuntur Xenophontes, & omnes pariter historiarum scriptores, ità ex Laertio, Suida, Plinio, & Solino excepit Vossius. Verùm licet Annius Xenophontem, de quo modo diximus, Auctorem editi libelli dixerit, minimè tamen plena, firmaque certitudine, sed & ipse in ancipiti pendet.

Operis titulus est, de æquiuocis: at omni æquiuocatione post habita, vniuoca dicacitate Vossius, vt de more, Aristarchum agit in Annium, nec mitiori stylo, ait enim: *Non à vero Xenophonte, sed ab Annio impostore confictum.* Hæcque tam libero, ac effręni prolata hiatu, nec auctoritatibus firmat, nec rationibus vrget, nec argumentis suadet, quapropter in caput suum mutuo ictu reciderent contumeliæ, si velimus; sed Apage, vt quæ in eum reprehendimus, ipsi sequamur: reddimus pro malo bonum, pro conuitijs, quos possumus, amplexus, pro iurgijs encomia. Et quidem, (si religionem excipias) omni elogio Volsium dignissimum prædico, est enim viuens eruditionum omnium Musæum, & illibatum humanarum litterarum sacellum; de quo, nisi hæresis macula nigerrimo theta macularet, sique in Antiquarium nostrum seruato moderamine minùs impudenter, ac insolenter irrueret, cum Prudentio cecinissē.

Prud. aduers. Simach. lib. 1.

O' lingua miro verborum fonte fluentem,
Romani decus eloquij, cui cedat & ipse
Tullius, effundens diues facundia gemmas.
Os dignum æterno tinctum quod fulgeat auro,
Si mallet laudare virum, cui multa debetur
Laus; sed dulcisonam temerando crimine linguam
Splendorem nitidi sermonis inquinat atro.

Sed

Sed posthabitis elogijs ad defensiones redeamus; his, quę de Xenophontis æquiuocis dicebamus, finem facturus in hoc quod opusculum illud non est adeò contemnendum, complurium etiàm Auctorum iudicio, vt nimis rigidus censor Vossius conclamat, nec adeò inutile litterarum professoribus; plures enim, & has selectiores notitias profert maximè ad Historicos; eo quod multa nomina æquiuoca, quæ confusionem in historia parere possent, dulucidat. Hinc benedictionibus, & plausibus, non verò iurgijs, & conuitijs cumulandus venit Antiquarius Viterbiensis, quòd eius opere, & studio e tenebris erutum libellum eruditissimis comentarijs aperuerit, & illustrauerit; per quæ omnia in opusculum contenta comprobat, & auctoritate plurium, nec dubiæ, vel infirmæ fidei, vel infimæ classis Scriptorum confirmat. De ipso igitur Xenophonte, quod de cæteris diximus, replicemus: sit incerti Auctoris, vtique non est incertæ veritatis, & in his quiescamus.

Metastenes alius à Magastene. Defenditur Annius contra Vossium, & Cano, quantusque fuerit eius in edendis antiquorum libris sinceritatis candor. §. 18.

NEC nomen ipsum Auctoris Annium integrè attigisse contendunt Critici, cum non Metastenes, sed Megastenes appellaretur. At quis non miretur, simul ac irrideat oppositionem adeò eneruatam, atque futilem? Quid si in nomine barbaro vna sit immutata littera? quod, & multiplici de causa potest euenire, nempe ex incuria, scriptoris, impressoris oscitantia, vel dicas etiam ex ipsius Auctoris inaduertentia.

non ego paucis
Offendar maculis, quas aut in curia fudit,
Aut humana parum rauit natura. Horat. de Arte.

Ità sentiebat disertissimus ille, qui tantum Annij mastiges superat.

Quantum Delphinis balena Britannica maior.

Vnica littera immutata his delicatulis adeo stomachum

com-

commouet? Quis est ille tam diligens, tamque pentieulatus scriptor, cui saltèm ex inaduertentia aliquid tale non contigerit? neque de triobolaribus, sed de primoribus quęstionem instituo. De illis quoque, qui inter recentiores maiori diligentia vigilauerint; de his, qui ad miraculum vsque eruditi, ne minusculo quidem næuo lucubrationes suas infuscarent, duro labore contenderint, idque assecutos fuisse communis sit eruditorum consensus. Vnum ex his fuisse Thomam Farnabium politioris eloquentiæ, profundioris eruditionis hoc sæculo facilè Principem, neminem detrectaturum existimo. Verùm nec huius celeberimi viri dedolatæ perque politæ leuigaturæ reperiuntur sine minutula scrobe: vtique, & in tam excelso lumine maculæ notantur, equidèm leuissimæ, quæ & si afficiant, non infuscant. Exemplum subijcio. Discusit, & perpendit doctissimus Auctor epigramma illud Martialis, in quo vni ex Catonibus ebrietatis notam festiuissimè inurit.

Quod nimio gaudes noctem producere vino:
Ignosco: vitium, Gaure, Catonis habes.

Farnabius hic pedem obliquum posuit, putans Catonem Vticensem vinosum fuisse, his verbis: *Cuius virtus sæpè meroincaluit*. Idque auctoritate Venusini confirmare intendit, cum tamen Horatius loco citato expressè id asserat de Marco Portio, qui primus ex Catonibus fuit, non verò de Vticensi: perpende textum.

Narratur, & Prisci Catonis
Sępè mero caluisse virtus.

Error hic quidem & si tollerabilis, maioris nihilominus vtique ponderis, quàm vnius litteræ immutatio in historici nomine.

Verùm nulla intercessit hallucinatio, nec litterę variatio, notat enim Annius quod Metastenes alius est à Megastene; Lib. 1. strom. Iste Græcus historicus, vt habetur ex Clemente Alexandrino, & Auctor quoque extitit Indicę historiæ, de quo Plinius lib. 6., vbi de Indis agit, quod à Seleuco Nicanore Rege Syriæ, cuius erat in famulitio, in Indiam missus fuerit cumque diù ibidem moratus fuisset indicis illis Regibus familiariter vsus, selectissimam Regionum, ac populorum notitiam sibi comparauit ad historiam, quam edidit, texendam. Quod etiam testatur Solinus cap. 53. verba ipsa

vt

vt ſui moris eſt, ex Plinio excribens, vndè Simia Pliniana eſt appellatus. Metaſtenes verò fuit Perſas, & Chronologiā ſcripſit. Huic Annij eſſertioni vtcunq; fauet Voſsius dum ait Metaſtenes non eſt nomen Græcum, erit ergo barbarum, & fortè Perſa.

At verò vltrò demus quod non ſit verum nomen, quod fuerit error, & lapſus in eo excribendo: concedamus quod dicendum ſit Megaſtenes, non Metaſtenes: hinc validum argumentum inſurgit Annium minime confinxiſſe librum, cum enim nomen Megaſtenis non ignorauerit, vtique, & ſuo commentariolo appoſuiſſet, vt ei fidem aſtrueret, non verò ſcripſiſſet Metaſtenes; cum ergo non appoſuerit, euidentiſſimum eſt Annium non eſſe libelli auctorem, ſed tali nomine inſcriptum cum reperiſſet, ſiue errore, ſiue ſupinitate Auctoris, vel excriptoris, maluit in ſua puritate relinquere, ne fidelitatem temeraret, quam in certum commutare nomen tot ab Auctoribus confirmatum, vt ab his laqueis ſe præberet exemptum.

Eruditiſsimus quoque noſter Magiſter Melchior Cano in Tridentina Synodo Theologus, Epiſcopus Canarienſis, vir acerrimi ingenij, doctrina, & vitę ſanctitate celeberrimi in ſuo nūquam ſatis laudato volumine de locis Theologicis aduerſus Annium fratrem ſuum ſatis vehementer excanduit. Non equidem, (vt ipſe teſtatur) quia libens Scriptorum maximè familiæ noſtræ vitia detegeret, ſed ne in publica ſtudiorum cauſa vllo modo præuaricaretur. Nos eadem pari intentione at maiori reuerentia repetimus. Noſtra enim, & Annij quoque intentio vnquàm fuit, vllum carpere, vel mundum litterarium illudere: Vnuſquiſque ſuo labore ſatagit in publicam vtilitatem proprias lucubrationes emittere. Et vix vnum reperiri poſſe ex eruditis exiſtimo, qui dum ſcriberet, veritatem attigiſſe non fuerit arbitratus. Ita pariter Annius, & Cano, quamuis hic in illum ſtylum intorqueat, & his quoq; adiungi nos volumus, licèt modò cōtra digniſſimum, doctiſſimumque Antiſtitem, quem *in ipſa Doctorum Dominicani inſtitisti Academia, integræ claſſis vicem præſtare potuiſſe*, Ait Garcia Societatis Ieſu eruditiſſimus Scriptor: pro Annio in præſenti ſtandum veritati magis conſonum, & æquitati conformius eſſe duximus. Mendacij Antiquarium Viterbienſem inſimulat Canarienſis Præſul, eo

Lib. xi. c. 6.

In prolegomenis Euangel. cōcionatoris.

quod Cambysem, quem Artaxersem Assuerum Priscum ipse appellauit, Darij Medi filium dixerit, contra ferè omnes vt ipse ore rotundo profert, Auctores, qu eumdem Cyri filium asserunt.

Verùm non hoc opus assumpsi vt Annianum Metastenem in nominand s Persarum Monarchis vnisonum redderem cum cæteris omnibus, qui de ipsis scripserunt, id enim fecere nobilioris famæ Auctores, quos Canariensem Episcopum minimè latuisse constat, cum de his mentionem fecerit cap. 6. lib. 11. sed hoc vnum præcipuè hinc ostendere intendo, qu od eò magis verùm sit Metastenem Annianum minimè ab ipso compositu fuisse quò, euidentiores cum cæteris omnibus, eisque peruijs scriptoribus, contrarietates continet. Cum enim ex alijs, per quos ostendit proprij sui ingenij acumen, & scientiam, apertissimè constet quantum in his litteris profundè fuerit versatus, minimè adeò crassas repugnantias ignorasse credendum; ac propterea, nisi eum summæ barditatis, ac stupidissimę supinitatis insimulemus, vtiq; concedendũ, quodsi eorum Auctor fuisset, a certissimis, hisque authenticis auctoribus ea commentaria adeò apertè minimè deuiarent; attamen tam integra fidelitate eadem edere voluit, vt magis elegerit aliquali proprij nominis iacturæ se exponere, quam à mendis castigata, non sua, alieno nomine euulgare.

Mirsilus Annianus defenditur ex his, quæ de eo habentur apud Alicarnasseum, Virgilium, & Plinium. §. 19.

MIrsili quoque Gnidij par erit, ac de cæteris iam recensitis iudicium; siuè enim verum, seù falsum sit id quod continet, hoc non officit, immò magis firmat Antiquarij nostri fidelitatem: qualem enim à coll ectaneis Mantuanis recepit, talem integre posteris reliquit. Aduertendum tamèn quod commentariolus ille plurimum conducit ad historiarum notitiam, maximè pro antiquitatibus Italię, quidquid sit de Auctore, eoqu od non reperitur quo tempore vixerit iste Mirtilus, an fuerit, quem recenset Alica rnas-

eus lib.p., & Plinius lib.3., vel alter, cuius tantúm meminit Suida. Minimè verò Auctoris parum firma certitudo, res quoque in libello contentas eneruat: nàm ferè cuncta huius commentarioli in Alicarnasseo reperiuntur, vt videatur vnum ab alio exscripsisse: quod etiam in præfatione testatur Annius his verbis. *Qui Dionysium in primo libro legit, etiam Myrtilum legisse videtur.*

Nihilominus Vossius nec mitiori calamo Annium exagitat, sed suo more eum, ipso inuito, huius commentarioli Auctorem facit, dum ait. *Myrtilus ipse est ipsius Annij proles.* Idque ijsdem probationibus, & auctoritatibus confirmat, quibus, & cæteras insontem Antiquarium turpissimas criminationes anteà illatas probauit: adeòque exertè, tamque firma sententia id asserit, ac si Anniani huiusce puerperij obstetricis vices subijsset. At cur quæso, si orbato huic commentariolo legitimum negat Genitorem, Alicarnasseo potius non attribuit? suis enim in libris veluti paterno in græmio eum fouet, ac tenero veluti amplexu adblanditur. Ne tamen omnes Mirtilum verum, ac legitimum huiusce opusculi auctorem credere abnuant, sciendum quod Auctor iste fuit Gnidius, seù, vt alij volunt, Lesbius; plura scripsit de rebus Italiæ, vt sunt ea, quæ in hoc opere continentur: historiam texuit belli, quod cum Siculis gessere Pelasgi, quandò scilicèt isti inter Græciæ Populos antiquissimi, primi Peloponenses, ac præcipuè Arcadas inuaserunt. Illinc posteá Arcade Enotrio ductore Colonia ex ipsis in Italiam deducta ei, quam occuparunt partem, Enotriæ nomen indidere, ob quam cum Siculis decertarunt. Enotrianæ fortè huic inuasioni allusit Virgilius cum primo Æneid. cecinit.

Est locus (Hesperiam Graij cognomine dicunt)
Terra antiqua, potens armis, atque vbere gleba,
Enotrij coluere viri, nunc fama, minores
Italiam dixisse, Ducis de nomine gentem.

Ex Plinio lib.3.c.7.habemus hunc Mirtilum scripsisse de nomine, & origine incolarum Sardiniæ, ab eiusdē Patria vtique longiùs distans quā Italia: non improbabile igitur omninò, quod & si Græcus de rebus attamen Italiæ egerit: & hoc idem est argumentum, ac materies eorum, quæ in Mirtilo Anniano continentur. Et his dicta sufficiant.

Breuiarium temporum Philonis Hebræi non est idem, ac liber Antiquitatum Biblicarum: error Vossij ostenditur: Huius libri sinceritas demonstratur: & ab oppositionibus Cano defenditur: §. 20.

BReuiarium temporum Philonis Hæbrei inscribitur vnũ ex pluribus ab Annio repertis, & editis vetustissimis monumentis, in quo breuis quædam continetur, ac veluti contracta chronologica historia ab Adam vsque ad Agrippam, ex successoribus Herodis Ascalonitæ vltimum Iudæorum Regem. Et hoc pacto optimam vult ostendere Philo temporum supputationem à mundi creatione ad vsque sua tempora, in quibus Romanum habuere Imperium Tiberius, & Caligula, apud quem suæ Gentis Legati munere functus est contra Apionem Grammaticum Alexandrinum, Hebræorum Alexandriæ tùnc degentium malignum accusatorem.

Verùm attētiùs considerandum aliud esse Breuiarium, de quo nùnc disserimus ab opusculo illo de Biblicis antiquitatibus, cui suam impingit censuram Vossius, & in hoc continetur historia ab Adamo ad Regem Saulem. Eius Auctorem fuisse Philonem consentit Viues,& Tritemiùs inter opera Philonis recenset sub hac inscriptione: *De generationis successu*. At in hoc, & occulatissimus Vossius hallucinatus est, hæc duo Breuiarium temporum, & de Biblicis antiquitatibus vnum, & idem opusculum existimans, ac ideò fastidiens vltra Annio detrahere Lectorem remittit ad Canum; indè verò Vossij hallucinatio deprehenditur. Nam, Cano, loco à Vossio laudato, Annium redarguit, non de opusculo de Biblicis antiquitatibus, sed de temporum Breuiario; dum igitur Lectores ad Cano remittit pro libello de antiquitatibus eumdem esse putauit cum Breuiario temporum, quod solum à Cano vt falsum reijcitur.

At si pro Philonis libello Vossius Annium satyrica sua dicaritate non exagitat, genio tamen indulget, nam ad Canum remittit, quem scit ei minimè parciturum. Sacer enim Antistes libellum turpissimè pessumdat, quod ex eo in sacram, & prophanam historiam errores vndique exiliant: Insuper ementitum, & suppotititium partum esse contendit, quod nec Eusebius, nec D. Hieronymus, nec Suidas ex antiquis, neque Tritemius ex recentioribus in albo librorum Philonis accenseant: Vlteriùs reprobat quia phrasis inculta, rudis, immò barbara, & quæ toto cælo à Platoniano stylo se elongat, cum è contra cæcutientibus ipsis compertum sit Philonem dissertissimum semper fuisse: hisce verbis se explicat Cano: *Auctor certè huius libri non solum mendacia consectatur, sed ad eo etiam historiæ rudis est, vt solos Hæbręos, nec præterea quemquam de prophanis scriptoribus legisse videatur.* Vndè cum latè se se diffundat in carpendis, & euincendis libelli mendacijs, ex ipsa postea phrasi ementitum vult hac ratione: *Nullo certè in loco Philo iste falsus Platonizat, sed vbique non modo indoctè, & indisertè, verùm incultè etiam, atque inornatè loquitur.* Et fortè vno verbo voluit dicere: *Qui Annianizet.*

Verùm Philo noster hoc in libello (vt hinc Cani obiectiones soluere exordiar) neque Platonizat, nec Annianizat, sed hebraizat, teste ipso nostro Xisto Senensi, eo quod hebræo idiomate ipsum conscripserit, de quo notum est, ex ipsa Iudæorum confessione, nullam admittere styli elegantiam, siuè eloquentiæ cultum: præterquam quod Philo ipse non admodum erat in hæbreorum lingua versatus, minimè enim ipsa vtebatur, vtpotè Alexandrię ciuis, in qua & Hębręi Gręcorum lingua loquebantur, eamq; impensè colebant, ne fraudarentur gloria, qua seipsos ex commilitonum Magni Alexādri colonia propagines esse iactabant; hanc enim illis ciuitatē ædificauerat, propterea licèt in Ægypto sita esset ciuitas, & inter Ægyptios continuo degerent, nihilominus, soli relicto idiomate, peregrino Græcorum sermone vtebantur. Si igitur libellum Helleniaco conscripsisset idiomate sibi connaturali à matris vberibus, & in quo plurimùm sibi comparauerat eloquentiæ, quod de cæteris operibus fecerat, vtique Platonici styli suauitatem redoleret, idem pariter apparet alio in opusculo Antiquitatum Biblicarum, quod cum he-

bræorum lingua ſcripſerit, vt teſtis eſt noſter Xiſtus, vtique & in eo Platonis eloquentia deſideratur.

Non tamen ita ſentiendum arbitror de viro tam inſigniter exculto, vt licèt Patrum ſuorum linguam minimè haberet vſui, in ea ob id rudem, ac imperitum fuiſſe, ſed ſi ab vberibus non ſuxerit, à Magiſtrorũ tamen fontibus hauſerit: quod in nobis de latino idiomate quotidiè experimur. Neq; enim de nominum Hebræorum Interpretatione conſcripſiſſet opuſculum, quod latinum reddere minimè eſt dedignatus eloquentiſſimus D. Hieronymus, niſi pænitiora etiam illius linguę optimè habuiſſet; propterea in his Ioſepho Scaligero nequaquàm aſſentior; vult enim in ſuis animaduerſionibus ad Euſebij Chronicas ad annum 1234. diſertiſſimum Iudæorum ſuæ religionis, ac Patrum lingua plenè rudem, ac ignarum fuiſſe: his verbis: *Vide Philonem at quem virum? quàm infans eſt in Hebrœis? quàm rudeculus? quàm certiſſimum eſt hebraicè neſciuiſſe.*

An verò Annianus iſte Philo falſa, contradictoriauè contineat non ſum diſputaturus, tum quia his ſatisfecere viri eruditione, ſcientia, & pietate Canarienſi Antiſtiti, Poſſeuino, & Voſſio, cæteriſque impugnatoribus fermè pares. Tum etiam quia vt ſuperius dixi, hoc magis conuincit Annij ſinceritatem, tales enim, nec verbulo vllo immutato, edidit, quales inuenit, ne calumnijs falſationis, aut commenti anſam daret, ſed vndè portum ibi naufragium pertulit.

Quod verò in Elencho operum Philonis non habeatur, Annianum commentariolum non officit, nam illorum quoq; teſtimonio, qui ſeriem operum illius confecerunt, eos non omnia recenſuiſſe conſtat, quod ad manus eorum non peruenerint. ità D. Hieronymus: *Sunt & alia Philonis ingenij monumenta, quæ ad manus noſtras non peruenerunt.* Ita pariter Abbas Tritemius cæteris recenſitis operibus huius Auctoris ſubiungit: *Alia multa ſcripſiſſe legitur, quæ ad manus noſtras non venerunt.* Volfangus Laſcius Viennenſis Hiſtoricus Imperialis, quem refert Xiſtus Bibliothecarius aſſerebat ſuo in Muſæo quædam habere Philonis opera in Geneſim, & Exodum, quæ a collectoribus eiuſdem operum non recensẽtur. quid ad hęc? D. ipſe Hieronymus, cuius diligentiam nõ eſt qui poſsit æquare in ſuo cathalogo quem de operibus Philonis Hebræi contexuit librum interpretatio-

nis

nis nominum Hebræorum minimè reposuit; quem tamen Philonis agnouerat, & vt talem latinitati donauit. Ex his ergo euidentissime constat non omnia Philonis opera in prædictis elenchis fuisse compræhensa. Et in his finem apponimus.

Annius à Melchiore Cano pro suo Berosiano libro acerimè impugnatur. §. 21.

VLtimo tandem loco vindicandum Berosum hucusque distulimus, quod validiora, spissioraque huius causa volitent in Annium eiaculata telorum agmina; pro alijs editis libellis mitiùs secum actum est: maximè tamen impetitur, acriusque insectatur præ cæteris omnibus à Melchiore Cano lib. 11. c. 6. Ibi enim ex proposito ex acuto asperioris styli acumi e innoxium Antiquarium acerrimè exagitat, atque perstringit Libellum enim hunc Berosi, non vtique illum esse, quem Iosephus Hebræus, D. Hieronymus, alijque ex Patribus, & Scriptoribus summis laudibus celebrarunt; olim namque deperdito; nonnulla tantummodò minutiora fragmēta penes quosdam Auctores ex illo leguntur; sed ementitum, fabulosum, & ab Annio per fraudem suppositum fuisse contendit; ac ideò Berosum Annianum ad contemptum appellat.

Cum nos ergo hūc ipsum Berosum Ducē aliquādo elegerimus, vt per inuias, & abrutas antiquitatū semitas ad antiquissimam Gothorum originem inueniendam perducat, ne leuitatis, & imprudentiæ insimulemur, quasi cæco nos met ducendos commiserimus, nostrum duximus, volumen hoc ad exactissimum trutinæ examen reuocare, eiusdem fundi-tus introspicere conditiones, vt ex integro eundem agnoscamus, agnitumque pro viribus defendamus, & quoscumque in eum insurgentes propulsemus, maximè verò quæ in ipsum intentauit Cano depellamus; sicque vna simùl nos, librum, & eiusdem commentatorem Viterbiensem à vellicationibus vindicemus.

Quæ

Quæ fuerit Patria, Vita, & Dignitas Berosi. §. 22.

VT verò ab Auctoris conditionibus libello æstimationem comparemus, fuerit nec ne eiusdem verus Auctor pro nunc intactum relinquimus, & in huius narrationis vestibulo historialem hanc celeberimi Berosi notitiam breui compendio subijcimus. Berosus igitur inter Assirios antiquissimus scriptor, Babiloniæ nascitur, dignitate Sacerdos, publico munere Scriba, sapientia fuit Chaldæus (sic suos sapientes appellabant Assirij, quamuis natione minimè tales esseut) In hunc morem etiam Tullius eos omnes qui Astrologiam profitebantur Chaldæos voluit appellare. Hic omnigena eruditione insigniter excultus Gentis illius annalia per chronologias disposita contexuit. Hoc ordine, vt quot annis vixerint Monarchæ, quæue sub vnoquoque ipsorum regimine insigniora facinora gesta fuissent recenseret; ad id facultas per Magistratus peculiariter data; quæ namqne ad tanti operis notitiam poterant inseruire, in Templorum archiuis sub Sacerdotũ custodia asseruabantur; ipsis enim tantummodò gesta in actis referre concessum. Hinc eiusdem historiæ apud omnes Scriptores summa semper in æstimatione sunt habitæ, quod cum publicis illarum Gentium actis conuenirent. Methastenes Persarum historicus id nobis testatum reliquit, fatetur enim in suis quoque libris cũ de rebus Persicis agit, Berosi semper se inhęrere vestigijs, in hæc verba. *Neque enim omnes suscipiendi sunt, qui de Regibus Assirijs scribunt, sed solum Sacerdotes illius Regni penes quos est publica, & probata fides annalium suorum, qualis est Berosus.* De tempore verò, quo floruerit, res est adeò incerta, totque ambagibus inuoluta, vt aliquid certi decernere omninò impossibile arbitramur. Nec enim defuere, qui cum Moyse Hebræorum Legislatore paris fecerint antiquitatis. Verum hæc insomnia sunt, & delirantium nugæ, meridiana etenim luce clarius constat, id nulli fundamento solidè inniti, si quousque historias suas deduxerit attendamus. Ex fragmentis eius apud Iosephum contra Apionem colligitur ad Cyrum vsque perueniße, qui Chaldæis, &

Apud Voss. de Hist. græcis lib. 1.

Medis

damus. Ex fragmentis eius apud Iosephum contra Apionem colligitur ad Cyrum vsque peruenisse, qui Chaldæis, & Medis Imperio expoliatis ad suas Persas transtulit. Ni ergo velimus, spiritu vaticinante Berosum historias conscripsisse, liquido constat nouem fermè sæculis post Moysem vixisse.

His igitur posthabitis nugamentis, ante Cyrum minimè fuisse certissimum est; restat videndum, an ante, vel postea, & quanto tempore post Cyrum fuerit. Eusebius in Chronologicis neque verbum de hoc, verum quod ibi siluerat, lib. x. de præparatione Euangelica recensuit: & ait Berorum ex Sacerdotibus Beli fuisse Babylonensem, & Alexandri Magni tempore floruisse, suosque Chaldaicæ historiæ libros Antiocho Assiriorum Regi tertio post Alexandrum consecrasse. Primus etenim inter eos fuit Seleucus Nicanor Macedonum in bello socius. Secundus Antiochus Soterus. Tertius dictus Antiochus, cui cognomen Teus.

Plinij textus perperàm à Vossio adductus circa tempus, in quo floruit Berosus §. 23.

Vossius hanc sibi opinionem sequendam deligens ex verbis Plinij lib. 7. c. 56. comprobare nititur. Eo loci namque refert Plinius quod Berosus memorias quasdam recenset, quæ apud Chaldeos à quadringentis, & octuaginta annis scriptæ asseruabantur. His innixus sic discurit Vossius. Hæ memoriæ non est ambigendum quin intelligantur de annis, qui a principio Regni Nabonassaris Chaldæorum Monarchæ ad Berosum vsque, dum de his conscriberet, decurrerunt verùm hoc temporis spatium ad extrema imperij Antiochi Soteri vsque pertingit: Berosus ergo circa extrema Regni Soteri scripsit, cui immediatè successit Antiochus cognomine Teus, & hunc sui operis Protectorem selegit.

Dicursus equidem rectè procederet; sed cùm falso innitatur fundamento, vno ictu tota machina ruit: ad hoc enim vt id, quod inde elicere nititur, consistat, ei probare incumbit, tempus, & eiusdem temporis memorias, quas tradidit Berosus, & Plinius refert, intelligi debere de Nabonassare, sic enim rectè concluderet: cum inter initium Re-

gni Nabonassaris, à quo Assiriorum Regum æra secunda initium sumit, & ob id etiàm æra Nabonassarea dicta, cum Græci octauam numerarent Olympiadem, & finem Regni Soteri, qui circa Olympiadem centesimam vigesimam tertiam regnauit: iuxta Vossij supputationem, centum, & viginti Olympiades intercedant, quæ vtique complent annos quadringentos, & octuaginta. Verùm litteris calentibus id vnquam poterit suadere, ni omnia Plinij, quotquot extant opera, de medio tollat, in textu namque Pliniano nedum non habetur quod illæ memoriæ, & tempus debeant intelligi de Nabonassare, de quo nec verbum toto illo Plinij opere, sed asserit Astronomicas obseruationes in latericijs Asiriorum caracteribus descriptas, & Babylonię asseruatas, iuxta Epigenem septingentorum, & viginti annorum fuisse, at iuxta Berosum, & Critodemum quadringentorum, & octuaginta tantùm, priusquam in Græciam dominaretur Toroneus Inaci filius primus Arginorum Rex: hinc arguebat Plinius pro sua fulcienda sententia, litteras apud Asirios semper ab æterno extitisse.

Sustineas igitur benignisime Lector, vt hic Plinij textum excribam, sicque tibi illum inuisendi laborem adimam; eo igitur in capite cum de rerum inuentoribus agat, suam proponit sententiam, nempè Asirios litteras ab æterno habuisse: his verbis. *Litteras semper arbitror Assirias fuisse*. passim progreditur ad id probationibus stabiliendum, cumque prius ostendisset quonam tempore, & quis primus fuerit Græcarum, & Ægyptiarum litterarum inuentor, quis verò Asiriarum, de Ægyptijs sic ait, *Anticlides in Ægypto inuenisse (litteras) quemdam nomine Menona, tradit, quindecim annis ante Phoroneum antiquissimum Graciæ Regem, idque monumentis approbare conatur.* De Asirijs verò litteris hęc habet. *E diuerso Epigenes apud Babilonios septingentorum viginti annorum obseruationes syderum coctılıbus laterculis inscriptas docet, grauis auctor inprimis. Qui miuimum Berosus, & Critodemus quadringentorum octoginta annorum. Ex quo apparet*. (En propria Plinij de Asiriorum litteris opinio) *æternus litterarum vsus.* Quę igitur hic Nabonassaris mentio? Vides ne quàm apertè mentiatur ille Vossius, qui Annium vndique mendacij tam acritèr sugillat? quid si illi voces suas reddere vellemus? Sed Apagè. Dicam

Apud
Voss. de
Hist. græ.
[illegible]

tamèn

tamèn, si tale aliquid, e calamo fratris excidisset, si tanta vnquam supinitate fuisset detentus, Dij immortales? Qui clamores, qui strepitus, qui eiulatus obstreperent? Ad sidera atque subsannationes non crepassent, & conuitia. Verum quia id in Scriptore geniali, & sȩcularium eruditionum Prothomagistro deprȩhenditur, cuncti silent, & dicenti *arrectis auribus astant*. Et si erumpant in verba admirationis certè, & plausus *Numquam sic locutus est homo*. Nihilquè imposterum illi officiet eius a me modo detectus grauissimus lapsus.

Si Epigenes, Berosus, & Critodemus, qui asserunt, apud Babilones fuisse siderum obseruationes, & historias septingentorum, vel quadringentorum annorum; & si Plinius, à quo illi citati leguntur scripsissent post Ptolomȩum Ægyptium Astronomum, & Geographum summè peritum, qui omnium primus Astronomicus annorum supputationes per ȩrā Nabonassaris cȩpit (hic est ille Nabonassar, qui creditur Samariā subegisse, & captiuos duxisse filios Israel, vt habetur quarto Regum c. 18. alio nomine Salmanasar) minori repugnantia dici posset illos hunc sequutos fuisse in vsu huius ȩrȩ Nabonassareȩ. Sed cum a primis tribus, nempe Epigene, Beroso, & Critodemo, ad ortum Tolomȩi Astronomorum principis quattuor, & quinque sȩcula, a Plinio verò ad ipsum quinquaginta intercesserint anni, non est assignandus modus, quo illi tali ȩra vti potuerint, si adhuc erat inueniēda.

Verùm Annius noster rectiùs in sua expositione se gessit, cum supputationem annorum, de quibus Plinius loquitur, id temporis spatium fuisse dixerit, quod Nini Regnum antecesserat, illud verò binis sæculis, & dimidio completur vsque ad diluuium, vt clarius infra patebit. Si ergò penès Babylonios septingentis, vel quadringentis annis ante Ninum reperiebantur caracteres, vt Epigenes, Berosus, & Critodemus tradiderunt, hinc certe constat etiam ante diluuium habuisse, sicque ab immemorabili tempore, & apud eos, qui mundi æternitatem asserebant, etiam ab æterno eos habuisse crediderint. Hæc Annij interpretatio valde rationabilior est; nouerunt enim omnes, qui eruditiones vel à limine salutarunt, Græcos Scriptores, ex quibus fuere Epigenes, & Critodemus historias omnes narrationes, & Chronologias a Nino semper incepisse, nam ad antiquiora sæcula

cula vlteriùs progredi ignorabant. Et huiusmodi Antiquarij nostri sententia eo propiùs nostræ fauet opinioni, quam supra disseruimus, & Pliniani textus germanam esse satis rationabiliter arbitror, quo, & tempus Foronei ad Regnum Nini minus distat quam ad Nabonassaris annos. Iuxta namque Eusebij Chronologiam Foroneus Argiuorum Rex secundus à Nino octodecim tantum annorum spatio elongatur, at verò a Nabonassare supra mille, & ducentis annis. Et Plato ipse, ab Eusebio initio suarum Chronicarum relatus, fatetur Græcos suos antiquiores vetustate ignorasse ijs, quæ de Foroneo Rege habebantur.

Summa animi mei voluptate pro Vossio respodentem audirem, quomodo Plinij sensus saluari possit, & intentio, eternas nempe apud Assirios fuisse litteras ex hoc quod apud illos à quadringentis annis memoriæ reperiebantur; si anni isti secundum Vossium intelligantur illi, qui inter Nabonassarem, & Antiochum Soterum intercessere: ex his enim tale conficeretur argumentum. Apud Babylonios, teste Beroso, reperiebantur memoriæ quadringentorum, & octoginta annorum, quo temporis spatio Nabonassaris Regnum ab Antiochi Soteri discriminatur imperio: apud Babylonios ergò ab immemorabili tempore, immò semper & ab æterno fuerunt litteræ. Quæso, quàm fortis, quàmuè consistens illatio? vtique vitrea, aerea. Æque ac si dicerem: Romanum Amphiteatrum, teste Procopio, per ducentos annos à Domitiano ad Constantinum vsque extabat. Ergo illud semper Romæ fuit, hoc est ab vrbe condita. Subsisteret vtique syllogistica oratio, si Domitianus vti Romulus, Vrbem condidisset; vel ad minus si sub illius initio fundationis Romæ amphiteatrum fuisset erectum. Hoc idem Mehercle esset Plinij argumentum ad hoc concludendum: *Ex quo apparet æternos litterarum vsus apud Assirios*. Ea Berosi ratione iuxta Vossianam intelligentiam, quod litteræ ibidem fuerint à quadringentis, & octoginta annis, a Nabonassare ad Antiochum a Babylonis fundatione facta per Ninurotum (in scripturis sacris alio nomine Nembrot) ad Nabonassarem vsque supra mille, & sexcenti anni excurrerunt, quo tot sæculorum spatio apud Asirios, & Chaldæos quadraginta Reges obiere ante Salmanasarem. Perpende modò quam minus aptè hæc ad eò breuis antiquitas

dici potuerit æternitas, si ad hunc vsque tantùm fieret temporum excursus.

Vlteriùs addo Vossij supputationes minimè rectas, nempe quod æra Nabonassarea quadringentis, & octoginta annis constaret, hoc est, ab initio imperij Nabonassaris ad finem vsq; Soteri. Ad id verò apprime mihi deseruiunt supputationes Scaligeri in suis animauersionibus in Eusebium ad 1431. vbi a diebus Nabonassareis ad initium Monarchiæ Cyri duo sæcula, & vltra decem, & septem annos assignat; quibus si addas ducentos, & nonaginta sex, qui ab initio istius Monarchiæ ad finem vsque Soteri excurrerunt, vt in chronicis Eusebianis exacta fidelitate notatur, & approbat Scaliger resultabit summa quingentorum, & tredecim (vt supputanti cuicunq; fit constans; & si ab his detrahas quadringentos, & octoginta a Vossio supputatos, tringinta tres anni Vossianæ supputationi supererunt. Quodcumque ergo in latus se voluat Vossius se sua fraudat intentione.

Quo tempore vixerit Sibylla Cumæa, an Filia Berosi, id à D. Iustino Martyre assertum, negatum à Vossio.

§. 25.

CVm ergo Eusebij sententiam, in qua primum fuit Heresiarca Tatianus, sua errante Arithmetica veritati, consentaneam minimè probare potuerit Vossius, nos ab ipsa seiungimur, & solidiori veritati innixi aliquantulum etiam ante id tempus Berosum vixisse arbitramur, nec diutiùs superstitem credimus, nisi ad tempus vsque Cyri, in quo Chaldaicæ suæ historiæ finem imposuit. In hanc verò sententiam D. Iustini Philosophi, ac Martyriss auctoritate ducimur. Hic in epistola exhortatoria ad Gentes scribit, Sibyllam Cumæam huius Berosi filiam fuisse, quæ Babylone Cumas venit propè Puteolos in vicinijs Neapolis, vbi moras traxit, & oracula dedit vsque ad obitum. Sua quoque ætate refert S. Martyr, quod incolæ eius tumulum ostendebant, & antrum, in quo morabatur, & vaticinia edebat, quorum omnium oculatum se præbet testimonium. Ex eodem

dem insuper habetur hanc Sibyllam paulò ante Platonem floruisse, & quod dum in Phædro de fatidicis, & hariolis loquitur, eamdem etiam innuerit. At verò si iuxta primam sententiam Berosum Alexandri contemporaneum dixerimus, & vlterius etiam ad Antiochum vsque vixisse, quomodo verum erit S. Martyris testimonium, quod *Plato viderit opere adimpleta, quæ ipsa Sibylla longè ante prædixerat*. Si propè tumulum extrema iam agebat suspiria Plato, quando Alexander primos emittebat vagitus?

Vidit hæc simul pugnantia Vossius, verùm dum conciliare nititur, in plures hallucinationes, & errores labitur. Primus sit, hanc Sibyllam Cumanam appellat, cum tamen Lactantius Firmanus, a quo, vt a classico Auctore, Sibyllarum authenticam narrationem excepimus, distinguat inter Cumæam, & Cumanam, hanc triplici alio nomine appellat, nempè Amaltheam, Erophilem, & Demophylem. Cumanam dicit à Cuma Ciuitate Syriæ, non verò a Cumis propè Neapolim, vt rectè aduertit Sixtus Senensis. Solinus quoque cap. 7. easdem ponens distinctas, Cumanam tertiam dicit fuisse ordine antiquitatis, his verbis. *Ita Cumana tertio fuisse post has loco, ipsa aut series probat*.

Apud Lactant. Firmanus lib. 1. cap. 6.

Et si Vossius grammatica subtilitate, quæ in litibus perennandis satis est pronior, adhuc contenderet, nullum esse inter has denominationes discrimen, Cumanam enim dicunt a nomine ipso, Cuma silicèt, denominante, sic arguentem ad inuisendam quartam Eclogam Virgilij mitterem, in qua Vates quarto carmine ait.

Vltima Cumæi venit iam carminis ætas.

Et insuper 6. Æneid. habet

Talibus ex adyto dictis Cumæa Sibylla
Horrendas canit ambages, antroque remugit.

Hisque perfectis dicat, an Cumæa, vel Cumana sit denominatio deriuata a Cumis Ciuitate Italiæ.

Apud Aul. Gel. lib. 1. c. 19. lego Tarquinium Priscum.

A primo in secundum errorem ruit cum asserit hanc Sibyllam, Filiam Berosi, eam esse, quæ libros suos Romam detulit venales ad Tarquinium Superbum, Cyri contemporaneum, vt habetur apud Plinium, & Solinum. Minimè autem hæc fuit Cumæa, sed Cumana, vt ex Marco Varrone refert Lactantius loco citato. Sed gratis detur Vossio, quod fuerit Cumæa, in hoc enim & nos satis propendimus,

quod

quod & Virgilius id innuere videatur in 6., cum Æneam Sibyllæ pollicentem inducit, districtè posteris iniuncturum, vt eius de vaticinijs libros religiosissima veneratione custodiant, ad id specialiter Custodibus, ac interpræ tibus deputatis, quod quidem Romæ seruabatur, vt refert Solinus cap. 7. ad tempus vsque Cornelij Sillæ Dictatoris tiranni. *Tunc enim* (Auctoris verba excribo) *vnà cum Capitolio hic liber assumptus est*. Carmina quoque subijciam Maronis, iudicent alij an id alludant.

Te quoque magna manent regnis penetralia nostris.
Heic ego namque tuas sortes, arcanaque fata
Dicta meæ genti ponam, lectosque sacrabo
Alma viros

Et si hæc Virgilij fortè sint obscura, vtique ea Tibulli elegia 5. lib. 2. apertissima sunt; ibi enim per Apostrophen Apollinem fatidicum numen alloquens talia de hac Sibylla fatur.

Te duce Romanus numquàm frustrata Sibylla est
Abdita, quæ se is fata canit pedibus
Hac dedit Æneæ sortes, postquàm ille Parentem
Dicitur, & raptos sustinuisse Lares.

Sit igitur quod Cumæa nostra Sibylla Vaticiniorum volumina venalia fecerit, vt etiam opinatur Solinus loco citato, hoc idem firmat nostram de tempore Berosij sententiam, & Vossij opinionem infirmat, nam & Tarquinius Superbus Alexandrum antecessit ducentis, & triginta annis; Superbus enim Romanorum Regnum amisit Olympiade sexaginta sexta, Macedo verò Persarum Imperium occupauit Olympiade centesima duodecima, iuxta Eusebij Chronologias. Hinc patet Berosum Alexandro minimè fuisse coæuum, & filiam eius potuisse cum Tarquinio librorum venditionem pacisci.

In tertium labitur errorem, dum secundum effugere contendit Vossius. Negat enim Sibyllam Cumæam Patrem habuisse Berosum Assiriorum historiographum, aliumque Berosum eidem asciscere in Patrem enititur, quem tamen reperire nescit; nec pudore suffunditur, sed perfricta fronte S. Philosophum in errorem impegisse asserit, nam ab alijs accepit Berosi Chaldæi Sibyllam fuisse filiam, & de suo postea addidit, quod iste Berosus: *Ille fuit, qui Chaldaicam*

historiam

historiam conscripsit, nec satis cogitasse (en quanta modestia de Sanctis, ijsque doctissimis, suum profert iudicium Vossius) *fuisse, & alios Berosos in Chaldæa*. Vtique credimus; verùm quod Iustinus Martyr doctissimus, & eruditissimus Scriptor, Syriæ natus, hoc est propè Chaldæos, qualem Patrem habuerit Sibylla, ignorauerit, non facilè credimus. Iam nouimus satis familiare esse Vossio Auctorum placita sine vlla ratione damnare.

Execranti pariter gressu pergit vlterius, dum pluret Cumæas Sibyllas extitisse vult suadere; nam vt iniuriam S. Viro impactam aliquo modo imminueret, subiungit: *Nihil opus est, vt tam fędam Anistosiam* (hoc est historiarum imperitiam) *doctissimo pariter, & sanctissimo viro impingamus: nam quid prohibet, quo minus dicamus locutum de alia Sibylla Cumana multo iuniore? Neque enim vnà, sed complures Cumis sunt vaticinatæ*. Cumæ igitur per Vossium cunæ fuerunt, in quibus nascebantur, seù refugia, ad quæ vndique receptui confluebant fęminæ, & sicut Delphis per solum accessum ad antrum Phitonissarum spiritu replebantur; sic Cumanum antrum illud fuisse a Virgilio in sexto descriptum.

Excisum Æuboicæ latus ingens rupis in antro,
Quo lati ducunt aditus centum, ostia centum
Vndè ruunt totidem voces responsa Sibyllæ.

Illud tamèn quod magis in viro tanta eruditione insigniter exculto demirer est, quod vt ostendat Sibyllam Cumeam Berosi filiam non fuisse hoc vtitur dilemmate vtroque pede infirmo, & nutante: sic. Vel hæc Sibylla Cumæa cum Ænea floruit, *cui dedit oraculum iuxta Maronem in sexto*, vel cum Tarquinio, *cui libros suos obtulit, vt à multis veterum proditum*. Sed neutro ex binis tempore Berosi filias esse potuit. Ergo non est. Pace tanti viri dicam syllogisticum hunc discursum bicipitem, seù bipedem, & acephalum esse, & vtroque pede claudicare. etenim & falsum est nostram Sibyllam Æneæ dedisse oracula, & libros Tarquinio venum dasse. hoc secundum patet ex allata Firmani auctoritate, qua innotescit non hanc Cumæam, sed Cumanam libros vendidisse: & si hoc etiam gratis detur, quod vtique nec nos inficimus, adhuc tamen falsum erit, quod intendit Vossius, Patrem eius scilicet minimè vixisse eo tempore à nobis superiùs

periùs

periùs aſſignato, hoc eſt dum regnaret Cyrus, firmiorque noſtra conſiſtet ſententia, vt ſupra oſtenſum eſt. Falſitas autem primi adeò euidens eſt, vt cum Horatio dicere liceat.

Opinor
Omnibus, & lippis notum, & tonſoribus eſſe.

Quis enim adeò gnarus, vt neſciat colloquium illud Æneæ cum Sibylla figuratum eſſe, & a Virgilio per anacroniſmum diſpoſitum, quod Poetis ad amęnitatem licere quis inficias ire præſumpſerit.

Anacronyſmi Virgiliani liciti, ſed non firmant auctoritatem. §. 25.

SErijs Auctoribus has Poetarum figuras aſſumere ad firmandam veritatem, vel ſententias ſtabiliendas vtique minimè conuenit. Virgilius Poetarum amęniſſimus huiuſmodi figuris frequenter eſt vſus, vt ex multis conſtat, maximè ex illo inſigniori, cum Æneam, & Didonem vna ſimul ætate viuentes ponit, & tamen ille tercentis ante ipſam annis floruit, vt ſcitè adnotauit Scaliger in ſuis annotationibus in Euſebij Chronicas ad annum 978. Data igitur opera ſolemne hoc mendacium ſuo in poemate inſeruit Virgilius, & ſic Tyriam Heroinam poetica ſua licentia tam inſigniter dehoneſtauit, quam cęteri omnes Scriptores pudicitię ſimulacrum celebrarunt; vtpotè quæ etiam Sichæo viro defuncto illibatam ſuam fidem aſſerens, ne Iarbæthorum conſcenderet, manum ſibimet intentauit victima caſtitatis. Tantum igitur probrum caſtiſſimæ fęminæ ſummam per iniuſtitiam illatum redemit Auſonius nobili illa proſopopæia, qua celebrem Heroinam poſthumam ſibi illatam iniuriam ſic deflentem repræſentat.

Illa ego ſum Dido vultu quam conſpicis hoſpes
Aſſimilata, modis pulchraque mirificis.
Talis eram, ſed non Maro quam mihi finxit, erat mens
Vita nec inceſſis læta cupidinibus.
Namque nec Æneas vidit me Troius vnquam,
Nec Lybiam aduenit claſſibus Illiacis.
Sed furias, atque arma procacis Iarbæ

Seruaui fateor morte pudicitiam:
Inuida cur in me stimulasti Musa Maronem,
Fingeret vt nostræ damna pudicitiæ?
Vos magis historicis, Lectores, credite de me,
Quàm qui furta Deum, concubitusque canunt:
Falsidici Vates temerant, qui carmine verum
Humanisque Deos assimilant vitijs.

Pudicissimæ Matronæ dat etiam testimoniale elogium, Africanus; hic etenim suam Africam describens hæc de Didone cecinit.

Hic prope tenduntur fines Carthaginis altæ
Perpetuas Tyrijs celebrat quæ condita laudes.
Qua regnans felix Dido, per sæcula viuit,
Atque pudicitiam non perdit carmine ficto.

Pari igitur mendacio, quo in antro Carthaginensi Didonem Æneæ coniunxit Virgilius

vt quis sibi paruulus aula
Luderet Æneas, qui se tantum ore referret

Ita quoque in Cumæo specu eumdem cum Sibylla allocutum ponit.

cum virgo poscere fata
Tempus ait: Deus ecce: Deus ec.

Verùm & si omnia deficerent argumenta illud certè ineluctabilem euidentiam inducit, quod cum ad Italiæ littora appulit Æneas Cumæ adhuc non extabant. Strabo enim lib. 3. de situ Orbis, & Eusebius in Chronicis tercentis annis post Troiæ casum ædificatas ponunt.

Quis fuerint Berosi libri: Et quanto in honore apud Athenienses sit habitus Auctor.

§. 26.

SED digressionibus hisce relictis reuertamur, quod nostri est instituti, ad Berosum. Prælibatis igitur de ipso titulis, & qualitatibus, quibus dum viueret inclyti viri æstimationem apud omnes occupauerat, de conscriptionibus suis etiam aliquid attingendum, quæ si adhùc extarent, ingentiori gloriæ cumulo Auctorem ipsum exornarent.

Verum iniquo fato cum interierint, non tantùm temporis edacitate, qui adamantina quæque consumit, quantum Barbarorum brutali sæuitie, qui tot Eruditorum lucubrationes, & immensos ingenij labores igne, ferro, lacerationibus exterminarunt. Iste Berosus encomijs cumulatur à Iosepho Iudæorum Historico, a D Hieronymo, à Plinio, & alijs; quæ quidem encomia eo magis suspicienda, quo insignioris auctoritatis viri edidere. Ex certissima probæ fidei Auctorum relatione habemus Berosum plures conscripsisse historiarum libros, de Assiriorum, & Chaldæorum gestis ad instar annalium, in quibus recto ordine quicquid Monarchæ illi suo imperij tempore memoria dignum peregissent digesserat. Maximè verò a Iosepho lib. p. contra Apionem Grammaticum Alexandrinum habemus, Berosum etiam astronomiæ, & Chaldæorum Philosophiæ libros aliquot conscripsisse.

Quibus in facultatibus plurimúm excelluisse rationi consentaneum videtur, quòd publico Atheniensium edicto, & annuo stipendio ad has edocendas fuerit vocatus. Plinius enim lib. 7. c. 30. diù in illo scientiarum omnium toto orbe celeberrimo emporio commoratum dicit, ibiq; Astrologiam docuisse, & forte etiam Astronomantiam, vtpote quæ peculiaris erat Chaldæorum peritia: vndè a Græcis pariter & Latinis Chaldaica professio appellabatur. Hac autem astronomica, seú diuinatoria arte adeò delectabantur Athenienses, vt *Ob diuinas prædictiones publico in gymnasio statuam inaurata lingua ei statuerunt*. Ex tali autem modo scribendi Plinij satis probabile argumentum elici posset, Berosum quasi Prophætam fuisse, dum Auctor sui vaticinij prædictiones Diuinas vocat. Hincque facilius esset suadere, Cumæam Sibyllam illius filiam fuisse, quasi hoc proprium esset, ac veluti peculiare illius familiæ donum, connaturale vaticinium habere a Patribus in filios propagatum.

Ex his etiam quod Athenis fuerit Astrologiæ Doctor, euincitur græco caluisse idiomate, & quod eo vsus fuerit maximè in conscribendis Astrologiæ, & Philosophiæ libris, vt a Græcis Discipulis, quos instruebat, legerentur, & intelligerentur ad profectum. Hoc etiam testatum reliquit Iosephus loco citato his verbis: *Berosus vir genere*

quidem Chaldæis, notus autem eis, qui eruditione, doctrinaque congaudent: quoniam de astronomia, deque Chaldæorum philosophia ipse græcas conscriptiones edidit. Plinius ipse, cum æquè Greco, ac Latino sermone caleret, hosce libros vtique legerat, ab ipsis namque sententiam illam excerpsit de vitæ diuturnitate, nempe quod Siderea virtute nequeunt homines vltra centesimum decimum septimum annum vitam producere.

Lib. 7. cap. 49.

Liber Chaldaicæ deflorationis, Berosus Annianus per contemptum appellatus, à vero Beroso minimè editus, sed confictus ab Annio asseritur à repugnantibus. Calumnia hęc refellitur, & ostenditur à quibus, quomodò, & quando Annius hunc librum habuerit.

§. 27.

De ceteris omnibus Berosi operibus nullum reperitur inter Auctores discrimen, sed totius contentionis cardo sistit in id, an opus illud mediocris voluminis, quod cum titulo Deflorationis Chaldaicæ in Italiam publici iuris fecit Frater Ioan: Annius Viterbiensis Dominicanus, vir in antiquitatibus peritissimus, & in omni historiarum genere apprimè eruditus, quodque ad irrisionem magis quam ad distinctionis notam, Annianum appellant, inter Berosi Auctoris eruditissimi, simul & antiquissimi lucubrationes sit annumerandum. Asperiori etenim calamo, & efferato stylo ferè omnes in hoc insistunt, sibique suasum, ceteris etiam suadere omnem nauant operam, in omneque latus se voluant, opus illud Annij esse figmentum: cui vt maiorem compararet auctoritatem, & ampliori decoraret æstimatione, subter rudera clanculùm tumulatum, indè posteà detestanda fraude erutum per typographos edidit.

Instar lampadis fulgentissimæ, immò splendidissimi Si-

deris radiorum doctrinę fulgoribus vndequaque exundantis inter cęteros omnes Annij mastiges resplendet doctissimus ille Episcopus Canariensium, Melchior Cano Ordinis Prædicatorum; ille de Republica litteraria summè benemerens Magister, qui euulgatissimo illo, nec vnquam satis æquis encomijs laudatissimo de Locis Theologicis volumine, nedùm in Diuinis, quas à prima sui adolescentia, vti claustris familiares, impensè coluerat, verúm & in omni disciplinarum, & eruditionum genere insignitèr excultum se se ostendit: Tantus vir plenè totus incumbit, vt eruditorum omnium Vniuersitati suadeat, opusculum illud Deflorationis Chaldaicæ, non legitimum Babylonensis Scribæ, sed Viterbiensis Antiquarij spurium, atque suppositititium esse volumen. Sicque domestico à Sidere non fulgetra luminis indecoris subsidium, sed tenebrarum obscuritates ad ignominiæ incrementum eiaculantur in Annium. Nec perstricti meatus angustias guttatim, sed reseratis repagulis perlatissimas semitas complurium malorum Myriades demittuntur. Duodecim enim, nec certè contemnendis argumentis, volumen istud arietat, & prosternere, immò & conterere nititur. Attamen & lumen in tenebris lucet; & ab iniuriarum sordibus, tetraque imposturarum caligine tandèm caput emergens, illud Senecæ vsurpabimus: *Sæpè maiori fortunæ locum fecit iniuria*. Et cum Sulmonensi Vate illud repetemus

Silicèt aduersis probitas exercita rebus
Tristi materiam tempore laudis habet.

Equidem vnquám pro his vindicijs ad laborassem, ni tam acritèr, simul, & iniustè antiquarij innocentia minimè posita fuisset in discrimine. Quò insignioris eruditionis, clariorisquè famæ fuere scriptores, à quibus Annius sine vllo pietatis, & humanitatis moderamine exagitatur, eò præclarius nomen est adeptus: ac veluti exsufflante vento, non extinguitur, sed altius tollitur, & clarius splendescis, & rutilat bene concepta combustibili flamma. Quæ viliores, obscuriorisque notæ homunciones impingunt, vexatum non illustrant: quám dulci metro in his cecinit Italiæ Pindarus.

Sol gl'Euristei ponno eternar gli Alcidi,
E senza l'ire di Giunon men bella

Fora Calisto, e tramutata in stella
Or non indoreria gl'Artici lidi.

Quæ vtiquè clariùs conspicientur si priusquàm Cani argumenta disoluamus, imposturam in Annium indignissimè illatam propulsabimus. Quæso quid apertius, quid hac calumnia manifestius? Quomodò enim imaginabile est, quod librum confinxerit, & fortuitò eruderibus erutum dixerit, si rotundioribus verbis sub initio libri tertij eiusdem operis testatum reliquit, Genuæ sibi dono datum à Patre Fratre Georgio Armeno Prioris Prouincialis illius Prouinciæ socio sui Ordinis, idque gratitudinis in titulum, quòd eos in suo Conuentu, cui præerat, benignè, ac humanitèr excepisset? *Quoniam existens Prior Genuæ illos comi hospitio excepi.* Non ergò per fraudem exhumatum vt impostores contendunt. Cum verò id tam apertè, ac dilucidè fassus fuerit, quo pacto, quibusuè rimulis insinuare se potuerit hominum malitia, vt eum de iniquissimo dolo insimularent prorsùs ignoro; immò certè non dolus, hoc enim perspicacis, ac versuti est proprium, sed omninò dementati consopita esset supinitas, diceretque Satyricus.

quod ipse
Non sani esse hominis, non sanus iuret orestes?

Insuper si per se ipsum opus illud composuisset Annius, non vtique tantæ fuisset barditatis, ac stoliditatis, quin ipsum ad regulam concinnasset sacrorum voluminum, vtque simul etiam conueniret cum his, quæ ex Berosianis fragmētis suis in libris Iosephus transcripsit. Sint in exemplum Abrahami encomia, de his primo Antiquitatum ille ait: *Meminit autèm Patris nostri Abraham Berosus quoque, non tantùm eum nominans, his verbis: Post diluuium autèm decima ætate apud Chaldæos erat quidam iustitiæ cultor vir magnus, sideralis scientiæ peritus.* In Anniano autem Beroso, neque verbum de Abrahamo; nec tamen hoc Iosephi testimonium Annium latuerat, alibi enim & ipse illud adducit, & in Iosephi operibus versatissimus erat. Ita paritèr opus hoc consonum reddidisset cum suo Methastene, a quo tamen apertissime discrepat; ille enim ait Berosum ad Sardanapalum vsque suam perduxisse historiam, in Anniano verò Beroso non nisi ad Ascaitidem peruenit. Si ergo per malitiam ex condicto concinnasset, equidem id tam aptè confe-

confecisset, vt Patri Posseuisseno adempta esset via, cum de memoriæ deliquio insimulare.

Vlterius idem & Annius suam Berosum de falsitate accusat, eius asserta vt pote veritati minimè consona, nulliusque soliditatis respuit. Sit in exemplum illud in fine commentarij in Vertumnianam Propertij ad illud carmen.

Vnum opus est, operi non datur vnus honos.

Quo in loco vatis intentio est asserere, quod licèt vnum sit Vertumni simulacrum, non tamen sub vna tantùm figura venerabatur Numen representatum, eo quod.

Talis in æterno fælix Vertumnus Olympo
Mille habet ornatus, mille decentèr habet.

Sic occinit Tibullus. Hoc igitur in loco Annius per Vertumnum Ianum intelligit, & in Iano Noè, quem varijs nominibus, & figuris plures gentes venerabantur, & suum repræhendit Berosum: *Quod falsum scripserit solum hæc duo regna, Italicum silicet, & Scythicum venerari Noham, cognomine Ianum*. Et manifestè falsitatis conuincit auctoritate Dionysij, Plinij, & Macrobij, à quibus habetur, sub nomine Iani cultum quoque à Libijs, Ægyptijs, & Phenicibus. Cum ergo & errores arguat, & falsitates ostendat, quis prudens dicet, ipsum & fuisse libri Auctorem?

Hinc igitur satis compertum sit librũ deflorationis Chaldaicæ ab Annio minimè confictum, sed vel ex peregrino idiomate in latinum conuersum, vtpotè qui optimè lingua Hebræa, Chaldæa, & Araba caleret, vel per typographos studiosis quibuscumque ex latinis edidisse, vt eorum studijs in antiquorum historijs suppetias ferret. Cum itaque omnibus, ni fortè quibus proteruire placet, ex adductis rationibus apertum sit, Annium non fuisse huius operis auctorem, modo inquirendum remanet quis nam fuerit huius libri Auctor, an silicet insignis ille Berosus Chaldæus, de quo maximè procedit contentio, & pro negatiua præcipuè toto suæ eruditionis conatu insudat Cano. At verò id palmari, vt dicitur euidentia ostendere, & demonstratione à priori probare omninò impossibile arbitror, nec prudentis est id velle; nemo enim ignorat opus non esse matematicalibus demonstrationibus ad probandas historias; maximè si gesta sint vltra hominum memorias, & intra cariosum priscæ antiquitatis sinum obuoluta delitescant. Hinc prudenter admonet Ouidius.

Si

Si nisi quæ rebus fuerint firmata videndis
Non erit vlla fides, non erit vlla fides.

Licet euidenti certitudine Auctorem libri non constet, scimus tamen nec integrum, nec perfectum opus esse historiarum, quas de Chaldæis scripsit Berosus. §. 28.

FRustra igitur de Auctore euidentiam venamur, quòd nec testimonia ex priscis Auctoribus extent, nec alia reperiantur protographa. Et licèt Iosephus Hebræus plura desumat ex Beroso, quæ pariter in Anniano reperiuntur, non tamen ab hoc opere, sed ab ingenti annalium Chaldæorum volumine desumpta fuerunt. Flauianus enim Berosus (hac ad distinctionem appellatione liceat vti) à quo ille plura ad suum propositum accepit, ille est, in quo de Abrahamo fit mentio, & in quo Chronologia historica Monarcharum Assiriæ ad Cyrum vsque protenditur, vt supra ostendimus; at Berosus Annianus in Ascatade Assiriorum Regum decimo octauo sistit. Non ergo illum, quo vsi sunt Iosephus, D. Hieron., & alij ex priscis Auctoribus, nobis tradidit Annius; fortè namque liber ille vnquam in Italiam fuit delatus, nec vllus ex Latinis legit, & fortassis nec ipse Plinius; eo quod vbi de Gentium productione pertractat, & de antiquissimis illarum gestis, de quibus Berosus plura in suis annalium libris congessit, vnquàm eius auctoritatem inducit, vel nomen eius recenset; nec obstat quod supra diximus ex eodem Plinio de litteris, & de humanæ vitæ diuturnitate, hæc enim potius ad opera Astrologiæ, & Philosophiæ a Beroso edita spectant quam ad historialia, & ideò illa forté, non ista vidit Plinius.



Liber desflorationis Chaldaicæ est epitome, vel compendium integri annalium Berosi voluminis. Chaldæi rerum gestarum monumenta, nedum propria, sed & exterrarum Gentium in templis asseruabant.

§. 29.

EA igitur omnia, quę in Anniano volumine per epitomen, & compendiaria via continentur, sunt veluti breuiarium eorum, quæ amplissimo discursu in Flauiano legebantur, quod & titulus, vel ab ipso, vel alijs appositus satis ostendit, nempé. *Desloratio Berosi Chaldaica*. Nil apertius vt innuatur quod flores, seù principaliora ex vberimo annalium agro fuere collecta. Et nedum libri inscriptio, verum etiam quæ continentur, id nobis suadent: nihil enim aliud in hoc volumine referatur, nisi compendiaria quædam Monarcharum omnium Assiriæ chronologia per ordinem successionis, nam de vno quoque ipsorum recensetur quanto tempore perdurauerit in Imperio, & quæ sub ipso acciderint, adnotando pariter quonam pacto hæc simul cohærerent cum ortu, & progressu regnorum exterarum Gentium, dum hæc conscriberet Berosus, simul etiam cæterorum Principum succesſiones summo ordine recenset. Hinc conijcitur huiusmodi notitias non aliundè nisi ex asseruatis Chaldæorum scripturis exceptas? ipsi enim primi fuere ciuilis vitæ institutores, & qui primi res gestas conscriberent, conscriptasque in Templorum archiuis ad futurorum memoriam, & agendorum instructionē diligentisimè reponerent, nec solum proprias, verùm & cæterarum nationum, saltem quæ insigniores habebantur, gesta adamusſim conquisita colligebant. Babiloniæ igitur erant sacraria omnium ferè Nationum, & rerum gestarum conditoria. Sicque apud eos monumenta etiam eorum, quæ ante diluuium euenerant, reperiebantur. Et ab his D. Hieronymus arbitratur Abraham cuncta excepisse, secumque

delata cum ex Chaldæa in Palestinam profectus est, ibique Hebræorum coloniæ prima fundamenta iecit; indè per voces, siue per scripta ad posteros transmisisse vsque ad Moysen, à quo tandem in sacris libris diuino dictante Numine fuere conscripta. Hoc idem nobis tradit Hieronymus in suo commentario (si tamen est eius) ad cap. 11. in epist. ad Hebr. in illud Apostoli. *Fide intelligimus aptata fuisse sæcula*.

Ad id vnum hoc præmisimus, vt maiorem astruamus euidentiam declarationibus, quas ipse libri Auctor pluribus facit in locis, in quibus modo deflorationem, modò compendium, nunc summarium temporum suum opus appellat, & originum Gentium, & Regnorum, nedum Assiriæ, sed & aliarum Gentium extractum ab authenticis Chaldæorum scripturis. Sic circa finem libri primi suam exprimit intentionem his verbis. *Ab hoc igitur anno salutis humanæ ab aquis primordio sumpto nostri maiores innumeros scripserunt libros; nos verò laxiorem illorum sermonem abbreuiaturi referemus origines, & tempora, &c.* Sub initio verò lib. 5. repetit. *Nos igitur Principum, & Heroum origines, atque posteritates abbreuiabimus, ex nostris Chaldæis, atque Scithicis libris*.

Cum igitur constet libri materiam Berosianam esse, videamus an expiscari possimus nec nè Berosus ipse verè fuerit voluminis auctor, ipseque sic dispositum in quinque libros diuiserit, quod postea ab Annio accepimus: vt autem qua par est prudentia procedamus, pedetentim ibimus, & cum Horatio repetemus

Paulatim pilos caudæ conuellam vt equinæ.

Sensinque abditissimam hanc veritatem in lucem proferre conabimur.

Suadetur Auctorem deflorationis Chaldaicæ fuisse Chaldæum. §. 30.

ORtum inter Chaldæos Auctorem non esset quid ambigamus dū benigne credamus non cuncta esse conficta ea, quæ eodem in libro contraduntur; sub initio etenim ipsius operis hæc ait: *Ante aquarum cladem famosam, qua vniuersus perijt orbis, multa præterierunt sæcula, quæ à nostris*

Chal-

Chaldæis fideliter fuerunt seruata. Patriam verò ei Babylonem fuisse habetur ex his, quę paulò post subiungit, & quæ leguntur circa finem eiusdem libri in hæc verba: *In Asia nostrum celsissimum est regnum Babylonium*. Et clarius etiam lib. 4. *Prima omnium gentium, & Ciuitatum fundata est à Saturno nostro Vrbs, & Gens nostra Babylonica*. Eodem pariter sensu pluribus alijs in locis huius operis loquitur Auctor, e quibus quilibet elicere potest ipsum fuisse Chaldęum & Babylonium, inter quos etiam scimus cunabula habuisse Berosum; ni fortè integrum librum mendacijs compactum velimus.

Insuper addendum hunc Auctorem, & ratione temporis quo vixit, & ratione eorum de quibus agere assumpsit, inter longè vetustissimos connumerandum. De tempore patet ex Manethone Ægyptio, ille namque Auctorem deflorationis Chaldaicæ in suo opere inducit, eumque Berosum appellat. Manethon verò ex testimonio Bodeni tercentis annis ante Christi aduentum scripsit. Nec me tamen fugit Criticorum fuisse sententiam, Manethonis fragmenta esse conficta, & ab Annio edita, in quem propterea euaginarunt arma, nihilominus ea recipit Bodenus, & alij minimè obesæ naris, & nos ea legitima esse supra probauimus. Verum sint, vel non sint talia, certissimum est ex Georgio Sincello Græco chronologista, quem refert Vossius, Ægyptium Manethonem post Berosum vixisse.

Quod verò vetustissima sint de quibus agit patet, nam de Noemico diluuio ad Assiriorum Regem Ascatidem vsque agit; de Gentium propagatione; de Regnorum origine; de antiquissimis Regibus, & eorum successionibus, vnico verbo agit de his temporibus, & gestis, quę ob vetustam nimis antiquitatem, quasi inter nebularum caligines obuoluta non satis clarè prospici possunt, nec de his vllum alium ex prophanis scriptoribus tā luculenter egisse habemus, nihil verò de rebus, quę post Berosū euenerūt continet.

Nec prætermittendum duco vtrumque Berosum, Flauianum scilicet, & Annianum eadem ferè continere: nam Iosephus ipse testatur suum Berosum Chaldaicas historias, & Assiriorum annalia conscripsisse. *De facto diluuio* (verba ipsa Iosephi excribo) *& hominum in eo corruptione, sicut Moyses, ità conscripsit: simul & de arca, in qua Princeps*

humani generis serudit us est. Deinde scribent eos, qui ex Noe progeniti sunt, & tempus eorum adijciens, prosecutus est Chaldaicas vsque ad Nabulassarum, &c. modò cuicunque intuenti Annianum constabit eadem dicere, & fermè ipsismet etiám verbis, vt infrà magis ostendemus.

Annianus liber deflorationis Chaldaicæ habendus pro legitima Berosi Chaldæi prole: auctoritates negatiuę quomodo, & quale conficere possint argumentum. Cur Berosus hanc deflorationem conscripserit. §. 31.

NI propria me fallit opinio, hanc, quã de Betoso in titulo adduxi sententiam, cui fortè solus hisce temporibus adhereo, cæteros quoq; imposterum amplexuros arbitror, quibus graue minimè erit, rationes ipsas diutina, ac benigna pensitatione perpendere, à quibus debiles ingenioli mei vires ad id sentiendum inflexas fuisse fateor. Hoc primum, quod semper tali titulo fuerit inscriptus liber, semperque sub nomine Berosi per manus eruditorum excurrerit, nec constat alia vnquam denominatione inscriptum fuisse. Famosum verò Berosum vnum ex opusculis su s tali titulo notasse testatur Metastenes Persa in suis fragmentis Persianæ historiæ ab Annio commentarijs illustratis, & à Bodeno recèptis. Idem pariter testatur Manethon Ægiptius in suis fragmentis in hæc verba. *Berosus inter Chaldæos historicos probatior defloraunit breuissimis annotationibus omnia Chaldaica de primoribus orbis Regnis*. Quod quidèm modò sub quęstione ventilamus. Verúm id solidiori fundamento innititur, auctoritati nempè Iosephi, qui omnium hucusque consensu, & plausu summo semper in prætio est habitus, vt nedum sua, sed & aliena, licèt aliqualitèr nutantia firmare posset, ne ruant. Iste c. 18. lib p. Antiq. expresè tradit Berosum Chaldaicam defiorationem conscripsisse: cum enim externarũ Gentium Auctoribus sua comprobaret asserta, inter cęteros hunc de Chaldaica defloratione adducit, his verbis. *Manethon, qui descriptionem fecit Ægyptio-*

ptiorum, & Berosus, qui Chaldaica deflorauit, & Mochus.

Circa hunc Iosephi textum Lectorem admonendum duximus, ne fortè de Annij nostri sinceritate sinistrum quid in mentem eius proripiat, & meipsum fatear aliquali suspicione non parum detentum: Verba etenim, quæ modo adduximus ex Iosepho, sunt iuxta traductionem Ruffini, quæ vtique in alijs versionibus non habentur. Peruoluebam ego Iudaicas Iosephi antiquitates à Sigismundo Gelenio in latinum translatas, vbi sic legitur textus: *Manetho Ægyptiarum rerum Scriptor, & Berosus Chaldaicarum, & Mochus.* Nec equidem me continui quin suspicarer ab Annio verba fuisse concinnata: Verum vt Ruffini traductionem euoluerē, qui exactiori forsan diligentia latina verba græcis dictionibus, elegantiori posthabita elocutione, conformare studuit, cuncta, quæ mentis meæ serenitatem ademerant, diffugerunt; & sensim cępi de Antiquarij candidissima sinceritate meliùs sentire, solidiori fundamento innixus, cumque veracitatis, ac ingenuitatis dotibus insigniter exornatum tam firmiter teneo, vt cum Martiali de ipso dicere non dubitem

Ipso nec sincerior alter habetur
Scriptor, nec nimea simplicitate prior.

Ab eadem Ruffini versione Feculpus lib. p. suarum Chronicarum desumpsit: *Berosus, qui Chaldaica deflorauit.* Cum ergò tantis iustitię titulis huiusmodi defloratio Berosiana hucusque sit appellata, tot annorum possessione deturbari iniquum arbitror, ni prius per validissimas rationes de vsurpatione constiterit. Nec temerè appositum fuisse tale nomen existimandum, nec enim aliter id fuisse putauerim, nisi ex nuper adductæ Iosephi auctoritatis impulsu, quam etiam adducit Annius.

Insuper cum ex supradictis expresse habeatur Auctorem libri Chaldæum, & Babylonium fuisse, nec aliunde notitias expiscari possimus, alium vnquàm Babylonensem Historicum a sæpiùs memorato, & celebrato Beroso extitisse, probabilissima vtique opinatione tenendum, eumdem quoque deflorationem Chaldaicam conscripsisse.

Quod verò alius Berosus non extiterit, qui antiquitats de rebus Chaldaicis scripserit, satis probatum putauerim, quod Iosephus vnicum tantùm in suis scriptis

allegat, & equidem si bini fuissent, eos minimè prætermisisset; nec id infringit illud axioma: *Auctoritates negatiuæ minimè valent ad arguendum*, nec enim rectè quis inferret: Tale quid nec in Sacris libris, nec apud D. Augustinum, nec apud D. Thomam habetur: ergo non est. Non enim est necesse omnia, vel in Scripturis Sacris, vel à Sanctis illis Doctoribus dici: refellitur namque huiusmodi oppositio, quòd axioma de auctoritatibus negatiuis verum est, quando nulla alia sunt adminicula, vel circumstantiæ, secùs verò si res aliter se habeat. Id autem esset si Auctor tale onus assumpsisset, vt exactissima omni diligentia de re aliqua pertractaret: Si Auctoris intentioni officiat non promere, quod silentio premit: Quando Lectores prudenter expectant talia ab Auctore enarrari, quæ si fuissent rectè iudicant, eas minimè siluisse. Sic in exemplum: Rectè fit argumentum ab auctoritate negatiua sic: Ab Euangelistis non habemus, nisi tres personas Diuinas, ergo non sunt aliæ. Nam si fuissent quattuor, vtique Christus, qui edocturus venerat homines in his, quæ sunt ad salutem, quartam non omisisset, cum ergò tres tantùm nominauerit quarta non est asserenda. Et sic ab auctoritate negatiua optimum conficimus argumentum: Modò in proposito nostro, ab auctoritate negatiua Iosephi valet arguere, hęc enim negatio pluribus adminiculis, & circumstantijs conuestitur. Eò enim loci Iosephus intendit probare ab Exterorum scriptis suæ Gentis antiquitatem contra Infestum sibi, & suis Apionem Alexandrinum grammaticum, & ob id vndequaque Auctores assumit, & auctoritates coacervat, eiusdem etiam Nationis plures repetens Scriptores, cum tamen & vnus sufficeisset ad probandum apud omnes Nationes Gentis Hæbreæ notitiam viguisse. Sic ab Ægyptijs assumit Manethonē, Cheremonē, Molonem, Lisimachum: a Phęnicijs Dionem, Mnaseam, Mochum, Aristęum, & Hieronymum eorum historiarum Scriptores: à Persis Megastenem, & Ctesiam: a Syrijs Nicolaum Damascenum: a Græcis Ermipum, Theofrastum, Theopompum, Herodotum, Cherilum Poetam, Clearcum, Hecateum, Agatarchidem, & alios: ab Assirijs, & Chaldæis vnum tantùm Berosum, ex quo opinanter infertur, alium apud illos Berosum non fuisse; nam si alius extitisset, maximè qui de rebus Iudæorum con-

scripsisset, vt Auctor deflorationis fecit, agendo de diluuio, de Arca Noemica, de Filijs, & Descendentibus eiusdem, meherclè, & eum redigisset in numerum; vtque sibi fauentes multiplicaret Assirios Auctores, vllo pacto siluisset. Illud hic supponimus, quod superius auctoritate Manethonis, & aliorum, nec non etiam rationibus stabiliuimus, Auctorem deflorationis ante Iosephum floruisse.

Nec valet dicere, Iosepho talem Berosum Deflorationis Auctorē minimè innotuisse, nam alio in loco cum ipse Iosephus, iuxta versione Ruffini dixerit, Berosū deflorasse Chaldæorū historias, satis innuit, quod Berosū defloratorē non ignorauerit: ac propterea, si hunc ab alio diuersū existimasset, certè in aliorū agmine reposuisset, vt validiori Scriptorū numero Apionem strepigerū illud cimbalū mundi confunderet. Præterquāquod Iosephus ad miraculū vsque in libris Gentilium versatissimus fuit. Vnde Sixtus noster Senensis in illius encomium confisus sit dicere vllos in æuū suum extitisse codices, quos ille diligentissimo studio non euoluerit. Lib. 1. Antiq.

Vlteriùs idem etiam confirmatur, quod vterque de ijsdem rebus summa concordia pertractat, maximè in his, quæ in scriptis suis ex antiquo Beroso reposuit Iosephus, vti est illud, quod adhuc in Armenia fragmenta quædam Noemicæ Arcæ asseruarentur in Monte Gordieo, à quibus Gentes illæ superstitionibus addictæ bitumen abradebant, & in amuleti vsum gestabant ad venefica quæque ableganda: hoc idem repetit Annianus Berosus his verbis. *Eleuata nam ab aquis in Gordiei montis vertice quiescit, cuius adhuc dicitur aliqua pars esse, & homines ex ea bitumen tollere, quo maximè vtuntur ad expiationem.*

Nec ad id infirmandum valet, quod vel Annius, vel quicumque fuerit huius libri Auctor hæc ob id inseruerit, vt operi æstimationem conciliet; nam huius rei gratia falsasset, vtique, & alia immiscuisset, in quibus concordia non apparet, vt est illud de Abraham, de quo apud Annianum neque verbum, licè, in Flauiano, & si suppresso nomine, honorifica fiat mentio, & in alijs quoque nedum, quæ ad inuicem discsiminari videntur, verum etiam à Moyse longè discrepare Annianus conspicitur.

Huic assertioni suffragatur Georgius Græcus Chronologista, quem sæpius in suis notis ad Eusebij historiam ci-

tat Iosephus Scaliger: Ille enim testatur Berosum, & Manethonem Ægyptiorum historicum suas ambo de eorum Principibus narrationes incępisse eodem anno, hoc est centesimo trigesimo primo anno post diluuium. (Ipsius verba inferius adducemus) cuius quidem assertionis Georgij veritas initio lib. 5. Anniani Berosi maximè elucescit.

Græci antiquitates ignorarunt. Solon ea de causa ab Ægyptijs irrisus. Litteræ serò ad eos peruenerunt, Homerus teste Iosepho minimè sua poemata scripsit. §. 32.

AD id tandem me impellit ratio illa, qua Berosus, vt Annius tradit, suasus est ad hanc Babylonensium Regum compendiariam historiam conscribendam, vna cum origine cęterorum Regnorum, quę fuit. Cum Athenis degeret Berosus, vt supra ostensum est, depræhendissetque Græcos gentium origines, & regnorum initia penitus ignorare; licèt solito fastu neminem ab ipsis sapientem existimarent; immò ipsis non videntibus cęteros omnes cęcutire arbitrabantur. Et vt de antiquorum gestis peritiam vanissima iactatione ostentarent, omnibus suadere conabantur, vllum vnquàm antiquiùs in homines regnasse Phoroneo Inaci Argiuorum Regis filio. Hunc regnandi artes primum instituisse, primumque omnium Regum in subditos imperasse, voluntaria mentis cęcitate, & turgida animi lèuitate, circumsonabant: cum tamen Phoroneus nonnisi quadringentis annis à Noemico diluuio regale solium inter ipsos extulerit: quo tempore Assirijs dominabatur Aralius Nini pronepos. Verùm Græci semper mendaces, de hac Phoroneana Archiarchia adeò firmi, & gloriosuli incedebant, vt plenis buccis vndequaque iactabundi ampullarentur: immo Solon ipse

Aus. de lud. *Septem Sapientum fama, cui palmam dedit.*

Ille, qui sua sapientia antiquam legum Draconis feritatem potuit delinire, & ipse vel à Patrię Philothimia, vel ab erro-

errore communi deceptus in eadem delira dilapsus est sententia. Propterea non iniucundum fore arbitramur, si quid ei acciderit in Ægypto hic subijciamus, quod in Timęo narrat Plato. Hospes apud Ægyptios Solon cum in eruditorum consessu de antiquitatibus, & Priscorum vetustissimis gestis sermo incidisset, adeò rudem in his se prębuit, vt cum græca vanitate suæ gentis antiquitatem ęternitati quasi fecisset conterminam, attica illa sua magniloquentia, & teretum verborum affluentia proauorum successiones retrocedendo recensens in Phoroneum, vsque peruenit, nec vlterius enumerare valuit: firmiter in suo cerebello cusa hac fabella, vt quoquot præcesissent homines, ad instar vegetabilium in mundo vixisse, & stolida, immò lapidea insensibilitate detenti nihil pœnitùs egisse. Verum cum risum continere non possent Sapientisimi illi Sacerdotes, quòd virum grauem puerilia hæc effutientem audissent, iustisima hac vellicatione Græcorum insciciam, simul & vanitatem doctisimè carpere. *O' Solon, Solon, vos Græci semper pueri estis, quia iuuenis semper vobis est animus, in quo nulla est de vetustatis commemoratione prisca memoria.* Eò quod igitur Græci recentiores fuerint Orbis incolæ in comparatione complurium aliarum Nationum vetustisima quæque ignorabant.

Alia ratio verò cur tanta Græci detinerentur antiquitatum inscitia, vt etiam vsque ad Solonem, quæ inter eos ante Phoroneum gesta fuissent ignorauerint, habetur ex Plinio lib. 7. quia scilicèt caracteres minimè habuerunt, quibus gesta memoriæ consecrarent; Cadmus enim centum post Phoroneum decursis annis à Phęnicibus elementa litteraria in Græciam detulit, nec statim, sed longè posteà eis quoque vti datum initium, vt optimè ostendit Iosephus contra Apionem, ex eo quod maximum illud toto orbe decantatum Græcorum facinus de Troiæ subuersione, vllus vnquàm ante Homerum scriptis consignauerit. verùm nec ipse, vt opinatur Iudæorum historicus; sed alij quæcumque ille memoriter recitasset, in cartis exarabant. Et hoc potisima fuit causa, quare in operibus Homeri tot friuola, & inepta irrepserint. Iosepho Lucretium occinisse arbitror in fine lib. 5, vbi asserit plurima post tempora litteras fuisse inuentas, & Priscorum præclara facinora longè ante pa-

trata, quæ postea cum à Poetis carminibus celebrarentur, in auditorum memoria recondita, tandem ab amanuensibus in scriptis fuere recepta. Perpende an id intenderit Vates.

Carminibus tùm res gestas cępere Poetæ
Tradere: nam multo post sunt elementa reperta.

Noster igitur Berosus, vt ignorantiam, simul & arrogantiam à Græcis, apud quos in celeberrima Atheniensi vniuersitate stipendia demerebat, procul amandaret, nec ampliùs aniles fabulas, & vanas effutirent iactationes, de Gentium, & Regnorum origine, in quibus ipsi tot mendacia quot verba proferebant, summa modestia eorum carpens inscitiam, hoc opus conscripsit, ad epitomen redigens quę diffusa narratione continebantur in voluminibus, quæ summa diligentia in Sacrarijs, & Archiuis Babyloniæ à Chaldæis asseruabantur, in quibus per Scribas, & Sacerdotes publicæ auctoritatis iussu res omnes; nedum post, verum & ante diluuium ad Creationem vsque in commentarios redigebantur. In his pariter exaratum quonam modo Gentes per Orbem primò se se diffuderint, sicque quò loci vnaquæque ex illis habitationes fixerit, ciuitates ædificauerit, colonias collocauerit; quonam pacto regna fuerint instituta, Regum successiones, omnia denique scitu digniora, nedum intra Chaldæorum, & Asiriorum fines, sed vltra etiam progredientes, cęterarum Gentium, & Regnorum memorabilia, conscribebant.

Cur Berosus in suo opere nihil de Græcis, cum tamen plura de cęteris Nationibus conscripserit: Et quomodò tot aliarum Gentium notitias habere potuerit.

§. 33.

FOrtassis contra hęc quis bina oppositione insurget. Nam si Berosus, vt Græcos iuuaret, & erudiret librum conscripsit, cur nihil de ipsorum origine attigit, totque illius Gentis egregia certe facinora alto silentio pressit? cum

tamen plura de Ægyptijs, Iberis, Celtis, Italis, ac Sarmatis memoriȩ comendauerit. Equidem recta suadet ratio, lumenque minimè præoccupati iudicij ostendit, si opus inter Græcos, & pro Græcis composuit, vt de ipsis quoque, & de eorum gestis plura tractaret, & in laudes, & encomia tot Heroum longiùs se effunderet, vt patrijs exemplis, maximè antiquis, adolescentium mentes nedum erudiret, verum & ad æmulandas virtutes excitaret.

Insuper quonam pacto quæso Berosus antiquissimi illius ęui Scriptor, cum minus per comercia se se inuicem Gentes agnoscerent, tot, tamque exactas, & singulares de dissitis, ac inuicem remotissimis nationibus notitias excipere potuit? nec ad id valet dicere, quod ex publicis Chaldæorum monumentis; inuerisimile namque, & ferè impossibile videtur quod Chaldæi Assiriæ indigenæ, & Babylonis incolæ notitiam adeò plenam habere potuerint de Lybijs, Hyspanis, Gallis, Germanis, Sarmatis, & Latinis, vt resciuerint Regnorum fundationes, Regum series, quis eorum Legislator, quę bella, contra quos gesta, extera, & interna facinora, aliaque huius generis singularitates, quæ in opere illo continentur.

His autem, vt satisfaciamus adducenda est cum Annio ratio, quare Berosus Græcorum res non attigerit, cum tamen primo intuitu videatur de ipsis potiùs scriberè debuisse. Id igitur minimè temerè factum, sed quia inter Græcos degebat græca dimisit. Non vtique eum latebat quam variæ inter eos essent opiniones circa origines, propagationes, fundationes, colonias, vrbium, & Regnorum institutiones: quomodò inter omnes de vetustiori antiquitate, deque præclarioribus gestis ebulliret contentio: ne igitur vni magis fauere videretur quam alteri, ab omnibus abstinuit, & vt multorum fugeret inuidiam, cuncta de Græcis siluit. Cum se ab omnibus impensè amatum, & summa æstimatione habitum videret, noluit eorum lites sua auctoritate dirimere, etenim optimè nouerat, & veritatem ipsam pluribus minimè placituram: ex ipso textu satis compertum habemus quanta circumspectione in Græcorum rebus deflorator sit vsus. In fine namque primi Regna Europæ enumerans, quæ per colonias a Noe ipso emissas originem acceperunt, cum inter hæc Ioniæ quoque Regnum in Gręcia

recensendum esset, ne apposité neglexisse videretur, tali vsus est phrasi, vt ex aliorum, non ex propria loquatur sen entia, his verbis: *Addunt quidam esse quintum Regnum in Europa, dictum Ionium*, à Iono Iapheti filio, & iuxta Chaldaicam pronunciationem, qua Sacer Chronista vsus est, Iauan.

Id verò, quòd inter opponendum allatum est de inuerisimili, & impossibili, omninò falsum statim ostendemus, & modum ipsum, quo Berosus ex asseruatis Chaldæorum monumentis omnium Nationum, & Regnorum, omnium denique Gentium mores, successiones, initia, origines, habere potuerit, mox subijciemus. Vtinam apud Græcos tam prudens viguisset consuetudo, nec enim Prisci eorum Historici tot deridendis fabellis, ac tantis grossioribus mendacijs volumina conspurcasent. Ephorus Cumæus ex Iosepho inter cęteros fabellarum compositores potiorem sibi locum vindicauit. Is namque agens de Iberis, siue Hyspanis adeò desipuit, vt Iberiam ciuitatem dixerit, & huic similia deliramenta, quæ vel ipsam męstitiam ad Cachinnos adigeret. Idque eiusdem Iudæi Historici testimonio: *Serò tandèm vix ad Græcos occidentalium Gentium potuit peruenire notitia.*

Verùm longè alitèr res se habuit apud Assirios, & Chaldæos, hi etenim primi fuerunt, qui in vnum coeuntes, turres, & ciuitates ædificarunt, ciuilem politiam induxerunt: ab his omnium Gentium fluxerunt coloniæ, quæ post linguarum confusionem, vnaquæque ipsarum proprio sub Duce, varias sibi partes orbis ad incolendum asciscerunt, firmatisque sedibus, regnis, principatibus, dominationibus initia dedere: ob id igitur valdè consonum est rationi, quod & ipsi Babylonij, effectu ipso naturalitèr impellente, diligenti vestigatione perquirerent, quid de filijs, de fratribus, cæterisque consanguineis actum, quomodo res eorum se haberent, & versa vice, qui longè à suis discesserant, cum solum ad sedem occupassent, ædificatis vrbibus, republica constituta, pari animi ardore de his, quæ sibi post discessum contigerant, quæ ve fælicitèr, quæue auersa, accidissent, Babylonios sibi sanguinis coniunctione deuinctos certiores facere summo studio curarent. Nec id executioni mandare difficile, cum enim tunc homines diù viuerent, lon-

longiſſima arripere itinera, hinc inde mittere, & iterum nuncios recipere, & ſi diſſita regionum intercapedine diſtarent, ſatis illis opportunum, ſicque ex omnibus terrarum orbis partibus quæcumque agerentur ad ipſos paritèr deferebantur, Monarcharum verò iuſſu omnia in commentarios redacta exquiſita diligentia ſeruabantur. Orientales etenim Reges ſummo ſtudio in id incumbebant, vt quæcumque contingerint de priuatis etiàm negotijs in archiuis cõſcriberentur; quod in ſacris litteris traditum habemus de Aſſuero, qui Mardochæi fidelitatem, qua conſpirationem iniquorum ex intimioribus famulis detexerat, in Regni commentarijs voluit adnotari.

His inſuper addendum quod Babylonij ſub Nino, & Semiramide breui tempore Orientales omnes ab Indis ad Libyam, & Ethiopiam Imperij fines vſque protenderunt. Quo pacto Africanos, & Europæos pro finitibus habuere; hincque facilè quæ voluerint ſcire potuerunt, quod ad politiæ ſtatum vtique plurimum vtile: hinc ſemper in Principum mente altius inſedit, vigilique ſtudio id curarunt, vt per exploratores, per nuncios per ſtipendiarios cæterorum, maximè finitimorum, negotia, conſilia, & fines detegerent.

Quod verò Aſſirij, & Babylonij cæterarum Gentium geſta proprijs annalibus insererent ob id ſatis probabile redditur, quod Æpyptios ſic peregiſſe ex certiſſimis Auctoribus compeertum habemus. Inter hos ſuſpiciendus eſt Plato, qui in Timeo refert colloquium à Solone cum Ægyptiorum ſacerdotibus habitum de antiquitatibus, & in eo inſerit quid Græco ſapienti vnus ex illis ait: *Quacumque à noſtris, vel à veſtris, ſiuè alijs nationibus geſta ſunt memoratu digna, modò ad aures noſtras peruenerint in Tẽplis deſcripta ſeruantur*. Si ergo adeò accuratè in his ſeſe gerebant Ægyptij; vt nedum ſua, ſed & exterarum gentium geſta conſcriberent, multo magis id credendum de Chaldæis, hi etenim primi fuere populi, ex quibus cæteri omnes promanarunt, & ab his ſcientias habuerunt, quas à ſeptingentis, & viginti annis ante Imperium Nini, eo ante Phoronei Regnum in ſcriptis redactas aſſeruabant, vt habemus ex Plinio lib. 7., ipſe verò ab Epigene antiquiſſimo ſcriptore accepit. Sicque talis conſuetudo à multis annis diluuium ip-

ſum preceſſiſſet : & hoc apertiſſimè innuit ſcientias etiam ante diluuium fuiſſe ; quas aut in libris , aut alio modo aſſeruatas , omnium primi habuere Chaldæi , cæteræ autem Nationes ab ipſis . Iulius Africanus noſtræ fidei chronologiſta tenet , quod etiam ante diluuium Chaldæorum fuerit Monarchia , in qua ſeptem nominat Reges intra ducentum , & viginti annorum ſpatio . Vana tamen opinio , & quæ futili fulcitur fundamento , vt pote apochyphorum ſomnijs innixa , quam nos quoque , communiori cum cæteris ſententiæ adhærentes , pariter cum Voſſio irridemus . Ipſi quoque Ægyptij ab Aſſirijs , & Chaldęis litteras acceperunt ex communi hiſtoricum ſuffragio , eaſque illis Abraham detuliſſe teſtatur D. Hieronymus , cum e Paleſtina ſumma annonæ penuria impellente in Ægyptum ſeceſſit , ibique diu manſit . Cum igitur res ita ſe habuerint , quis inficias ibit , Eegyptios vnacum ſcientijs politiorem conſuetudinem a Chaldæis mancaſſe , in commentarijs conſcribendi quæcumque memoratu digna tum interna , tum externa ? Vltrò his nos libentiſſime aſſentimus , & ſi fallimur , nec excuſationem , neque veniam petimus .

En igitur fons perennis abundantia ſcatens , a quo Beroſus notitias haurire potuit , nec tantùm de Aſſiriorum rebus , verum & cæterarum Gentium , in ſua Chaldaica defloratione. Præterquam quod ipſe Aegiptum,& Græciam, variaſque orbis partes inuiſit , vt moris erat ijs , qui ea tempeſtate laudabili diligentia gentium mores , & geſta conſcribenda aſſumebant . Eruditos quoque non fugit , ferè omnes ſcriptores , qui variarum gentium ritus , religionem, politiam , conſuetudines , ſoli fæcunditatem , vel inopiam, cæli benignitatem , vel aeris inclementiam ſcriptis tradere voluerunt , antequam con ſcripturi ſiſterent in Muſęo , peregrino pede ea loca diligenti examine luſtraſſe , vt de exarandis certiores euaderent . Ita Diodorus Siculus in præfatione hiſtorialis ſuæ bibliothecæ teſtatur his verbis. *Multis difficultatibus & periculis maiorem Aſiæ, Europæque peragrauimus partem , quo maiori , quæ à nobis deſcripta ſunt , ex parte , locis conſpectis , veritate litteris mandaremus .*

Qui verò adeo difficiles ſe præbent , vt aſſentiant , potuiſſe Beroſum notitias habere tam longè a Babylone diſſitarum Gentium,& Nationum , dicant quæſo , quonam pa

cto has habuerint Erodosus, Beroso ferè coæuus, qui origines, & gesta descripsit Aegyptiorum, Medorum, Persarum, Lydorum, simul & Græcorum? indicent nobis quomodo fuerit id possibile Trogo Pompeio, qui ferè omnium Nationum historias diffusissimè exarauit à Nino Assiriorum Monarcha ad Octauianum Augustum, quas posteà in epitomen redegit Iustinus historicus? ostendant qua via has fuerit assecutus Diodorus, qui omnium gentium vniuersales historias contexuit, & quadraginta libris distinctam, integram suam bibliothecam impleuit? A quibus notitias expiscatus sit Castor ille, siue Galatha, siuè Rhodius, qui vt in parentalibus professorum Burdegalensium cecinit Ausonius,

Quod Castor cunctis de Regibus ambiguis?

Iste Castor, vt habemus ex Suida, & Strabone lib. 12. filia Regis Deiotari vxorem duxit, à qua postea vna cum coniuge interemptus fuit, quòd eum apud Cęsarem ascusasset, & Ciceronem habuit suę causę defensorem. Hic complures chronographię libros conscripsit, in quibus de omnibus Regnis, & Regnum successionibus pertractat. Verum quia eorum antiquitas aliquid certitudinis ademit, id eò Gallicus vates ambiguos dixit. Vel ob id ambigui, quià cum eiusdem nominis essent ambiguitatem, & confusionem in historia ingerebant: de his autem Regibus eiusdem nominis ad tolendam confusionem fortè breue opusculum fecit Castor, sicut fecerat Xenophon Annianus, ac ideò non sine exemplo. Chronologica hęc volumina ampliùs non extant, sed tantúm aliquod fragmentum ex eis Eusebius in suo chronologico adducit.

Ex breui hac enumeratione, quam quidem numerosiorem instituere potuissemus, constat Scriptores omnes historiarum de rebus exterarum Gentium, dissitarumque Nationum notitiam habuisse. Verum contra eos nec mussitant Aristarchi, vt rationem reddant, vnde nam, vel quomodo talia resciuerint, vt contra Berosum, quia ab Annio productum plures rabido zelo insurgunt, & inuerisimile, & impossibile volunt fuisse, quod talia, ac tanta illi comperta fuerint; cum tamen notum sit omnibus, demptis obstinatioribus, a commentarijs, & Chaldęorum monumentis omnia accepisse: a quibus etiam (at sine vlla fece erro-

ris) ad sacram suam historiam texendam Diuinus Chronista Moyses excepit. Iulius Cæsar Scaliger in libros historiales rigidissimus censor, qui multoties nodum etiam reperit in scirpo, vt seueris suis annotationibus, & censuris ad Eusebij chronicas constat, non tam facilè reprobat fragmenta (vt ille vocat) Berosiana, immò valdè vtilia arbitratur; ac ideò in notis ad Eusebij chronicam ait: *Multa hactenus ignorat a beneficio horum fragmentorum nobis conseruata sunt.*

Quem verbis contumeliosis lacescunt, & insultant, eo ipso Beroso in sui comodum vtuntur. Quo loci obierit Phaeton abierit. §. 34.

EX hucusque allatis ad firmandam pro Beroso Anniano veritatem non nisi a proteruientibus, & durissimæ ceruicis viris reprobandum esset opus illud, quasi acephalæ auctoritatis, ac planè indignum vt euoluatur, cum tamen tam varias tradat eruditiones hucusque abditissimas, & imperuias, vt potè á primordialibus sæculorum ortæ. His tamen non obstantibus Raphael Volaterranus, Ludouicus Viues, Melchior Cano, & alij dignioris notæ scriptores diris deuouere, & irrisionibus traducere voluerunt. Nihilominus aliquid ex ipsis sic persundatis, & conculcatis suffurarunt, vt ab ipso suis sententijs auctoritatem mutuarent. Id fecit Raphael Regius (ambigo an sit ipse Volateranus, vt volunt aliqui) qui suis in commentariis ad illud Ouidij in finem lib. 1. metamorph.

Emicat extemplo latus post talia matris,
Dicta sua Phaeton, & concipit athera mente;
Æthiopasque suos, positosque sub ignibus Indos
Sidereis transit.

Raphael contra Grecorum fabellas ostendere volens Phaetontem in aquis Eridani minimè obijsse, testimonium sumit ex Beroso, eumque nominat, & ab ipso accipere non detrestauit, quod Phaeton Rex fuit Æthiopum, apud illos interijt, & tremolatus fuit, quod etiam asserit Plinius lib.

vltimo c. 2. Nihilominus huius auctoritatem non recitat; sed Berosum adducit, vt potè apud ipsum certioris auctoritatis. Iste Phaeton, amandatis figmentorem somnijs, fuit filius tertiò genitus Cham filij Noe, & in sacra Genesi iuxta idioma scripturę appellatur, Phut; ipse in Ethiopiam colonias duxit, ibique illius æui more Regnum fundauit.

Melchior Cano duodecim argumentis Annianum Berosum deijcere nititur. Adducitur primum argumentum, & prima responsio, quod extra chorum canat affertur & secunda, quod non contrarietur sacræ Scripturæ, licet dicat Noe post diluuium filios generasse. §. 35.

PRæ cæteris omnibus, quos insultantes passus est Annianus Berosus, infensum sese præbuit Canariensium Antistes, eo namquè certè viuidiori zelo, acriorique stylo in eum euertendum insudat, ac si Mahomettem, vel Lutherum mendacij, & impietatis conuincere assumpsisset.

Primò enim duodecim argumentorum iaculis eum impetit, indè, quasi iugulatum interemisset, prostratum cadauer, turgidiori veluti fasto proculcans, ait: *Facilius dico esse Berosum istum Annianum comtemnere, quàm refellere.* Verùm vt ostendamus, quod & bonus aliquando dormitat Homerus, & quod Aquilæ interdùm in proprijs dijudicandis cęcutiunt, & Lynces in talpas mutantur, eodem ordine, quo eiaculata fuere argumenta adducemus, eiusque retusa pluribus responsionibus acie, nec primam cutem perforasse legentium mentibus subijciemus.

Primum igitur sapientissimi Cano argumentum est. Berosus iste Annianus cum asserat Patriarcham Noe post diluuium ex vxore habuisse filios manifestè sacris litteris contradicit; in illis enim apertissimis verbis habemus, quod tres tantummodò filij secum ingressi sunt in arca, &: *Ab*

Gen. 9 19. *his disseminatum omne genus humanum super vniuersam terram*. Si ergò tantùm ab his tribus propaginibus Vniuersi per orbem pullularunt surculi, quomodo stat quod refert Annianus Berosus, ab alijs filijs Noe post diluuium deductas colonias plurium regnorum iacta fundamenta per orbem?

Ad hoc sit prima responsio. Gratis concedimus apparenti contrarietate Berosum sacris litteris repugnare, quid inde? Fortè huiusmodi liber ergo minimè est Berosi? Vah quam perperam concluditur? num fortasis impossibile est verum ipsum Berosum Moysi sua in historia fuisse contrarium? quàm bellè fieret discursus, si ex eo quod Gentilium volumina sæpè sæpiùs Scripturę Sacrę contradicunt, suppositios diceremus eorum Auctores. Conuenientiùs discursum disposuisset Cano si in antecedente sui dilemmatis id assumpsisset, quod hęc Noe post diluuium generatio, quam Annianus asserit, Flauiano Beroso contradicit; sic enim rectè concluderetur, quod non esset vnus, & idem Auctor, nec enim pręsumi potest, vt isdem Scriptor palmares has contrarietates suis in libris inseruerit, & sic cum Flauianus sit verus Berosus rectè sequitur quod Annianus sit falsus, cum non constet duos fuisse ex Chaldæa Berosos.

Sit secunda responsio. Minimè admittimus Noe post egressum ab aquis filios habuisse, sit contra textum diuinum. Quis reperiet id vnquam assertum, vel negatum? Immò ex opposito tria loca notauit Eminentissimus Caiet: e quibus potius elici posse videtur, filios procreasse. Nec id temerè asseritur, sed plures suppetunt, nec ex sufflandæ rationes cap. enim 9. Gen. alloquens Deus quattuor illis hominibus, quos sua clementia seruauerat incolumes, omnibus indiscriminatim imposuit: *Crescite, & multiplicamini*. Gen. 9. 1.
Propterea peculiari benedictione eos omnes communiuit Omnipotens, qua, vna cum peculiari de propagatione mandato, eis etiam viuidiorem donauit in lumbis fęcunditatem, & quoddam supra naturam robur, & vim. Nec verò ab huiusmodi beneficio fęcunditatis per benedictionem Patrem exclusum fuisse illud nos certiores facit, quod ait Sacer textus: *Benedixit Deus Noe, & Filijs eius, & dixit ad eos, crescite, & multiplicamini, & replete terram*. Quomodo benedixit, & præceptum edidit; si ergò Patrem a filijs

lijs in benedictionibus non seiunxit, minimè quoque à mandato de propagatione secreuit. Eadem enim phrasi vsus est Sacer Chronista in exprimenda benedictione, ac præcepto, nempe: *Et*: Sicut igitur Filijs, ita & Patri mandauit crescere, & multiplicare: Postquam verò Deus clementissima bonitate eis dixisset à bestijs non timere, eisque omnibus vti posse ad esum, ne tamen simul cum cruore comederent, & ab humani sanguinis effusione abstinere districtissimè iniunxisset, mandatum sine vlla distinctione repetit: *Vos autem* (omnes alloquitur) *vos autem crescite, & multiplicamini, & ingredimini super terram, & implete eam.* Gen. 9.7.

Oppositio Pererij, & Responsio. Senectus Noe minimè Sterilis. Quos post diluuium suscepit filios in familias Maiorum asciuit: Ostenditur error circa librum malè S. Methodio attributum. §. 36.

EA ratione Pererius filios post diluuium denegauit, quòd cum supra sexcentesimum annum ageret, nimia ipsa senectus ad gignendam prolem vires non suppetebat. Verùm id minimè abstat, nam Gratia efficacior quàm natura. Nec tempus quantumuis longissimum sterilitatem inducere valet in eo, cui æternitas ipsa fęcunditatem donauit. Nec infirmior erit diuina benedictio, vt per per ipsam in Sene reuirescat fęcunditas, ipsa maledictio, ne qua virentes arbores extemplo arescant. Ille ipse Noemo validiores ad procreandum vires impartiuit, qui & Saram, & Annam, & Elisabeth iam per ætatem, vel corporis defectu steriles, concipere indulsit.

Insuper minimè verum est Noe á nimia senecta viribus expoliatum, & si enim vltra sexcentesimum attigisset, nedum tamen bis tertium dierum vitę suæ spatium compleuerat, nam vsque ad nongentesimum, & quinquagesimum vixit. Modò si & hac nostra tempestate, cum iam longa fatigatione, veluti hebetata natura viribus ad generandum

imminutis, vt in comparatione primęuæ iuuentutis illius agenetica dici posſit, in conſimili dierum gradu, hoc eſt, & ſi bini vitæ trientes expleuerint homines, adhuc filios gignunt; quo fundamento, quaue ſecuritate id ſequutum negabimus, cum viuidiſſimi roboris homines in nonum vſque ſæculum perdurarent, & modò vix vnius dimidium expleamus.

Sanctiſſimus Patriarcha Abraham centeſimo ſeptuageſimo quinto ætatis ſuæ anno defunctus eſt, centeſimo verò (Geneſ. 23. 7.) trigeſimo ſeptimo Saram vxorem ſuam amariſſimè defleuit. Inde Ceturam duxit, ex qua ſex ſuſcepit filios, cum binos (Geneſ. 25. 2.) tamen dierum ſuorum trientes impleſſet, nec ei diuinitus hominum iniuncta propagatio, nec adeò habitatoribus tunc vacuus erat Orbis; iam enim à ſæculis omni ferè ex parte reperiebantur indigenæ; ad augendam nihilominùs ſobolem, minimè verò incontinentiæ æſtu, ſed myſtica operatione (profeticè enim Sancti illi Patres per D. Auguſtinum liberos procreabant) cum ad vltimam ſenectam iam vergeret aliã vocauit ad thalamum; vt quid obnuemus concedere Noe filios poſt exſiccatum Orbem, cum ipſum Deus mira certiſſimè prouidentia ſeruaſſet incolumen, & ab ipſo ei onus generationis iniunctum, Natura ipſa quoque ſollicita, ne nobiliori viuentium ſpecie viduaretur, extimularet ad ſobolem, gratia pariter vires roboraret, vxoremque dilectiſſimam lateri ſemper adhęrentem haberet, quam forte omnipotens hac vna de cauſa ab vndis exemerat.

Equidem Scriptura id non exprimit (& hac quoque ratione ad oppoſitum ſentiendum ſuadetur Prierius) quod tamen dixit de Abrahamo. Et quod magis vrget, Sacer Chroniſta non ſolum de huiuſmodi poſt diluuium Noemitica prole peculiarem vllam facit mentionem, verum nec vniuerſalem illam particulam apponit: *Et genuit filios, & filias*. Qua tamen ſemper vtitur, quoties cęterorum Patriarcharum filios recenſet; quorum gratia Hebraicæ genealogię ſeries contexitur; vt ſciamus, á nominatis alios quoque ſuſcepiſſe filios, ſit in exemplum. Poſtquam Sacer Chroniſta recenſuit Adam genuiſſe Seth in ſtipite humanæ generationis primus ſurculus, ſtatim ſubdit: *Et facti ſunt dies Adam poſtquam genuit ſeth octingenti anni, & genuit* (Geneſ. 5. 14.) *filios*. Sic pariter de cęteris ſequentibus. Licèt tamen om-

nibus modis id sileat Moyses, non ideò veritas propositæ sententiæ de fęcunditate Noe ruit: stat enim firmum dialecticum axioma, ab auctoritatibus negatiuis perperam fit conclusio, ni fortè à circumstantijs vestiantur, vt paulò ante ostensum est; estque illusio, & irrisio non autem illatio sic inferre: Id non dicit Scriptura g. non est. Num fortè præterita, & futura omnia Sacro ab Auctore erant recensenda? Exemplum subijcimus. Historici omnes Sacri, & prophani conueniunt in hoc, vt tresdecim numerent Persarum Monarchas post Cyrum: in Daniele nihilominùs cap. 11. quattuor tantùm recensentur, hisque recensitis, statim ac funditus deletum esset Persarum imperium, Alexandrum inducit. Erit ne recta illatio ab scripturali textu sic arguere: Quattuor tantùm nominat ergò plures non fuere? Minimè. *Non enim curæ fuit* (ait D. Hieron.) *Spiritui prophetali historiæ ordinem sequi, ac omnia dicere, sed pręclara quęque perstringere*. Ita pariter discurrendum in nostro casu: Moyses tres tantùm filios Noe recenset: ergò alios non habuit, & oppositum asserere, est Sacræ Scripturæ contradicere?

Sed & clausula illa: *Genuit filios, & filias*. Minimè officit; non enim id in Scripturis indispensabile, vti supponitur. Alij enim fęcundi Genitores fuere, quibus id additum non fuit. Hi sunt Iaphet, & Cham filij Noe, sed tantum Sem appositum fuit. Pariter nec Thares Abrahami genitori; nec tamen credibile est eos totis tercentis, & quadraginta annis tres tantum, vel quattuor filios, qui ab historia recensentur, procreasse: ea maximè tempestate cum homines summa fęcunditate pollerent, & poligamia licitè vterentur. In his adnotauimus hunc clausulam minimè adiectam a Sacro Chronista quoties ad calcem alicuius ætatis peruenerit: cum ergò in Noe prima sisteret mundi ætas, in Thares finiret secunda, clausulam hanc: *Genuit filios, & filias*. Non apposuit.

Ad argumentum verò ex verbis textus desumptum à Cano, nempè: *Ab his disseminatum est omne genus humanum super vniuersam terram*, idest, ab his per Orbem multiplicata est vniuersa hominum soboles. Dicimus, quod relatiuum illud: *Ab his*: non solos filios respicit cum Patris exclusione, sed ad ipsum quoque cum illis refertur, vt sit le- Genes. 9. 19.

gitimus

gitimus verborum sensus, ab his quattuor immediatè ante recensitis hominibus, ab vniuersali humani generis clade peculiariter ereptis, quotquot sunt in mundo nascuntur.

Aliter etiam respondemus cum Annio, & Caiet: Sacræ paginæ doctissimo, & acutissimo interprete: quod Noe filios omnes, quos post reparatum Orbem susceperat, in familias trium Priorum per adoptionem inseruit; idque ad tollendas rixas, & discordias, quæ post eius obitum proculdubio inter fratres exarsissent. Tres illi namque maiores natu communi omnium hominum excidio superstites, ipso iure, immò Deo ipso concedente ad totius Orbis Principatum fuerant euocati: *Replete terram*: ideòque portionem illam, quam iuxta Patris diuisionem, vt infra fusiùs agemus, sibi obuenerat, in suum quisque vellet imperium erigere: Insuper ipsi totius instaurati Orbis Patres, vniuersæque Terræ Principes erant, adeò quod quicumque nasciturі, eorum detrectare imperium, dominationem fastidire, illorum denique iussa exequi, recusare minimè possent, nec deberent. Talibus igitur, ac tantis prærogatiuis exornati, ægrè valde tulissent, si dignitate sibi imminuta, & decurtata possessionum amplitudine alios ab eorum subiectione mancipatos, & in Orbis Principatum pari dominatione inspexissent euectos. Vt igitur radicitùs fęcundam dissidiorum segetem conuelleret Prudentissimus Noe, quos a diluuio suscepit liberos, maioribus filijs tanquam adoptiuos subiecit, in partemque illorum hæreditatis venire voluit: & ita propriè locutus est sacer textus cum ait: *Ab his*: hoc est a Sem, Cham, & Iaphet: *dissеminatum est totum genus humanum*. Per filios silicèt eorum, siue natura, siue adoptione; illos ab vxoribus, hos a Patre susceperunt.

Huiusmodi quoque adoptione, ac veluti in familias insitione filiorum, vt in partem hęreditatis veniant cum naturalibus liberis, vsus est Sanctissimus Patriarcha Iacob, vt narrat Moyses cap. 48. Gen., qui Ephrain, & Manassen dilectissimi filij sui Ioseph maiores filios sibi adoptauit in suos, eosque pari partitione cum cæteris suis ditauit, Principesque suarum Tribuum instituit. Ad hoc ita Iosepho allocutum dicit Sacer chronista. *Duo filij tui, qui nati sunt tibi in terra Ægypti antequam huc venirem ad te mei erunt Ephraim, & Manasses, sicut Ruben, & Simeon reputabuntur*

Genes. 48. 5.

buntur mihi. Sic iuxta hanc testamentariam dispositionem in partitione Terræ promissæ Iosue parem cum cæteris portionem dedit Tribui Ephraimitarum, & Tribui Manasses. Tali igitur consilio prudentissimus Noe cum maiores filij vacui orbis possessum accepissent, quos postea procreauit liberos, a primis voluit adoptari, & vt in eorum familijs asciscerentur, vt ex ipsi hæreditario iure simul cum naturalibus in bonis Patris succederent.

Nec soliditatem huius sententiæ infringit illud, quod addunt, Moysen silicet minime recensuisse in serien filiorum Sem, Cham, & Iaphet, hos ex adoptione susceptos filios, cum tamen naturales, insuper & plures ex nepotibus recenset, vt paret cap. 10 in quo genealogias intexens ait. *Hæ sunt generationes filiorum Noe Sem, Cham, & Iaphet, natique sunt eis filij*. Quos diligenti distinctione enumerat. Ad hoc enim cum Annio, & Caetano dicimus minimè credendum Sacrum Moysen ibi, alijsue in locis filios omnes enumerare voluisse, quos tres illi renouati orbis Patriarchæ, & Patres habuerunt, sed aliquos tantùm, maximè illos, qui Principes, & Duces fuerunt illarum Gentium, quę tunc, cum Genesim conscriberet, magni nominis erant apud Hebræos; non enim intendebat texere historiam vniuersalem, quę de ortu, & crepundijs omnium Gentium ageret; sed hoc vnum illi scopus, & intentio, vt Hebræorum originem ostenderet; ideóque citato calamo ad Abraham peruenire festinans, eo quod ipsum, vt Patrem venerabantur Hebræi; Ille enim à Chaldæis secedens, & inter Palestinos habitacula figens, Hebręorum gentem condidit. Propterea cęteris omnibus omissis, qui aliarum Gentium propagatores fuerunt, quos proculdubio filios, nepotes, & pronepotes Noe fuisse non est ambigendum.

Insuper nec prætermittendum; Moysen in genealogijs Sem, Cam, & Iaphet, non tantùm omisisse filios eorum adoptiuos, quales fuere à Noe genitos post diluuium, verum nec etiam omnes eorum naturales recensuisse, ratione ipsa, quam nuper attigimus. Id autem apertissimè constat ex cap. 11. Gen: ibi enim cum dixerit Sem tertium suscepisse filium nomine Arphaxad, subiungit: *Vixit Sem postquàm genuit Arphaxad quingentis annis, & genuit filios, & filias*. Modò sistamus, & dicant quæso Aduersarij quot ex filijs à

Sem post Arphaxad susceptis quingentorum annorum spatio nominentur à Moyse? certè non alios nominatos reperient, nisi Ludum, & Aramum: Si ergò recensitos supputemus quinque tantùm filios habuit Sem, silicèt Elamùm, Assarum, Arphaxad, Ludum, & Aramum.

Verum quis non videat quàm male hęc simul cohæreant, nempè Sem Orbis Pater, á Natura, & Deo ipso in assertorem, & instauratorem humanæ sobolis eiectus, vt Orbem vndequaque hominibus viduatum repleret; cui viuidum inerat generandi robur, semenque ab Omnipotentis peculiari benedictione fęcundatum, & à Natura ipsa ad prolem dispositum, quæ vt assolet post clades, pestilentias, & hominum excidia toto conatu vegetat vires, excitat spiritus, vt iterùm instauretur; sexcentorum annorum longissimo decursu, cuius thorum plures poterant legitimæ ascendere vxores; quam malè dico cohæreant hæc omnia cum tanta filiorum penuria. Quis ex nostris modò, cum iam natura videtur quasi languescere, & vt de suis temporibus cecinit Lucretius

Vsque adeò fracta est ætas, effętaque tellus.
Vix animalia parua, vt gignet, quæ cuncta creauit
Sæcla, deditque ferarum ingentia corpora partu.

Quis modò, dicamus, infirmi etiam roboris, vnica cum vxore sæpiùs repugnante, perbreui vitæ suæ spatio, vt in comparatione eorum, de quibus dicebamus, momentum videatur, numerosiorem non suscipit prolem? Hæc adeò inuerisimilia, hæc tam anilia concedere adiguntur, qui de primis illis fęcundissimis genitoribus nil aliud sentiunt, nisi quod per Moysen fuit exaratum. Solertes verò, & prudentes optimè norunt, vltra id, quod apparet in chartis, penetrare discursu. Tu verò prudens Lector percurre primũ cap. Paralip. ibiq; recensitos insuper reperies quattuor alios filios, nempè Hus, Hul, Gether, & Mosoch Semo adscriptos. Propterea vtpotè rationabilior à pluribus eruditissimis Scriptoribus Theologis, & Expositoribus sacræ paginæ, Chronologistis, & Historicis sustinetur hæc sententia de fęcunditate Noe post diluuium. Inter cęteros recensetur noster Annius; & eminet noster Caietanus, nec eam inficit doctissimus Abulensis, de quo iure meritò fertur

P. Paralip c.p.n.17. impress. Lugdun. 1627.

Hic stupor est Mundi, qui scibile discutit omne.

Licèt

Licèt eam minimè amplectatur. Hanc creditur fuisse sententiam Sancti Methodij Episcopi, & Martyris initiantis Ecclesiæ; eo quod in quoddam pseudographo cum titulo, Reuelationes Sancti Methodij legitur, in quo cum & nos incidissemus, selectissimam Margaritam reperisse putauimus; at verò vbi diligentiùs librum fuimus perscrutati; nigras falsitates offendimus, gemmamque vitrum esse comperimus; liber namque ille somniorum farrago est ineptientis, delirantis, ac phanatici alicuius semilatini, vel ex integrò barbari teterrimæ nugæ, qui seipsum intra latibula recipiens ne agnoscatur, calami sui stoliditatibus Sanctum Tyropolensem Antistitem traducere voluit. Et tam longè distat infatuatum illud opusculum esse Methodij, quantum a tertio Christianæ æræ sæculo, in quo inuictissimus Martyr tryumphauit, elongatur vndecimum, in quo Magister Sententiarum a Spurcissimo Auctore citatus floruit, & cuius doctrina perperam abutitur indoctissimus tenebrio. Verùm ne vlteriùs fęculenta hæc commisceamus, os reseratæ latrinæ claudatur, & ad id, quod innuimus redeamus, plures nempe ex eruditis sententiam de fęcunditate Noe post diluuium sustinere, & Theologis, & Sacræ Scripturę interpretibus iungantur Historici; splendent inter hos Torniellus, & Saluianus.

Nota igitur hæresis inuri non potest hæc sententia, nec erit blasphemum aliquod contra Religionem effatum igne purgandum, nec placitum dris atrocioribus deuouendum, vel irrisionibus subsannandum, & explodendum, cum Anniano Beroso asserere Noe iterúm liberorum Patrem, postquàm ab vndis caput extulit Orbis. Et hæc ad primum Cani argumentum sufficiant.



Secundum Cani argumentum refellitur: Non est inuerisimile Cham id intentasse in Patrem, quod à Beroso Anniano refertur. §. 37.

SEcundum Cani argumentum erat: Berosus euulgatus ab Annio ineptijs delirat, ait enim Cham filium tertiò genitum Noe, cum Patrem incauté inebriatum, & inter fumosos epoti vini vapores consopitum denudatis virilibus incompte iacere inspexisset, scelesta manu attrectasse, ac magicis insusurratis in ea carminibus, vim generādi ademisse. Hæc verò vt sacræ paginæ repugnantia, insuper & fabulosa deliramenta vnquam scriptis suis inseruisset Auctor grauis, & eruditus, qualis fuit Berosus.

At verò argumentum hoc dialecticorum in regulis ineptire videtur. Quæ enim illatio est ista? In libro Berosi Anniani plura sacræ paginæ contraria leguntur: ergo Berosus non est auctor illius libri; quasi nec falsa, nec scripturæ aduersant ia dicere potuerit Berosus.

Secundo. Respondetur minimè sacris litteris aduersari enaratum scelestissimi filij facinus, immò arbitramur, haud parum conuenire, vel saltem non modicum in illis habere fundamenti, nono enim cap. Gen. narrat Moyses Cham cum Patrem inebriatum vidisset: *Et verenda eius essent nudata* irrisit illum, & vt apud fratres etiàm traduceret, eos ad spectaculum conuocauit. Ex sacro igitur textu habemus, Cham iniurium se præstitisse circa virilia Patris, ac ideò quod narrat Berosus, eadem attrectasse, & per magicas incantationes eneruasse, videtur magis inhærere textui, ac fauere. Quæ enim difficultas se se obijcit quin id fecerit? quę repugnantia, quin id credamus?

Quid vetat neruos magicas torpere per artes?

Sulmonēsis igitur vates, & nos cum ipso id fieri posse minimè ambiguimus. Itaque dicimus Berosum interpræetem potiùs, & expositorem Moysis, vt potè, qui dilucidam, & extensam narrationem instituit illius facinoris, quod chronista diuinus, ne verecundi pudoris modestiam offenderet, cursim attigit, & solùm insinuauit, iuxta morem Sacrorum

Scriptorum, qui ſtricto ſermone, ac veluti mutilata phraſi minus honeſta facinora narrant; eo quià *Eloquia Domini eloquia caſta*. Mille ſuppetunt in ſcripturis exempla, quibus apertiſſimè inſtruimur, cum ad impudicos exarandos amplexus peruenitur, recotioribus vocabulis ad hos innuendos caſtiſſime vti, qualia ſunt, *loqui*, *vel dormire*.

Qua propter ſi nobis amandata vocum honeſtate liberiori ſtylo Suſannæ hiſtoriam litteris conſignare præſcriberemus, quam caſtiſſimis verbis ab ignoto quidem, ſummæ tamen auctoritatis, quià ab Eccleſia recepto ſcriptore, exaratam legimus inter prophetica Danielis monumenta. Ibi namque Hebræarum mulierum adulteros lapſus à ſceleſtiſſimis illis ſenibus per fraudem, & vim extortos recenſet, & quo modo illi niueo ſub ætatis candore damnatiſſimas iuuenilis ardoris flammas deliteſcentes, quo ſecretiori dolo, eo etiam effrenatiori molimine fæminarum caſtitatē pertentabant: ac ideò malè cautæ Iſraelis filię pudicitię criminationes per falſas acuſationes, quas illi comminabantur, pertimeſcentes, re vera honeſtatem eorum inſanienti libidini proſtituebant. Fefellit tamen iniquos concepta de Suſanna opinio; hæc enim nec blanditijs ſemollita, nec minis perterrita, ſed nec ipſa morte, & infamia inuictiſſima eius conſtantia vel paululùm labefaſtata, illibatæ pudicitiæ ſpectatiſſimum ſe præbuit exemplar. Si ergo hæc omnia, quæ ſacer Auctor locutionis vocabulo exprimit, vt perpetratum adulterium lectoribus innuat; quod quidem ex his quæ Daniel impudicis ſenibus exprobat elicitur; eis enim in faciem dixit. *Sic faciebatis filiabus Iſrael, & illæ timentes loquebantur vobis, ſed filia Iudæ non ſuſtinuit iniquitatem veſtram*. Nos ſi hæc omnia immediatis, ac ipſiſmet vocibus ad obſcęnum illum actum, ſermone ipſo certè fædiorem; ſignificandum aptatis vteremur, poſſet ne quis obijcere, quod aduerſaremur textui, vel nos ſacris litteris cōtradicere? minimè certè. Sed potiùs apertiſſimè nos exaraſſe ſcelus ipsū ad vltimum vſque ſui complementum; cum e contra Sacer Auctor ne modeſtiam læderet in ipſo criminis veſtibulo pedem ſiſterat: a verbis enim omne veneris fædiſſimū opus exordium ſumit. Ita Ouidius cum Paridem inducit Helenam ſollicitantem, vt ſecretum ſecum colloquium concederet, callidiſſima fęmina optime noſcens, quò verba tenderent, promptè reſpondit.

Dan. c. 13.

Dan. 13. 57.

Quod petis vt furtim præsentes ista loquámur,
Scimus quod captes, colloquiumque voces.

Ità pariter intelligendum quod de sermone Cham in Genitoris virilia insusurrato in 3. lib. narrat Berosus Annianus. Non ergo contradicit scripturę, sed eam explicat, & narrationem complet, quam viuo vestigio attigerat Auctor, & vt modestiæ consuleret solam visionem expresserat. *Vidit verenda eius esse nudata.* Verùm cum per Patris maledictionem nedum filium Cham, sed & Posteros eius punitioni addictos legamus, ingentem vtique fuisse culpam minimè denegandum. Et verè satis scelestus fuit Cham ad hanc, & sceleratiores quoque culpas perpetrandas, vt infrà ostendemus. Interim pro secundo argumento hæc sufficiant.

Tertium Cani argumentum. Non est fabulosum Noe fuisse Ianum Gentilium. §. 38.

CONtendit Cano Annianum Berosum fabulosum esse, eo quod plures fabellas contineat, quas vtique grauem, & sanum Auctorem, qualem verum Berosum fuisse constat, minime decere non est qui non videat; tale est illud in opere insertum, Noe scilicet latere sub nomine Iani.

At verò quis vel saltem à limine antiquorum eruditiones inuisit, & id ignorat?

Quisquis adhuc vno partam colit asse Mineruam,
Quem sequitur custos angusta vernula capsa.

Et pueri à pædagogo hæc ediscere potuerunt, diceret Iuuenalis. Vossius in antiquis eruditionibus apprimè instructus, in eis trutinandis accuratissimus, in dijudicandis acerrimus, in tradendis circumspectus, id tam firmiter tenet, vt sine vlla hæsitatione in sua chronologica Isagoge, agendo de diluuio, in fine 4. dissertationis, hæc ait. *Ex hoc diluuio Deucaleoneo, quod planè idem ac Noachum, profluxit & fabula de Iano bicipiti, qui historialiter non est alius quam Noemus.* Tanto igitur sub Patrono adeò apertè omnium oculis subijcere aggredior, vt etiàm in docti erudiantur, nec

amplius cōtra mussitare audeant,& obstinatiores eruditi ita euincantur,vt cōtrahire nequeāt,& nō assentiri erubescant, quod vt faciliùs assequar, cūcta per ordinem digesta reponā.

Tamquam igitur certum, & apud omnes indubitatum præmitto, quod etiam prudenti discursu suadetur: Memoriam Noe; eo quod fuerit primus, & vniuersalis Pater, renouatæ gentis propagator,nunquám ad eo obliuioni traditam fuisse, vt apud posteros confusa quædam saltim notitia non remanserit de illius persona, & de præclarioribus illius gestis; vti est quod fuerit saluificæ nauis constructor, quod ab aquis inundantibus orbem illæsum seruauerit,quod vini inuentor,& his similia; nequaquam enim probabile est, quin filij sui, & nepotes, qui eum viuentem nouerant, dum successoribus priora gesta enarrarent, de eorum origine, & quo pacto propagatæ essent gentes,eiusdem etiam facerent mentionem, tanquám primi, & principalis omnium seruatoris, & Patris; sicque per successiuas vices traditiones hæ diffusæ sunt per vniuersum Orbem ad longissimos vsque descendentes ab eadem radice per propagationem progenitos, & in hominum memoriam per eos receptæ asseruatæ sunt, vsque donec inuentis caracteribus per scriptores in libris digestæ sūt.Ità paritèr similibus rationibus Iacobus Mirtilus in doctissimis suis additionibus ad commentaria Raphaelis Regij in lib.Metamor.sibi suasit scribens: Verisimile est semper fuisse inter patres certas quasdam sententias de Deo, de creatione, de diluuio, & similibus rebus, ac grauioribus mutationibus, quas á primis hominibus acceptas posteri quasi per manus alij alijs tradiderunt.

Quià verò apud Chaldæos semper fuit litterarum vsus, vt vnanimi consensu sacri,& prophani scriptores affirmant maximè Plinius, qui eas ab æterno habuisse credidit, cum nec à quibus, nec quando eas habuerint eis quoque ignotum;ideò ipsi soli per nunquam interruptas successiones antiquissima gesta, & quæ in dies eueniebant, in scriptis redigebantur. Ab ipsis acceperunt Hebręi, eorum instituto-ris Patriarchæ silicet Abrahæ, qui Chaldæus fuit, opera. Inter Hebræos verò omnium primus scripsit Moyses, qui sacram Genesis historiam conscripsit. Hinc est quod apud Chaldęos, & Hebręos solummodò primęuo suo nitore, & purissima veritate, hoc est sine fabellis, in somnijs, & dela-

lira-

liramentis asseruatę sint priorum temporum, & hominum gesta, & euentus, cum proprijs virorum nominibus, & sinceris rerum euentibus.

Apud alias Nationes verò cum non nisi post longissima temporum interualla inuentę fuerint litterę, & exorti scriptores, ideò legitima puritate minimè nitebant in scriptis. Genitores namque filijs hæc recensendo, & hi hæredibus iterum narrando, sicque per manus ab alio in alium migrarent traditiones, aliquid semper de pura veritate amittebant; vel enim immutabantur nomina, vel plus minus alterabantur facta, riuolorum ad instar, qui quo magis elonguntur à fonte, eo minus puriores elabuntur. Id etiam compertum habemus in nostrorum temporum gestis, quæ cum à pluribus referuntur, aliquid semper vel additur, vel demitur veritati, vel gesta complicantur ad inuicem, permiscentur, confunduntur. Mirùm equidem quám diuersimodè à Sacra Genesis historia diluuium ipsum conscribatur à Poetis, & Gentilium Historicis; ab his enim mille fabellis conuestitum, deliramentis deturpatum, detruncatum, & inuerisimilibus accidentibus inuolutum traditur.

Refertur Luciani de diluuio enarratio.

§. 39.

INter cęteros omnes, qui de Mundi Cathachysmo ex Gentilibus conscripserunt, vnicum Lucianum seligo, licet enim is non omni ex parte à fabularum commentis immunse prębeat, attamen minori cęterorum omnium discrimine à Sacris litteris discrepat; adeo vt quicunq; eum legerit ad hoc adigat, vt quæ de Deucalione ibi recensentur, de Noe conscripta esse fateatur. Hæc igitur ex Luciano sic transcribere placuit. *Complures Deucalionem, Scytham illum, tradunt Templum hoc consecrasse:* (loquitur de Templo quodam sumptuosiori structura ædificatum, & Deæ Syriæ dicatum in quadam ciuitate, quæ ob huiusmodi cultum Sacra dicebatur, græcè verò Hieropoleos) *eum, puta Deucalionem, cuius temporibus aquarum diluuium fuit. Cęterum de Deucalione, inter Gracos sermonem, quem ipsi de eo efferunt, audiui. Habet autem sermo ille hoc pacto. Hanc hominum generationem*

Lib. de Dea Syria.

nerationem, qua nunc est, ab initio haud quaquam fuisse, sed eam, qua tùnc fuit, totam interijsse. Hos autem homines, qui nunc sunt secundi generis esse, eius, quod rursùs à I eucalione in tantam multitudinem excreuit. De illis autem hominibus huiusmodi quadam traduntur: Cum contumeliosi admodum essent, nefanda opera eos patrasse: Neque enim iusiurandum obseruasse, neque hospites recepisse, neque supplicum misertos fuisse: ob quam rem maximam calamitatem ipsos mox consecutam esse: Statim enim & tellus multam aquam effudit, & imbres magni fuerunt, & flumina solito maiora decurrerunt, & mare quoque in multum ascendit, eousque dum omnia aquis inundarentur, atque omnes perirent. Deucalion autem solus hominum relictus fuit in secundam videlicet generationem, prudentia simul, & pietatis gratia. Seruatus autem fuit hoc pacto: Arcam quamdam magnam, quam ipse habebat, impositis in eam liberis, & vxore sua, conscendit. Cęterum cum ipse ingrederetur, venerunt eodem, & apri, & equi, & leonum genera, & serpentes, aliaque quacumque tellure pascuntur, bina ex vno quoque genere vocata. Ille autem recepit ad se omnia, atque ea ipsum haudquaquam lædebant, sed magna inter eos, Ioue ità dispensante, concordia erat. Vnaque in arca omnes nauigabant, quamdiù aqua superabat. Atque hac quidem de Deucalione Graci tradunt.

Ex quibus satis apertè colligitur Gręcorum Deucalionem nostrum esse Noemum. Ille enim vtique fuit, qui vniuersali ab orbis inundatione seipsum, filios, vxores, & ex omni brutorum genere bina cuiusque speciei indiuidua suam excipiens in arcam, ab excidio seruauit. Ille igitur qui Chaldæis, & Hebræis, & Christianis est Noemus, Priscis Latinis Ianus, & antiquis Græcis Deucalion fuit. Hi verò (vt alibi ostensum est) cum antiquorum omnium pręclariora facinora, quorum per traditiones memorię quoquo modo asseruabantur, Heroibus suis cuncta concedere, suisque in regionibus omnia contigisse voluerint; memorabile quoque illud, ac cunctis sęculis inauditum prodigium, nempè: *Quando mare, & tellus nullum discrimen habebant; Omnia pontus erant, deerant quoque littora ponto*, cum scilicet vniuersus terrarum Orbis, disruptis fontium vinculis, reseratis fluminum ostijs, apertis denique cęli cataractis; tumularetur sub aquis; suorum in auorum factis conscribere (Ouid Metam. 1.)

non erubuerunt. Siuè enim verè non habuerint, siue non habuisse simulauerint de Noemo notitiam, Deucalioni dederunt, qui antiquissimis temporibus Regulus quidam fuit super exiguam illarum gentium manum, quæ circa Parnassum. ea in prouincia, cui posteà Focides impositum nomen, inter Atticam, & Beotiam incolebant, eodem tempore, quo Athenis eiusdem fundator, ac primus Atticæ Rex Cecropes Oriphies imperabat; sic appellatus, vel ob corporis longitudinem, vel quòd cum esset Ægyptius, vtramque linguam, Ægyptiam nempè, & Græcam sciebat. Hic primus omnium apud Græcos Iouem appellauit, simulacra reperit, victimas immolauit, minimè antea istius modi rebus in Græcia visis. Verum res tempore diluuij gestas; ideò Deucalioni dedere, quia fortè illius tempestate exundantibus illis in regionibus aquarum imbribus, disruptisque fluminum arginibus, aliqua facta fuit inundatio: Hincque Poetæ occasionem nacti, poetica licentia eam vniuersalem cecinerunt, & cum Noemica confundere voluerunt. Inter hos Ouidius lib. p. ait.

Pęna placet diuersa genus mortale sub vndis
Metam. *Perdere, & ex omni nimbos demittere cęlo.*

lib. 1. Et infra Deucalionem cum vxore sic alloquentem dixit

O' Soror, ò Coniux, ò fęmina sola superstes
Terrarum quascumque vident occasus, & ortus;
Nos duo turba sumus, possedit cætera pontus.

Alia quoque fuere diluuia, de quorum singulis plura scripsere Auctores, verùm omnia particularia, cum vnam tantùm, vel alteram Orbis prouinciam absorbuerint; at Noemicum tantùm vniuersale fuit, quippè quod vniuersam faciem terræ suis operuerit fluctibus, vndas enim vnsam faciem terræ suis operuerit fluctibus, vndas enim vndis super imponens, procerrimas primùm arborum altitudines exæquans, sic

Ouid. *Vt modò, qua graciles gramen carpsere capellæ*
Metam. *Nunc ibi deformes ponant sua corpora phocæ,*
1. *Mirentur sub aqua lucos, vrbesque, domosque*
Nereides.

Dein noua semper superaddens aquarum ingentia volumina celsissima montium omnium auibus ferè ipsis imperuia volatu perplures cubitos excedens, quasi audacisimo humanæ temeritatis opere, Phlegrę à gigantibus fabulosè

constructo, & in agro Sennaar verissimè per turrim attentato, alluderet, cum cęlestibus terrestria conflictus inirent, & sua ipsa in sphæra hostili impetu ignem extinguere intentarent aquæ. Hinc & Olympi celeberrimum cacumen, cui per Solinum vltra mediam aeris regionem verticem extollere datur; vndè nec tempestates, nec fulmina in ipsum vnquam desæuiunt, & venti quoque designatos in puluere caracteres disperdere minimè valent, procerimam tamen, & illius celsitudinem in vniuersali cataclysmo supergressæ sunt vquæ.

Cognomina, & attributa Noe à Beroso recensita, in sacris litteris, vt in pluribus obsignata reperiuntur. §. 40.

FIrmo igitur stante iam stabilito fundamento quod per successiuas traditiones, & in commentarijs asseruata Priscorum facinora ad Posteros vsque peruenerint, cui certè nemo sanæ mentis detrectare potest: simul & concesso quod Noemi memoria sic ab vno ad alium quasi per manus tradita ab auis ad Nepotes, & horum filios paganos quoq; eorum tamen more, hoc est variationibus, immutationibus, transpositionibus, ac demum inuoluta fabellis, & deturpata descenderit: hoc vnum inquirendum superest, quis pro ipso tam insigni Patriarcha, & omnium Genitore apud ipsos haberetur, & quo nomine eum appellarent. Cum verò repertum per nos erit, Noemum illum ipsum esse, quem sub nomine Iani deuotissimo cultu venerarentur, quod vtique firmum habebimus, indigitando singularitates omnes Noe, Iano fuisse attributas, vnà cum identitate temporis, & nominis congruentia, tunc scopum collimasse arbitrabimur: id enim proposuimus, vt ostendamus Ianum, & Noemum eamdem esse Personam, vnicumque Heroam, quem sub duplici nomine celebrabant.

Modum autem sic procedendi, vt Noe Ianum faciam, à censuris immunem fore arbitramur eorum, qui e Schola Vossiana egressi auctoritatem sibi arrogant, subtiliori cer-

niculo, quo lenissimus Margaritarum puluis cribratur, Scriptorum omnium lucubrationes euentilare, dum ipsius Vossij celeberrimo suo in opere de Gentilium Theologia vestigijs religiosissimè inhæremus. Ibi enim c. 30. lib. 1. probat ipse Moysen eum esse, quem Osiridem Gentiles celebrabant, seù Arabum Dionysium, idque peragere instituit, singulas dotes recensendo, quas de Moyse habet sacer textus in Gen:, inter quas sibi licere credit Vossius, eumdem Arabum facere, & si minimè ignoraret Ægyptium fuisse ibidem genitum, natum, & ad quadragesimum vsque ætatis suæ annum commoratum; quod vtique fecit, vt Moysen Dionysio magis conformaret, qui & si in Ægypto natus, vt de ipso cecinit Orphæus

Cum tua Matre Dea, nigram ferente Iside venerandas
Ægypti apud vndam, cum ancillis nutricibus.

Nihilominus Arabus est habitus, quod Nisæ Arabiæ ciuitate fuerit enutritus, vt scribit Diodorus lib. 3. postquam Homerus de eodem dixerat in hymnis.

Nysa iacet quedam, mons siluis floridus altis.
Phœnice procul Ægypti stagnantis ad vndas.

Allatis enim cunctis Moysis qualitatibus, has cum dotibus Osiridis Dionysij a Gentilibus descriptis confert Vossius, & infert non duas, sed vnam tantùm esse Personam; nec latum igitur vnguem ab hoc Vossiano instituto recedentes, à criticorum offendiculis tuto pede, ad id quod intendebamus, progredi posse arbitramur. Ad id verò tantquam in definitione descriptiua singulas Noemi dotes, & qualitates omnes colligemus, quibus vti peculiaribus notis ita ab omnibus alijs discriminatur, vt alteri ab ipso nequeant adaptari.

Hæ verò sunt, quas Berosus ipse in secundo, & tertio lib. Noemi encomia recensens in vnum congessit: *Scythæ appellauerunt Noham Omnium, Deorum maiorum, & minorum Patrem, humanæ stirpis auctorem, Chaos, & semen Mundi, Deum pacis, Iustitiæ cultorem, sanctimoniæ custodem, expellentem noxia, & custodientem bona, qui ob beneficium inuentæ vitis, & vini dignatus est cognomento Iano.* Verùm has Berosij denominationes nullius volumus esse roboris, nisi hoc illis a Sacrarum litterarum contextu proueniat: eaque tantum nomina rectè posita probamus, & ad confirmandum

quod assumpsimus apta, quæ diuinis ab oraculis comprobata reperiemus. At nisi quis adamantina obstinatione velit insistere, & in ipsa meridiana luce cęcutire eligat, necesse est, vt sextum Gen: cap., & tria subsequentia legenti præmissæ omnes innotescant conditiones, cunctasque prælibatas dotes, vel exprese, vel saltem vt necessariò connexas in littera contineri fateatur. Expresè habemus eum totius generis humani per aquas diluuij penè extincti Patrem fuisse; pariter & integræ iustitiæ cultorem egregium, ait enim Sacer Chronista. *Noe vir iustus, atque perfectus.* Quod vero fuerit Deus pacis, hoc est, Mediator pacificus, qui Omnipotentem ipsum ad lenitatem induxit, & pro generis humani futura fęlici propagatione inuiolabile fędus iniuit, apertè pariter in sac. littera. *Et non erunt vltra aquæ diluuij ad delendam vniuersam carnem.* Quod fuerit Pontifex maximus ex eo ostenditur, quod statim egressus ex arca: *Ædificauit altare Domino, & obtulit holocaustum super illud.* Ac tandem quod agros ligone exercere docuerit, quod vitim plantauerit, & vini inuentor extiterit, ibidem describitur his verbis. *Cępit Noe vir agricola exercere terram, & plantauit vineam.* Cuius viuido in succu latitantem vim omnium primus sua sine culpa ebrietate expertus: Quod verò custos Sanctitatis, innocentiæ defensor, bonorum prouisor, malorumque propulsator extiterit, nemo inficias ibit, qui eumdem optimum Patrem, æquissimum Principem, Vigile Caput, prouidumque Rectorem pensitauerit illius familię, à qua Orbis terrarum iterum erat populandus: hæc enim cuncta fuere ornamenta summam illius dignitatem indiuisa societate comitantia. Nec verò nisi omnium virtutum cumulo exornatum eum fas est cogitare, cui tam grandem prouinciam, immò summum omnium facinus à Sapientissimo rerum Conditore fuerat demandatum.

Gen. 6. 9.

Ibi 6. 15.

Ibi. 8. 20.

Verùm si his omnibus lineamentorum productionibus Gentilium Ianum adamussim expressum ostenderimus, quis eumdem nostrum fuisse Noemum fateri detrectauerit? eoq; magis id elucescet cum eodem sæculo Ianum cumuixisse, ac Noemum demonstrabimus; & nouo adhùc clarissimam hanc lucem splendore cumulabimus, cum occultam nominis Iani significationem, celebrem Noemi proprietatem exprimentem, attulerimus, sicque ex prototypo Noe in

his paginis styli penicillo, & verborum coloribus Iani descripta imago, maiori semper radiorum incremento splendescet.

Hoc Nomen, Deus, ab initio Diuinitatis minimè proprium, verùm & Potentioribus, & Iudicibus attributum. Filij Noe Dij Maiores, eiusdem Nepotes Dij Minores; Ipse verò Patriarcha Deorum omnium Maiorum, & Minorum Pater: Cham, & Iaphet filij Noe, Gentiles quoque cognouerunt, & appellarunt.

§. 41.

PRiusquàm tamen manus ad opus hoc absoluendum admoueamus, illud e tabula expungendum duximus, quod simpliciorum oculis scrupulũ aliquod posse ingerere suspicamur, cum silicèt Patriarcham Noe Paganorum more Deorum Patrem appellatum viderint; id enim Christiana pietas à se procul dubiò ablegauit, sinceraque Religio, quę Deorum pluralitatem exhorruit, vel ipsum nomen a suis fidelibus eliminandum iussit. Et verè hoc nomen, Deus, extra infinitam incompræhensibilem essentiam semper aborritur. Vt igitur pusillorum conscientijs consulamus, & imaginem hanc à lineamentis, quæ minus aptè deducta aliquibus videri possunt, emendemus; ab eruditis simpliciores addiscant, nedum idololatras, verùm & legitimos veræ Deitatis cultores, Gentium Principes, Populorum Iudices, ac maximè Nationum Auctores, Regnorumque fundatores. Deos appellasse: sumpta hac voce, vt dignitatem, & auctoritatem dirigendi, & iudicandi subiectos significat. Nec enim ab initio nomen hoc, Deus, solius Diuinitatis proprium fuit, & hominibus incommunicabile, sicuti per longa temporum interualla, cum scilicèt veri cultus asserto-

res idololatriam in dies inualescere, nec sola nominis appellatione, sed ipsa supplici adoratione, Creaturis diuinitatem tribuere inspexissent; ęterno tantùm Numini, cui etiam semper antonomasticè proprium fuerat, vtpotè apud quem suprema, & altissima regendi, & iudicandi potestas residet, venerabile, Dei, nomen tribuendum esse strictissimè demandarunt. Hinc factum est vt, salubri hac inualescente apud fideles loquendi consuetudine, quod priscis illis temporibus, priusquám tali nomine hominum abuteretur malitia, sine culpa sonabat, nunc piorum aures offendat. Ideòque prudentissimis iussionibus Sancti Patres, & illibatę fidei Zelatores, ne iterùm in animarum perniciem huiusmodi nominis abusus conualescerent, vtpotè idololatriæ fęcundissimum semen, ab agrò Ecclesiæ eliminandum esse sanxerunt. Ad hoc cecinit Prudentius

Et voces prohibendo vagas, ne pristinus error
Crederet esse Deum, nigrante sub aere, formam,
Aut elementorum naturam, quæ Patris ars est
Omnigeni, summa pro Maiestate sacraret.

Mille suppetunt in Scripturis Sacris exempla, quibus euidentissimè constat Dei nomen sine errore hominibus attributum. Tale est illud Exodi cap. 7. *Ego dedite in Deum Pharaonis*. Et 23. ibi. *Si furtum lateuerit applicabitur Dominus domus ad Deos*. Et iterùm ibidem. *Dijs non detrahes, & Principem populi tui ne maledicas*. Pariter & in Psalmis multotiès idem vsurpatum legimus. Sic: *Dij fortes terræ vehementer eleuati sunt*. Et alibi. *Deus stetit in Sinagoga Deorum, in medio autem Deos diiudicat*. Et iterùm: *Ego dixi Dij estis*. Idque millies repetitum legimus: ac ideò Ps. 81.1. ipsa auctoritate diuina confirmatum habemus, viros potentes, iudiciaria potestate, & dignitate fulgentes, sicut auctoritatem, ita & nomen participatum habuisse.

Iuxta ergò hanc Phrasim, talemque loquendi consuetudinem, ipse Noe totius Orbis Monarcha, & super omnes, qui in Orbem Principatum habuerunt Imperator, & Dominus, filij quoque eius qui familias in Principatus erexere, pariter & Nepotes, qui omnes coloniarum Duces, Regnorum institutores, Nationumque propagatores, vnico verbo, omnes prothoprincipes illius æui, Dei appellatione sunt insigniti; seruata tamen graduatione inter ipsos, tres

enim

enim primi filij Noe, nempè Sem, Cham, & Iaphet, eo quod capita fuere humanæ sobolis, & qui depopulatas ab aquis regiones terrę iterum habitatoribus cumularunt, Dij Superiores, seú Maiores vncabantur, vt de ipsis memoriæ, & nomina etiam penes Gentiles asseruabantur, in Priscis enim Auctoribus propria eorum nomina, Iaphet, seù vt volunt, Iapeti: Cham, siue vt dicunt, Chamesij passim leguntur. Sic apud Horatium ode 2. in his coriambicis habemus.

Audax Iapeti genus
Ignem fraude multa gentibus intulit.

In Ouidio etiam p. Metamorphi vbi de Prometheo Iapeti filio, quem fabularunt hominem de terra plasmatum suffurato igne animasse, legimus.

Quam satus Iapeto mixtam fluuialibus vndis
Finxit in effigiem moderantum cuncta Deorum.

Chamesem Macrobius p. Saturnal. commemorat, ibi enim inter Italiæ Reges eumdem recenset his verbis. *Regio, quam possidebat Chamesena ab eo vocitatur*. Horum autē, & Semi filij, Noemi Nepotes, Deos Minores appellabant. Ipse verò Sanctissimus Patriarcha Maiorum, & Minorum Deorum Patrem dicebant, En igitur quo in sensu rectè scripserit Berosus: *Noham appellauerunt omnium Deorum Maiorum, & Minorum Patrem, & Deum Deorum*,

Insuper animaduertendum, Berosum Patria fuisse Chaldæum, Religione Paganum, & fortè Idololatram; quare Gentilium more loquendi vsus, Viros magni nominis Deos appellauit, quoniā ipsi Gentiles tales faciebant, & dicebant. Præterea vox ista Chaldaica, *Eloim*. Etiam apud Hebræos, & omnes illos, qui eo vtebantur idiomate, communis erat ad appellandum Deum ipsum Æternum, & Homines quoque dignitate, ac potentia fulgentes. In propria enim, & rigorosa sui significatione, Iudicem nominat, & potestatem habentem, Nec prætereundum, quod non ipse Berosus propria sententia, sed aliorum opinione, & vsu Noemum Deum appellauit, ait enim: Scythas. 1. Armenos, qui omnium primi ab eo sunt geniti, ita eum vocitasse.

Noe sub nomine Chaos, & alijs etiam sub nominibus à Gentilibus appellatus. §. 42.

EOdem pariter modo rectè accipieuda sunr epitetha, quę ad laudes Noe exornandas sua in allata descriptione immiscet Berosus, eum namque vocitando: *Chaos, & Semen Mundi, Cęlum, & animam Mundi*. Ea enim omnia per figuram dicta sunt, & verba metaphorica, quibus poemata, & Mithologistarum dicta vndique sunt compacta. Horum verò vlla congruentior explicatio mihi visa est illa, qua vsus est Annius in commentario, dum ait. Mystico sermone eum appellasse *Chaos*, vt omnium viuentium antiquissimum demonstraret. Et sicuti *Chaos* nihil aliud fuit, nisi indigesta quædam, & informis materiæ moles, ex qua elementa, & mixta omnia in ea confusè, & indistinctè contenta, distincta postea, & ornata egressa sunt; iuxta definitionem, quam ex Hesiodo in sua Theogonia Ouidius retulit

Vnus erat toto naturæ vultus in Orbe
Quem dixere Chaos rudis, indigestaque moles.

Ità pariter in Noe, vt in primo omnium Parente, cuius in virtute seminali confusè (potentialiter dicerent Scholastici) omnes innouati Orbis homines continebantur. Ex eo enim per successiuas generationes, quotquot fuere, sunt in præseuti, & futuris erunt temporibus ad vltimum vsque distinctè sunt egressi, & egredientur. Quod etiam aptius innuit epitethon illud: Semen Mundi ab Omnipotenti etenim misericordi benignitate in Semen humani generis per diluuium penès deleti seruatus incolumis, vt ipse Naturæ se præberet viuens instrumentum ad eam instaurandam in nobiliori viuentium specie, quibus fere penitùs fuerat orbata.

Quod verò Cęlum appellauerint id eos innuisse videtur, ex Berosi, & Annij sententia, eum Siderum proprietates, stellarum motus, & influxus optimè nouisse, cum in his rudes gentes instrueret, astrorumque scientiam traderet, pluresque futurorum euentus vaticinaretur, eum vt cęlestem, diuinum attonita admiratione suspiciebant; maioraque

semper

semper de ipso credentes, Sphærarum motus ab ipso regulari, suoque nutu & iussu cuncta illa superiora pendere, vt pro libito quæcumque vellet, influere arbitrabantur. Eodem namque sensu existimandum Cęlum appellatum Noemum, quo & Hyperion, Saturni filium, Solis, ac Lunæ parentem dixere, vt ex Diodoro Siculo lib. 6. colligitur. *Idcircò Hyperion Solis, ac Lunæ nominatur parens, quia ipsorum motus primum summa cura, obseruationeque ab se perceptos, cęteris noscendos tradidit.* Seú potiús Paganorum more Cęlum appellarunt, eidem post mortem diuinos honores statuentes, vtpotè Cęlum ipsum gubernaret; ac regeret. sphærarumque omnium ipse summus esset Motor: Sicut & alios, quos a funere inter Deos collocarunt, in Sole, in Luna; alijsque in stellis, vt Apollinem, Cynthium, Mercurium, & alios, quasi sua in sede posuere. Alias quoque huius cognominis, nec ab eruditis contemnendas rationes adducere possemus, sed recensitæ pro nunc sufficiant, & eas alio in loco adducendas distulimus.

Græci Ianum nunquàm dixere: Attributa Noe à Gentilibus Iano adscripta. De vario Propertij textu affertur iudicium. Pagani Ianum Ioui superiorem posuere.

§. 43.

SIC igitur sublatis e tabula mendis, libera nunc manu excurremus ad expendam Iani effigiem, nec alio quidem penicillo, nisi pennis ipsis Gentilium id efficere statuimus, quippè qui primas de his notitias in scriptis suis reliquerunt; omniaque Lectori nostro iudicio subijciemus, quem, ni fortè cum Apellis sutore, vltra quod nouit, iudicare voluerit, nobiscum in sententiam venturum credimus, Annianum nempè Berosum minimè blasphemasse cum scripsit. Noham Ianum illum extitisse, qui primum in Italiam imperauit.

Antiqui verò Scriptores, à quibus pro nostra imagine

Iani efformanda lineamenta excerpere volumus sunt Ouidius, Propertius, Iuuenalis, Macrobius, Latini omnes: Græci namque nunquam Ianum nominarunt, cum penitùs ignorauerint; neque ad eorum regiones aliquando appulit, nec inter eos Regna fundauit, seù Populos instituit, quod quidem apud Italos fecit, vt infra ostendemus Hanc Græcorum de Iano ignorantiam scitè cecinit Ouidius p. Fast: Ianum enim per apostrophen alloquens sic ait.

Quem tamen esse Deum te dicam, Iane biformis?
Nam tibi par nullum Gracia Numen habet.

Et mea quidem sententia Vatis intentio fuit ingenuè fateri minimè agnoscere hoc numen Iani, quibusue prærogatiuis emineret: cum enim Græcia Deorum omnium quodammodò creatrix per Theologos suos Poetas, Orphęum, & Hesiodum, qui Numinum suorum origines, & genealogiam deduxerunt, in numerum cęterorum, quos colebat, non recensuerit, vllam de ipso mentionem fecit, nobisue aliquod lumen reliquit, nec quemquam suorum habuit, quem Iano in antiquitate, & prætio posset comparare; & si suo Deucalioni Noemicum Cataclysmum adscripserit.

Nec tamen defuere omninò ex Græcis, qui de rebus Latij, ac Romanorum gestis græcè conscripserint, & Iani mentionem fecerint; verúm patrio idiomate eum appellarunt Enotrium, quæ vox apud illos idem sonat, ac Ianum, vt infra ostendemus. Inter hos fuit Mirsilus, cuius testimonio libens vtor, quod auctoritate Dionysij Alicarnassei tanto firmatur robore, vt non facilè ab Aduersarijs concuti possit, cum ex Annianis non sit: Ille igitur, & iste lib. p. Antiq. Rom. Enotrium nominant inter primæuos Principes, qui colonijs, quibus præerant in Italiam deductis regna condidere: à quo Enotria pars vna Latij, parum à Thyberi flumine distans, antiqua denominatione Enotria dicebatur, & priores illi populi Enotrij dicti sunt, de quibus p. Æneid. Virgilius finxit Troianum Ilioneum cum Didone locutum tali metro.

Est locus (Hesperiam Grai cognomine dicunt)
Terra antiqua, potens armis, atque vbere gleba,
Enotri coluere viri, nunc fama minores
Italiam dixisse Ducis de nomine gentem.

In hoc autem Enotrio Ianũ latitare non inerudite ostendit Annius suo commentario in Mirsilum, idque etiam ex amborum nominum, quæ mox infra exponemus, significatione suadetur. Verũ expresè tradidit Cato, si admittitur, vt in fragmentis de originibus habetur, vbi de origine Italiæ, & de varijs eiusdem nominibus agit, his verbis: *Dicta fuit Ianicula à Iano, quem quidam Enotrium dictum existimant, qui inuenit vinum, & far.*

Quod verò admirabile est, Vossius ipse hanc Annij sententiam sua auctoritate confirmat; cap. 18. p. lib. Theologiæ Gentilium, dum rationes adducit, quibus ipse suadetur, Ianum fuisse Noemum, hanc 3. loco posuit. *Pro eadem opinione est, quod Latium, (vbi Ianum esse cultum constat, vnde & parti veteris Romæ nomen erat Ianiculi) Oenotria tellus vocabatur: Οἰνωτρία. Enim ab Οἶνος, idest vinum dicitur.*

Hic igitur, accepto iam lumine ex supracitatis Auctoribus, opus quod absoluendum assumpsimus, aggrediemur; ad effigiem quippè Iani Noemum exprimere sola proprietatum illius collatione, vnoque oculi obtutu Ianum vndique laboratum subijciemus poetico Terentij Mauri penicillo à Vossio cap. 16 lib. 2. relati, omnibus cum dotibus, quas de Patriarcha Noe supra recensuimus tali carmine.

Iane Pater, Iane tuens, Diue biceps, biformis,
O' Cate rerum Sator, Principium Deorum,
Stridula cui limina, cui cardinei tumultus,
Cui reserata mugiunt aurea claustra Mundi,
Tibi vetus ara caluit aborigineo Sacello.

En quam plenè velut in fasciculo colligatæ Noemicæ omnes perfectiones, & dotes in hoc pentastico perstringuntur. Et vt a singulis etiam Auctoribus singulas excerpam, ab antiquitate exordiar. Et sicut de Noe diximus, quod nullus eo antiquior in orbe renouato est assignandus, ita pariter de Iani antiquissima vetustate apud Iuuenalem reperimus ipsum omnium Deorum antiquissimum fuisse: Dei nomine sumpto, vt Principes, Duces, Nationum, Gentiumque Auctores appellat. Sic igitur per apostrophen Ianum alloquitur Satyricus Vates.

Dic mihi nunc quæso, dic antiquissime Diuum
Respondens his Iane Pater.

En quomodo Noe antiquissimum Deorum Patrem appellat.

Ouidius etiam hanc antiquitatem confirmat, insuper addendo nomen Chaos, & vt carminibus suis auctoritatem maiorem conciliet, Ianum ipsum de se dicentem inducit, sic canendo

Me Chaos antiqui (nam sum res prisca) vocabant; Fast. lib. p.
Accipe quàm longi temporis acta canam.

Raphael Regius suis in commentarijs ad primum Metamorph. ita firmiter tenet Ianum rectissima appellatione dictum fuisse Chaos, vt nihil moratus in accumulandis ad id suadendum rationibus, firmissimum, & ineluctabile supponens, ad nomen ipsum explanandum procedit. Docet, quod hæc vox, Chaos, iuxta græcam deriuationem, ab alia voce prouenit, quæ spirare aperto ore significat, sicut facimus nos, cum dilatatis labijs oscitamus, & latinè dicimus, Hiare; sicque innuere intendebant, ait Regius: *Chaos esse confusè quamdam ab initio vnitatem hiantem, patentemq;* nepe vt omnia extra se panderet distincta sua quæque in natura, quæ prius in eo indigesta mole claudebantur. Iuxta ergò hanc significationem Ianus dictus est Chaos, quasi dicerent, *Iano. Sic enim detracta aspiratione fuit appellatus, eo quod fuerit omnium primus, à quo rerum omnium factum arbitrabantur initium.*

Quod verò in hoc sensu, vt nempè eum omnium primum, vniuersalemque humanæ propagationis Patrem significarent, vt de Noe supradiximus, hoc nomen Chaos Iano etiam attribuerint; ex Macrobio didicimus. Primo enim Saturnal. cognomina, quibus primi cultores eum appellabant, recensens, bina hæc etiam interserit: nempè, *Ianus Pater, & Ianus consicius*, & subijcit sic appellatum, vt per Symbolum exprimerent, eum fuisse Plantam genitricem fęcundam, à qua omnia eiusdem speciei indiuidua, veluti ex arbore tralces germinarunt: & vt innuerent, in eum veluti primo in stipite cuncta humanæ stirpis germina insita esse, sicque concludit, quod Ianus dicebatur: *Consicius à conserendo, idest à propagine generis humani, quæ Iano Auctore conseritur.*

Insuper etiam Semen Mundi vocatus fuit, & creditus, eo quod ex semine suo vniuersæ Orbis terrarum Gentes or-

tum deduxisse fateri teneamur. Eamque vt innuerent Iani prærogatiuam, Satorem Mundi appellarunt Antiqui, vt ex Martiali lib. 10. suo in epigrammate ad Ianum elicere possumus.

Annorum, nitidique, Sator pulcherrime, Mundi,
Publica quem primum vota, precesque canunt.

Eumdem cunctorum Patrem appellatum, etiam antiquissimorum, quotquot extitere Nationum progenitores, quos à Gentilibus Dij appellabantur, testis est Macrobius lib.cit., qui ait à Salijs in antiquissimis eorum hymnis: *Ianus Deus Deorum canebatur*. Et à Sacerdotibus sacrificia peragentibus: *In Sacris inuocabatur Ianus Pater, quasi Deorum Deus.* Etiam Propertius in Elegia sua Vertumni, sub cuius nomine Ianum celebrauit, cum & ille, & iste sint idem Numen, quod multiplici eruditione probat Annius in commentario; vult ostendere hanc Iani eminentiam super cęteros omnes cęlicolas tanquàm eorum Patris, dum eum Romæ suo in promisso patrocinio sic alloquentem inducit.

Sat faciam Diuum Sator, vt Romana per æuum
Transeat ante meos turba togata pedes.

Sic apud Annium legitur textus Propertij: verùm in modernis impressionibus diuersa vtique significatione sic legitur.

Sic facias Diuum Sator, vt Romana per æuum?

Quod vtique innueret Ianum, seù Vertumnum eum esse, qui Ioui preces funderet hac sub inuocatione: Deorum Pater.

Si fas est in his nostrum quoque promere sensum, equidem pro Anniano textu staremus; nam & si Iuppiter sæpè sæpius dictus sit: *Pater hominum, Deumque*. Talis tamen appellatio, potiùs ex dignitate, quàm ex natura, fuit attributa. Constat enim in Theologia Gentilium, Poetis quidem peruia, non Iouem, sed Saturnum Patrem vniuersalem esse Deorum; quare sępè quidem dictum reperitur: Iuppiter Pater, minimè verò Genitor, seû vt expressius ait noster textus. Diuum Sator: nam id nomen ad generationem, non verò ad dignitatis eminentiam refertur. Vel fortè Patris nomen Ioui attribuitur ob beneficia, quæ in omnes, vti amantissimus Pater, largitèr effundit; & iuxta hanc expositionem volunt Grammatici, quod dicatur Iuppiter,

piter, ideſt Iuuans Pater.

Eo etiam reſpectu omnia Numina à ſibi benè affectis Patres vocitbantur. Hinc Latinorum Prothoſatyricus Lucillius Iouem in cęleſti conſiſtorio iratum, quod omnes Dij Patres nominari paterentur ab hominibus, & affectarent, amarulenta irriſione ſic eos allocutum indueit.

Vt nemo ſit noſtrum, quin Pater Optimù Diuum;
Vt Neptunii Pater, Liber, Saturnù Pàter, Mars,
Ianù, Quirinù Pater, omnes dicamur ad vnum.

Verùm Ianus legitimus, & Supremus omnium Pater erat, etiam Iouis, quare ab Ouidio ei quoque ſuperior ponitur, & idem iuſſa imponere; equidem non alio, quàm paterno iure, quod Genitores omnes ſemper habent in filios; ſi ergò vt ſuperior in Iouem exercet imperium, non vt inferior ſupplex funditur preces, non rogat, non dicit. *Facias*. Sed diceret, *Fac*. Hoc in Iouem imperium Iani exprimit Veuuſinus his verſibus

Præſideo, foribus cęli, cum mitibus horis
Et redit officio Iuppiter ipſe meo.

Hoc idem confirmat Liuius horribilem referens conſecrationem, quam de ſe primus Decius fecit, hoc pacto. Iane, Iuppiter, Mars, Quirine, Bellona. En Ianum pro dignitate primum inuocat,

Cham filius, & Sabatius Armenus Nepos Noe, Saturnus dictus, vnà cum Iano in Italiam regnarunt: Idque fuit immediatè poſt diluuium Noemicum, & illud tempus aureum ſæculum dixerunt. Semiramidis Inſcriptio. §. 44.

SED quoquo modo explicentur Propertij carmina nihil officit ſoliditati noſtræ aſſertionis: non enim ita ſola hac in auctoritate fundatur, quin ſi hæc nutet, & ipſa ruat. Satis ſuperque abbundè triplici ſtabilitur cardine alla-

tæ auctoritatis Ouidij, Iuuenalis, & Macrobij. Insuper si libuerit explicitè nomina rescire Deorum Maiorum, quibus Noe Pater extitit, & cum quibus regnum administrauit, ijsdem in partem Monarchiæ renouati Orbis assumptis, non deerunt apertissima Auctorum testimonia, quibus hæc stabiliantur, illorum saltim, qui secum in Italiam regnarunt. Testimonia excerpemus ex Catone, Fabio Pictore, & Macrobio: Primus namque in libro originum, fundationes enarrans Regnorum Italiæ, hæc subdit: *Eorum origo cepit aureo sæculo sub Principus Dijs Iano, Chamese, & Saturno*. Alter verò in suo fragmento aurei sæculi hæc habet: *Ianus sub initium aurei sæculi læuum latus Thyberis Eruriæ tenuit: Chameses verò, & Saturnus circa finem eiusdem ætatis dextrum incoluerunt*.

Verùm quia fastidiosulos Aristarchos binas hasce auctoritates vt poté Auctorum dubiæ fidei, & qui ab Annio, vt volūt ementiti fuere, expuncturos optimè nouimus, tertiam addidimus, quæ apud ipsos solidissimæ est veritatis, nempè Theodosij Macrobij, & ipse namque p. Saturnal. hæc refert. *Regionem istam, quæ nunc vocatur Italia, Regno Ianus obtinuit, qui cum Chamese eamdem participata potestate possidebat. Hic idem Saturnum classe peruectum excepit hospitio, ac Regni societate munerauit*. Stat pro Saturno etiam auctoritas Ouidij, sic enim Ianum allocutum inducit.

Hac ego Saturnum memini tellure receptum
Cçlitibus Regnis à Ioue pulsus erat.

Pariter, & quod Ianus thronum suum collocasset ad læuam Tiberis allatam Mirsili auctoritatem Ouidius ipse confirmat, cum sic pariter Ianum alloquentem dicit.

Ipse solum volui, cuius placidissima læuum
Radit arenosi Tibrydis vnda latus.

Nec per hos indubiæ auctoritatis Scriptores nobis tantūm constat, quos Ianus in Regno socios habuerit, sed insuper etiam tempus. Et hoc firmissimum erit argumentum ad stabiliendum id quod ostendendum assumpsimus, Ianum silicèt Gentilium verum fuisse Noemum. Simul ergò regnarunt tres illi Principes eadem illa ætate, quæ aurea dicta fuit. Hi ex Catone, & Fabio Pictore excepistis, his Macrobium adiungimus eo loci, quo de Regibus Iano,

&Sa-

& Saturno agit, his verbis: *Illa tempora feruntur fœlicissima, quòd nondum quispiam seruitio, vel libertate discriminabatur, & omnium domus Religione, ac sanctitate essent munitæ.* Et his similibus circumstantijs, quibus abundabat sæculum illud aureum, vt infra dicemus, cum de illa agemus ætate. Ex Poetis adest Ouidius, qui pariter Ianum hæc asserentem profert.

Tunc ego regnabam patiens cum terra Deorum
Esset, & humanis Numina mixta locis. Fast. p.
Nondum iustitiam facinus mortale fugarat,
Vltima de Superis illa reliquit humum.
Proque metu populum sine vi pudor ipse regebat.
Nullus erat iustis reddere iura lator.
Nil mihi cum bello postes, pacemque tuebar
Et clauem ostendens, hæc (ait) arma gero.

Quæ omnes aurei sæculi conditiones fuere, vt eruditis comtum est. Hoc idem exprimit Virgilius 18. enim Æneid. hac de Saturno cecinit.

Aureaque, vt perhibent, illo sub Rege fuere
Secula: Sic placida populos in pace regebat.

Et alio in loco Saturnum aureum appellat ab aureo sæculo in quo regnauit, his verbis

Aureus hanc vitam in terris Saturnus agebat.

Ità Iuuenalis, & vno verbo Poetæ omnes, quibus familiare est aureum sæculum ætatem dicere Saturni.

His igitur firmiter iam stabilitis, progrediamur ad expiscandum quo tempore, quauè ætate fulserit hoc adeò celeberrimum sæculum aureum, cuius renuuationem cuncti adeò exoptant, sicut & perfectiones ad nauseam vsque repetunt, & decantant. Berosi sententia fuit illud fuisse tempus, quod à cessato diluuio ad Nini Assirij tyrannidis initium vsque se extendit, quod ducentum, & quadraginta nouem annorum spatio expletum est. Hunc verò Ninum Iouem appellatum fuisse, qui felicissima illa tempora sua peruersitate corrupit, vnanimi consensu cecinere Poetæ, & insuper Trogi epitomista Iustinus testatur initio lib. p. post descriptam auream illam ætatem in hæc verba. *Primus omnium Ninus Rex Assiriorum veterum hunc, & quasi auitum gentibus morem, noua imperij cupiditate mutauit.*

Quod verò ab imminutis aquis diluuij ad Ninum vsque

longa

longa ducentorum, & quadraginta nouem annorum intercapedine discriminentur tempora illa, non suppetit ratio vndequaque infallibili certitudine fulta; nam ex sacra historia elici minimè potest; Moyses enim per Patriarcharum successiones Chronologias intexuit, nec eas cum Regibus Assirijs vel minimum contulit; ex illis enim Ninurosum tantùm, vtpotè illius Regni fundatorem nominauit, nec immoratus referre tempus vitæ, vel imperij eius. Ab extraneorum igitur commentarijs expiscari oportet, nec aliter, post omnem adhibitam diligentiam, id assequi potuimus, nisi ex inscriptione illa, quam Semiramis saxo sepulcrali mariti apponi voluit. Hanc refert non solum Annianus Xenophon, hunc enim exploderent Aduersarij, verum & Diodorus Siculus, in antiquis historijs non infimæ auctoritatis apud eruditos omnes, vno dempto Viues, qui lib. 5. de tradendis disciplinis, tale probrum eidem affingit: *Nihil Diodoro est nugatius*. Cum ex aduerso testetur Plinius: *Diodorus primus Græcorum desijt nugari*. Id tamen nihil de historici splendore infuscat, ipsum namque, & Iustinus Philosophus, & Martyr, & Eusebius Cęsariensis, & plures alij, encomijs decorarunt, & auctoritates receperunt. Iste igitur lib. 3. suæ bibliothecæ historialis eam inscriptione excribit, quę genealogiam Nini per ascensum ad Noe vsque post diluuium complectitur. Ninus enim filius fuit Belli, hic Ninurorum Patrem habuit, Iste Cuzum, cuius genitor Cham, qui tandem fuit Noe; & his omnibus asignato per successiuas vices Regni tempore, ducentum, & quadraginta nouem annorum spatium complere depræhenditur.

In præfat. Hist. Natur.

Per has igitur illustrium Scriptorum auctoritates euincitur, insomnia non fuisse, quæ de aurea sæculi ętate scripsere Metastenes, Cato, Archilocus, & Fabius Pictor, vel quisquis fuerit, simulque & valida manu sustinentur, ne in barathrum contemptus detrudantur, tametsi in omnem partē se vertant, vt eos suis irrisionibus traducāt, qui libros omnes ab Annio euulgatos falsitatis insimulant. Nec tamen nos eis iniurios vellemus arbitrentur, si renitentibus illis, quas pessumdant, auctoritates hic subijcimus. Prima est Catonis in hæc verba: *Ante Ninum circiter annis quinquaginta, & ducentis, quibus durauit aureum sæculum, terras fuisse inundatas inter Chaldęos, & Phęnices conuenit*. Secunda est

Merasthenis. *Traditur autem Ninum ducentis, & quadraginta nouem annis regnatum fuisse sub tribus Dijs Regibus.* Archilocus pariter sic subscribit. *Masea Phœnix Damascenus asserit ante Ninum fermè ducentis quinquaginta annis fuisse inundationem terrarum, quo tempore, recente Cælo, & rudi humano genere, vixisse auream vitam.* Fabius tandèm Pictor id quod assumpsimus sic firmat. *Aurea ætas primo ortu generis humani capit ante Ninum annis circiter ducentis quinquaginta.*

Præter hos qui tàm apertè, & vnanimi consensu de aurea illa ætate suis dictis placita nostra roborant, & confirmant, adest etiam Ouidius, qui lib. 1. Metamoph. ætatem auream eam fuisse cecinit, quæ immediatè post reformatum orbem sequuta est.

Aurea prima sata est ætas, quæ vindice nullo
Sponte sua, sine lege fidem, rectumque solebat.

Verùm equidem Sulmonensiũ vatem vna cum Hesiodo, & Erato, qui vel ignorarũt, vel secernere minimè voluerũt primam hominis productionem per creationem a secunda per renouationem, vtramque inuicem commiscere; ac propterea auream ætatem statim post hominis formationem ponit, antequàm homines essent. A poetis tamen id eliciendum quod possumus, & pro magno munere habendum, si e tot tenebrarum cumulis, fabellarum inuolucris, lumen aliquod veritatis expiscatur. Satis igitur nobis sit ex Ouidio elicere, auream ætatem primam omnium fuisse: quod in hac vixit, & regnum moderatus est Saturnus, cuius imperium ad Iouem vsque perdurauit, quem Ninum fuisse, communis est sententia, idque expresèsè fassus est idem vates post descriptas fælicissimæ illius ætatis conditiones, tali cantuc.

Postquam Saturno tenebrosa in tartara misso
Sub Ioue mundus erat, subijtque argentea proles
Auro deterior, &c.

Satis igitur hucusque certiores facti sumus, & sæculum aureum eo tempore viguisse, quod inter exsicatum orbem, & Nini imperium decurrit. Insuper quod eo tempore vixerint, & imperauerint Ianus, Chamus, & Saturnus apud Latinos, Iapetum apud Græcos: ex binis his tertium deducimus, Aureum nempè sæculum, vita, & imperium Iani

eadem tempestate fuisse cum viueret, & regnaret Noe, qui post diluuium vixit tercentum, & quinquaginta annis, vt ex sacra historia habetur, & iuxta Moysis chronologiam anno quadragesimo nono ætatis Abrahæ mortuus est, Monarchiæ verò Nini trigesimo nono, iuxta Berosi supputationem. Nulla ergo erit repugnantia, si temporum rationem spectemus, immò valdè congruum videtur, Ianum fuisse Noemum, nec deerunt rationes, vt id asseramus.

Si autèm ex iam præhabitis notitijs addamus, Ianum antiquissimum omnium hominum fuisse: Patrem extitisse omnium Deorum, hoc est Principum omnium, Nationum, & Regnorum Auctorum: In socium Italici Regni Chamum assumpsisse, & Satnrnum, illum filium, hunc Nepotem extitisse Noe: quid quæso ex tot, talibusque conuenientijs deduci potest, nisi quod sub binis nominibus vnica sit persona? Quem alium quis imaginari poterit fuisse hunc Ianum adeò antiquum, vt omnium Gentium fuerit progenitor (idque post diluuium intelligendum) maionem, & Dominum Chami, qui ex primis hominibus fuit, eo quod ante diluuim à Patre susceptum, & ob id eidem concederet in propria ditione imperare? Quem alium ex hominibus fingere possumus nouo illo in sęculo anteChamum, qui inter secundos numeratur, extitisse, nisi Patrem eius Noe? Nec durissima ipsa obstinatio alium promere potest, illi etiam gratis data fingendi licentia.

Quem alium hominem; quæso, quis concipere potest, si Noemum excipiamus, ad quem ad tutissimum veluti præsidium confugit à proprio regno expulsus Saturnus Armenus, idest Sabatius, cuius etiã mentionem fecit Lucianus in suo libro, cui titulus, Icaromenippus, eum inter Diuos annumerando, quos inquilinos, & ancipites vocat, cum Deos minores dicere vellet, siuè Heroas, sensu supra explicato, Iste enim Sabatius inter secundos, immò ex tertijs Principibus fuit primi illius æui: iuxta enim sacrã Genealogiam erat filius Chuzi, & frater Ninuroti; Chutzus autem erat filius Chami, iste verò Noe. Quis ergo talibus euidentijs renitet intellectum submittere, & vna cum Beroso Anniano assentire detrectabit, Ianum, & Noemum eamdem fuisse Personam? Etsi adhuc aliqua in aduersarijs durities remansit, ab his, quæ modò subijciemus, emolliendam existimamus.

Noe

Noe Summus totius Orbis Princeps, & Monarcha: Ianus quoque talis habitus à Gentilibus. Noe primus Sacerdos, ac Religionis magister, talis paritèr habitus Ianus. Qua de re Ianus dictus Biceps.

§. 45.

SVperius dicebamus Noe summum exercuisse in vniuersum Orbem imperium, ipse enim cæteris omnibus superstes, cunctorum etiam viuentium iura in eo post eorum per acqnas eccidium deuoluta, hæreditario iure, rerum omnium potiebatur; firmatoque, Deo ipso cuncta impartiente, dominio, eidemque præcipiente populorum propagationem, & regimen iuxta præceptorum normam, quæ post egressum ab arca ipse tradiderat. Id idem Iano suo adscripsit Gentilitas, eumque summum omnium Monarcam constituit. Sic poetica quadam in visione Sulmonensem vatem ille ipse Ianus alloquēs, hęc de se iactabundus prompsit.

Me penes est vnum vasti custodia Mundi,
Et ius vertendi cardines omne meum est.
Quidquid vbique vides Cælum, Mare, nubila, terras,
Omnia sunt nostra clausa, patentque manu.

Quibus in carminibus exprimitur etiam summa illa astrorum peritia, quam tám impensè admirabantur rudes illæ Gentes, vt hinc poetica denominatione Noe Cęlum sit appellatus, hoc est sphęrarum rector, & motor; tanquam si suo imperio, & nutu omnes stellarum influxus pendere existimarent; hoc dico eo in carmine innuitur.

Et ius vertendi cardines omne meum.

Penes eum scilicet stellarum esse dominium, suoque pro libito super huius cardines voluere siderum globos.

Insuper Ianus primus Gentium Sacerdos, Religionis Magister, Sacrorumquè rituum institutor creditus fu it, sicut ex sacris litteris habemus Noemum, vnde scimus, quod statim egressus, e saluifica naui pro munere sui Sacerdotij *obtulit holocausta Deo* Sospitori. Huius rei gratia addendum Gen. 8.

dum quod Aramæi, qui scilicet maiorem incolunt Armeniam, quò primùm appulerunt, qui per arcam salui facti sunt; Noe appellarunt hoc nomine Saga, quod quidem eorum idiomate idem valet, quod apud nos ac Sacrorum Minister: sic interpretatus Berosus: *Idem est quod Sacerdos, Sacrficola, & Pontifex*. Ad huius confirmationem diligenti studio eruditissimus noster (quicquid detrectent aduersarij) Annius apud Plinium lib. 6. cap. 17. reperit, quod Aramęi, seú Armeniá Persis Sagæ appellabantur. & in Tolomeo aduertit quod ad ripas Araxis, nobilissimum totius Armenię flumen olim Ciuitas assurgebat, quam Sagam Albinam vocitabant; lingua nostra diceremus Ciuitatem Regiam Sacerdotalem. Locus Tolomei est in tertia Tabula Asiæ, quò loci nos quoque legimus aliam fuisse ciuitatem nomine Sagauana monti Gordieo viciniorem, supra cuius cacumen teste D. Hieronymo arca salutaris primum requieuit. Et apud Diodorum Siculum habemus: *Ibi Gens Scythica pauca numero, & ignobilis principio consedit*. Ex quo satis quidem rationabiliter deducere possumus ibidem Noe prima erexisse familiæ suæ habitacula, ibique moratum donèc per propagationem hominum numerus augeretur, primùmque se ipsum, & suos in sacro Religionis cultu, & sacrificiorum cæremonijs exerceret, vt dignitas ei cælitus collata Summi Sacerdotis exigebat, & ab his sacris Ciuitas illa nomen Sacræ, seù Sacerdotalis acceperit.

Quod verò & Ianus Priscis Saga eadem de causa appellaretur expresè refert Cato in eo ex asseruatis fragmentis, in quo de Italiæ origine agit, his verbis: *Italia capit aureo sæculo sub Principibus Dys Iano, Chamese, Saturno, Gente Phœnisa, & Saga*. Quod autem vt Sacerdotem, supremumque Religionis Magistrum, primumque sacrificiorum institutorem fuerint venerati, hinc elucet, quod mystici ex Paganismo pręcepere, vt quolibet in sacrificio cuilibet illnd adolerent Numini, Ianum prius sibi propitium inuocarent, sequentiumque sacrificiorum protectorem expeterent oblationibus incensi, & vini. Id docuit Ouidius Fastorum p., vbi Ianum rogans vt huius cęremoniæ causam sibi aperiret.

Dicito, cur quoties aliorum Numina placo,
Iane, tibi primum thura, merumque fero?

Eumdem sic docentem facit

Vt possis aditum per me qui limina seruo
Ad quoscumque voles, inquit, habere Deos.

Hanc retulit causam Sulmonensis, cum aliud ignoraret mysterium, quod tamè Macrobium non fugit, & ipse p.Saturnal. vt ingenuè fatetur, ab antiquo rerum Italicarum scriptore, nomine Xeno, exceperat, nempè. *Tradit Xenus Ianum in Italia primum Dijs templa fecisse, & ritus instituisse sacrorum: ideo eum in sacrificijs præfationem meruisse perpetuam*. Gentilium more loquuntur, dum plurali numero Deos appellant. Verum cum Ianus iste eo tempore vixerit, vt supra ostensum est, cum adhùc Polylatria religionis cultum minime corruperat, vt infrà etiam per nos patebit, indubiè asserendum, templa, quæcumque ille erexerit Altissimo vnico, & vero Deo consecrasse, inque eiusdem solius honorem, & venerationem quascumque instituisse cæremonias, & ritus.

Firmissimum quoque habemus argumentum, Ianum scilicet fuisse Noemum, posthabitis etiám iam prælibatis conuenientijs, quod antiqui Hierarchæ mystica significatione sub bicipiti figura eiusdem simulacrum erexerint. Binis namque contrapositis vultibus, vt alter pectus, alter terga respiceret, innuere intendebant, ipsum vtraque inspexisse, præterita scilicet ante diluuium, & præsentia, quæ scilicet post mundi cataclysmum euenere. Id fortè innuit Ouid.cum p. Fast. cecinit

Iane biceps anni tacitè labentis origo
Solus de superis, qui tua terga vides.

Quod post terga viderit intedit, mundum ante aquarum cladem inspexisse, in quo sexcentis annis vixerat, quem posteà, quasi eidem terga dedisset ad innouatum orbem, per salutis arcam illæsus egrediens ab aquis, peruenit. Ab hoc vtique sensu minimè distat Macrobius cum p. Saturnal, ait. *Quidam eum dici bifrontem putant, quod, & præterita scierit, & futura preuiderit*. Equidem nouerat Noemus præteriti sæculi gesta, eaque reuiuentis æui nouis gentibus tradidit; & futura quoque prouidit, posterorum propagationem instituens, futurarum ciuitatum populationes decernens; quas etiam legibus communiuit, optimisque institutis firmauit; Easdem in vita ciuili, & honesta instituens; quod vtique cuiuslibet optimi Principis mens esse debet. Hoc idem & credimus, &

sci-

ſcimus feciſſe Noemum, quem prudentiſſimum Monarcham, ſanctiſſimumque cunctarum Gentium Patriarcham veneramur.

Ianus ſicut, & Noe habitus pacis mediator, & iuſtitię cultor. §. 46.

ANtiquorum more Noe appellatus eſt Deus pacis, eo quod mediator fuit inter Deum, & homines. Cultorem etiam iuſtitiæ, ſanctitatis cuſtodem, defenſorem innocentiæ, bonorum prouiſorem, eradicatorem malorum dixere, cum ſummæ æquitatis, ac zeli Princeps fuerit: quæ omnes encomiorum laudes à Gentilibus Iano tributæ fuerunt. Vt pacis mediatorem innuerent, eiuſdem præſidiatorem inſtituerunt, ac propterea cum pacis fædera inirent, Iano litabant. Quod vtique Æneam feciſſe vna cum Latino Rege narrat Poetarum Princeps Æneid. vlt. cum inter eos ſequuta eſt reconciliatio, his verſibus.

Sic prior Æneas, ſequitur ſic deindè Latinus
Suſpiciens cælum, tenditque ad ſidera dextram
Hæc eadem, Ænea, terram, mare, ſidera iuro,
Latonaque genus duplex Ianumque bifrontem.

Hoc autem in loco ſeruius explicat: *Ianum ritè inuocat, quia ipſe faciundis fęderibus praeſt.* Inſuper addit, quod tunc Iani ſimulacrum bina cum facie figurarunt, cum ex fædere inter Romulum, & Tatium Sabinorum Regem ex duabus gentibus vnus factus eſt populus. *Vt ſic Ianus eſſet Deus duorum populorum.* Ouidius quoque eumdem pacis auctorem oſtendit Faſt. p. dum Ianum in hæc verba erumpentem inducit.

Cum libuit pacem placidis emittere tectis
Libera per tutas ambulat illa vias.

Ideòque tempore belli Iani templum reſeratis foribus continuò patebat, vt omnes facilius conuenirent ad pacem efflagitandam.

Vt verò iuſtitiæ cultorem oſtenderent, ſæculum illud, in quo imperium moderatus eſt, aureum appellarunt. Populoſque eiuſdem ſub ſcepto ſeruientes, quod aureos mo-

mores haberent, celebrarunt. Vates etiam cecinere Iano regnante Astrea adhùc orbis indigena, nondum ad sidera aduolarat. Id sibi ab ipso Iano enarratum poetico lepore finxit Ouidius hac amænissima prosopopeia.

Tunc ego regnabam patiens cum terra Deorum
Esset, & humanis Numina mixta locis.
Nondum Iustitiam facinus mortale fugarat,
Vltima de superis illa reliquit humum.

Hoc verò Fabius ait. *Quoniam Principes iusti erant, non enim arbitria eorum ab aquo, vel populus à iure innato recedebat.* Ob summam igitur Dominantium æquitatem, inter quos, vt ostensum est, Ianus ipse altiorem gradum tenebat, idcircò Iustitiam adhuc in terris habitasse predicatur. Ità pariter Sanctitatis Custos fuit, & castimoniæ conseruator; vndè & honestas, atque innocentia à nemine violari minimè possent, & tutissimè custodirentur, vtque simplices illæ gentes summa pace in tugurijs suis tranquillissimè degerent, longèque abesset ab eis iniuriarum timor, nec vim aliquam sibi noxiam vererentur, fores inuenit, quibus domorum ingressus inconsultis habitatoribus exteris prohiberetur; ad hoc innuendum eum claues manu gestantem figurarunt; idque etiam ipsum sibi narrasse cecinit Ouid.

Nil mihi cum bello; postes, pacemque tuebar;
Et clauem ostendens, hac, inquit, arma gero.

Et paulò superiùs figuram describens, sub qua ei allocuturum se visibilem præbuerat ait.

Ipse tenens baculum dextra, clauemque sinistra
Edidit hos nobis ore priore sonos.

Et quid aliud censendum est, suo in mundi regimine gessisse Prudentissimum æquæ, ac Sanctissimum Principem nostrum, & Patriarcham Noe? Si ergo eadem sunt operati, vnaque est amborum imago, vtique & vna diuerso sub nomine persona latet.



Ianus, ſicut Noe agricola, vitis cultor, & vini inuentor creditus eſt. Etiam Saturnus, Oſiris, & Bacchus tales habiti, & quomodo. §. 47.

MOdò ex his etiam certiſsimis Noe conditionibus oſtendendum, Ianum eum fuiſſe, quem hucuſque amborum qualitates, & dotes inuicem conferendo, apertiſsimè demonſtrauimus. Gentiles bicipiti Numini agrorum culturam, vinique inuentionem adſcripſiſſe, Cato in primis, & Fabius in fragmentis dilucidè teſtati ſunt, ille enim his verbis. *Quidam Ianum dictum Enotrium exiſtimant, quia inuenit vinum, & far*. Alter veró de aureo ſæculo agendo ait. *Vinum, & far primus illos docuit Ianus*. Hoc idem myſticis ſermonibus, ſibique familiaribus apologis innuerunt Poetæ. Sic Propertius ſua in Elegia de Vertumno recenſet quod primitiæ ex ſpicis, & vuis Iani ad aras ſuſpendebantur humili in obſequio, quo eumdem in Auctorem vtriuſque beneficij venerarentur. Confingit Vates quod Ianus ipſe ita loquatur.

Prima mihi variat liuentibus vua racemis;
Et coma lactenti ſpicea fruge tumet.

Ouidium quoque hac eadem alluſione ceciniſſe arbitror, cum lib. 14. maioris ſui operis, myſtico illo apologo, quo refert Vertumnum amore Pomonæ deperiſſe, cui modò in ſpeciem Meſſoris, modò vitium potatoris, vtriuſque profeſsionis apta inſtrumenta manu geſtantem ſe oſtendebat. Hic Mythologiam ſubijcimus.

Sed enim ſuperabat amando
Hos quoque Vertumnus, neque erat felicior illis
O quoties habitu duri meſſoris ariſtas
Corbe tulit! verique fuit meſſoris imago!
Falce data, frondator erat, vitiſque putator.

Agnouerunt igitur Gentiles, & agriculturæ magiſtrum, & vitis cultorem, & inuentorem vini ſuum ipſorum Ianum, vt auctoritates adductæ apertiſſimè euincunt.

Verùm quia debilioris roboris fortè futuræ ſunt hæ rationes, apud illos præcipuè, qui hanc (venia Ciceroniſtarum

rum scholasticorum barbarismo ad id exprimendum vtar) identitatem Iani, & Vertumni minimè sunt admissuri, eas omnes validissimo communire fulcimento volumus, Propertij, & Ouidij symphonias inuicem conferendo, qui hoc in proposito vnisono carmine suauissimè canentes plures afferunt causas, ob quas Ianus Vertumni nomen sit adeptus; quarum illa vna omnium potissima, quod Tyberim extra suum alueum per conuicinia exundantem, vndis suis Palatini collis radices lambentem totumque spatium illud, quod inter septem colles in planitiem se extendit, occupantem, quam postea Forum Romanum appellarunt, intra priores fines se recipere coercuerit. Ita Propertius Vertumnum alloquentem dicit.

Non me turba iuuat, nec templo lætor eburno,
Romanum satis est posse videre forum.
Hac quondam Thyberinus iter faciebat: & aiunt
Remorum auditos per vada pulsa sonos.
At postquàm ille suis tantum concessit alumnis,
Vertumnus verso dicor ab amne Deus.

Ouid. verò vlt. Fastorum loquens de Iano eadem planè repetit. Habet enim quod immutatum est ei nomen Iani in Vertumnum, vel, vt propriori sermone loquar, hoc ei additum agnomen ob collatum beneficium demandati in alueum fluminis. Inualuerat enim apuds Gentiles vsus, vt pro receptis, iuxta eorum fidem, ab inuocatis Numinibus gratijs, alia eisdem nomina imponerent, & sub his nouo, & speciali cultu venerebantur. Tali pacto Iouem Feretrium, appellarunt, quod reportato Romulo de Acrone Ceninensium Rege insigni tryumpho, opima quæque ab eo reportata spolia in Capitolium delata, Ioui dedicauit. Eumdem pariter Statorem dixere, quod ab eodem Romulo inuocatus, vt exercitus eius qui Sabinis turpiter terga dederat, sub lato metu cessaret à fuga, pedemque sisteret: & ob alios his consimiles euentus alia quoque indiderant nomina, ità vt ad vilissima tandem abiectissimè demiserint, cum Furnarium, vel Pistorem appellatur: eo quod intra Capitolij arcem à Gallis obsessi, alimoniæ defectu grauissimè laborabant, at per Iouem, vt ipsi autumarunt, immisso in eorum mentem stratagemmate, vt in capitibus inimicorum panes plena manu inijcerent ad annonæ abbundantiam ostentandam, sic-

que spe sua frustrati hostes, fame posse compescere, ab inceptis recederent. Hæc scripsit Ouidius.

Esse Ceres visa: iaciunt cerealia dona
Iacta super galeas, scutaque longa sonant.
Posse fame vinci spes excidit; hoste repulso,
Candida Pistori ponitur ara Ioui.

Cum ergo Prisci Romanorum Iano vouissent, vt Thyberim intra assuetas ripas contineret, idque assequuti, a conuerso flumine, Ianum Vertumnum quasi vertentem amnem dixerunt. Hoc sibi vetulam narrasse finxit Ouid., quæ nudis pedibus ad inuisendum Iani templum procedebat eo die, quo annua solemnitate tantum recolebatur beneficium.

Hic, vbi nunc fora sunt, vdæ tenuere paludes.
Amne redundanti fossa madebat aqua.
Nondum conueniens diuersis iste figuris
Nomen ab auerso ceperat amne Deus.
Stagna recesserunt, & aquas sua ripa coercet,
Siccaque nunc tellus, mos tamen ille manet.

Nec tantùm nomen hoc Vertumni Iano inditum, sed & plura alia apposuere superstitiosa sua Religione Antiqui; At ab aperiendis foribus, Patulcum, & à claudendis Clusium dicebant; quæ vtique nomina, & ipse Ouidium alloquens vti ridicula traducit.

Nomina ridebis: Modò namque Patulcius idem
Et modo sacrifico Clusius ore vocor.

Et ille met concludit tot nominum diuersitas ex rudi, ac superstitionibus addicta Antiquorum Religione promanasse: sibi etenim suaserant agrestes illi diuersa eiusdem personæ gesta, diuersis quoque esse distinguenda nominibus; hoc vtique confirmat quod supra dicebamus, & apud Ouidium ita id asserit ipse Ianus:

Scilicèt alterno voluit rudis illa vetustas
Nomine diuersas significare vices.

Si ergò Ianus primus vitis cultor, inuentorque vini extitit, vt tot iam allatis auctoritatibus apertissime demonstratum est, ac propterea græco quoque idiomate Enotrius appellabatur, hoc est, vinearius, ex consequenti falsum erit quod a Poetis, & ab Historicis decantatur, Saturnum nempè, Osirim, & Bacchum eiusdem fuisse inuentores. Ab hoc vltimo facili me negotio expediam, cum merum sit fa-

bellantium

bellantium Græcorum iuuentum; hi enim sua semper ad sidera extollere intenti, Antiquorum Heroum verissima facinora suis recentioribus ausi sunt mille ad hoc inuentis nugis adscribere. Quibus nos illud tantùm Lucretij opponimus.

Omnia, quæ veteres Graium cecinere poetæ,
Sunt procul à veraci animi ratione repulsa.

Fortè ille suus Dionysius ex Thebis aliquo domestico in agello vnum plantauerat vitis surculum, hincque per hyperbolem gestum exaggerantes tumenti stylo grandiora promentes verba, primum vini auctorem condidere. Vel veriùs ille suo exemplo ad pocula Lyæo redundantia excicando plurimùm prouocando, temulentiam docuit. Id Tibullū 8. sua elegia inuuisse arbitrari forte posset cū cecinit.

Bacchus, & agricolæ magno confecta labore
Pectora tristitiæ dissoluenda dedit.

Ac ideò eumdem sunt fabulati inter Silenos, Satyros seues vino madentes, ebrium semper versari, vt innuerent, tali rusticorum ebriosa societate stipatum in plena merodol ia feroci ingluuie irruere.

Verùm a primis, Saturno nempè, & Osiri, peculiari non nisi adhibita diligentia me possum expedire; nam a Latinis nostris vinearum culturæ auctores asseruntur. Macrob. p. Saturnal. Saturnum in Latium agrorum culturam primum docuisse affirmat his verbis. *Qui docuit peritiam ruris, & redegit in melius ferum illum, & rudem hominum victum.* Idque confirmat ex insignibus, quæ manu deferunt simulacra Saturni. *Simulacrum eius inditio est, cui falcem insigne messis adiecit.* Imposuerunt ergo in manibus eiusdem falcem, qua in messe rustici vtuntur, gladiumque ad vites potandas, vt & messis, & vindemiæ auctorem significarent. Hincque falciferi Epitethon habuit, sic Ouid. p. Fast., dum Ianum Saturni aduentum in Italiam enarrantem inducit.

Thuscum rate venit in amnem.
Prius pererrato falcifer Orbe Deus.

Idem de Osiride testatur Tibullus Elegia 8. primi libri tali cantu.

Hic docuit teneram palis adiungere vitem:
Hic viridem dura cędere falce comam.

His tamen omnibus, quæ supradictis de Iano aduersari vide-

videbantur, vnica tantummodò Berosi, ac Fabij Pictoris aduertentia plenissimè satisfaciam, omnesque prima facie dissentientes Auctores in vnicam iam allatam veritatem collimare ostendam. Berosus igitur, & Fabius Pictor pari consensu docent, Ianum (quem nos Noemum dicimus) rudi tantùm inuentione populos agrorum culturam docuisse, solumque modum eis ostendisse iaciendi semina, fructusque colligere: ità pariter vitim plantasse, & absque arte, quos maturauit botros collegisse, succumque extraxisse, nec aliam in id diligentiam impendisse, nisi quod domestico in loco plantauerat, vt minimé agrestes fructus produceret. Non enim id intendebat, vt Gentes delicatioribus eduliorum generibus in mollitiem detruderet, sed in id se totum impendit, vt animabus spirituales proponeret cibos. Berosum audiamus lib. 3. *Docuit Noha simplicem agriculturam, magis curans religionem, & mores, quàm opulentiam.* Idem scribit Pictor lib. p. his verbis. *Vinum, & far primus docuit Ianus, ad sacrificia, & Religionem magis quàm ad esum, & potum.* Cęteri autem accuratiori diligentia culturam examinantes, plura inuenerunt, quæ & faciliorem, & pleniorem in re sua rusticorum artem reddidere. Aratrum ad aperiendam terram inuentum fuit ab Osiride, testis est Tibullus, qui ait.

Primus aratra manu solerti fecit Osiris,
Et teneram ferro solicitauit humum.

Anteà ligone fortè tantummodò agros colebant, vel alio consimili manuale instrumento. Saturnus docuit fimo pinguescere arua, hincque illi Stercutij nomen inditum: ità Macrobius. *Saturnum Romani Sterculium vocant, quòd prior stercore fęcunditatem agris comparauerit.*

Ità pariter circa vinearum culturam, recentiores Dij docuerunt artem potandi, modum vites alligandi robustioribus plantis, vt vberiores botros emittant, cum anteà eas fortè sinerent, vt nimia pampinorum segete grauatæ, solidiorique fulcimento viduatæ humum reptarent. Vinum illud colligere contenti quod sua sponte Natura ipsa vllo absque artis adiumenti ad maturitatem perduceret. His autem nouis adinuentis, & agricultura suum complementum recepit, & fructus longè sapidiores, & vberiori in copia in hominum vsum colliguntur. Id tantùm intendit Macrobius,

dum textu super allato ait. *Redegit in melius ferum illum, & rudem hominum victum*. Nec mirum quod, leuissimo hoc beneficio tam grandem famā sibi cōparauerint, vt etiam in Deorū consortium asciscerentur. Adeò enim genialis, & iucunda est perpluribus bibendi libido, vt pauculo addito palati irritamento, solatij auctorem perditissimè diligentes ad sidera, vsque si facultas adesset, extollerent. Maximè in poculorum concertationibus, dum mero exundantibus pateris ad sæpiùs bibendum se se inuicem prouocant. Hæ sunt veræ apotheoses eorum, qui sapidiores vini potiones conficere valent. Hoc idem satis suadet, quod refert Plinius 5. cap. lib. 14. ait enim, Binos libertos temporibus Scipionis Africani, in suburbijs Romæ degentes, vni nomē Ancilius Stenelaus, alteri Egilaus Vetulionus, parum abfuisse, quin inter Numinum suorum densissimo gregi Romani reposuerint, quòd eorum industri labore meliores iam maturescerent vuæ in agro Numentano, Campano, & Veliterno. Verùm si hoc non fuere assequuti; certè tamen inter homines: *Adepti sunt summam gloriam*.

Cur Noe dictus fuerit Ianus. Vinum an magis prosit, vel noceat. Hæc vox Ianus primęua sua institutione non est latina, nec deriuationem habuit à Ianua. Ianus sicut & Noe creditus ex Armenia.

§. 48.

AB his ergò expediti, quæ nos paulisper detinuere, redeamus ad semitam nostram, iam non longè metam aspicimus; id enim nobis tantummodò conficiendum superest, vt nominum consensionem, de qua supra egimus, ostendamus. Hæc operi nitorem tribuet, idque efficiet, vt efformata iam lineamenta dilucidius appareant, & omninò ipsam veri Noemi imaginem esse demonstret; ità naturaliter ex prototypo adamussim deducta pennicillo, vt nullum

aliud intra hominum speciem sit reperire indiuiduum, cuius hęc, vel dici, vel suspicari possit imago, nisi Noemum ipsum. Nostrum igitur est sub oculis legentium ponere hoc nomen Ianus, a priscis illis Gentibus Noemo impositum fuisse pro ingenti beneficio accepto, quod vineas colere docuerit, & quod omnium primus vinum repererit. Id enim hęc vox, Ianus, exprimit, & importat; teste nostro Beroso lib. 3. in hæc verba. *Ob beneficium inuenta vitis, & vini dignatus est nomine Iano, quod Armenis sonat vitifer, & vinifer.*

Beneficium appellat Berosus, quod vinum hominibus ignotum in potum tradiderit. At mehercle in ancipiti adhuc versamur, an potiùs maleficium quàm beneficium sit dicendum. Attamen quia nouis nos quæstionibus inuoluere detrectamus, hoc vnum dicemus: Vinum vtrumque esse iuxta circumstantias. Ingeniosè vtique id exprimit hoc distichon, cuius auctorem modò minimè recolimus.

Pharmaca, vina, venus, addunt calcaria morti
Et frenant mortem pharmaca, vina, venus.

Et verè vinum æque antidotum, ac venenum corporis, & animæ se præbere potest hominibus. Confert enim plurimùm ad exturbandas à corde infectiones omnes mœroris, atque tristitiæ. Hinc Sapientissimus Iudæorum vt ijs, qui tristi erant animo, vina propinarentur præcepit. Et inter moralia sua documenta hunc physicum inseruit medicinæ aphorismum. *Date siceram mœrentibus, & vinum his, qui amaro sunt animo.* Vatesque anonymus inter cathalecta Petronij fragmentis addita hortabatur.

Vince mero curas, & quicquid fortè remordet
Comprime, deque animo nubila pelle tuo.

Plurimùm etiam valet ad augendum in membris robur, in neruis soliditatem, animum reddit audacem, & securè ferocem: viuido inficit genas colore: ad lætitiam aperit vultum, labia soluit in risum, serenam inducit hilaritatem in fronte, & callidam duplicitatem, atque versutiam amandat à verbis. Hæc floridiori suo stylo cecinit Ouid.

Vina parant animos, faciuntque coloribus aptos,
Cura fugit, multum diluiturque mero:
Tunc veniunt risus, tunc pauper cornua sumit,
Tunc dolor, & curæ, rugaque frontis abit.

Tunc aperit mentes, æuo rarissima nostro
Simplicitas, artes excutiente Deo.

Verum etiam, & e contra vires sanitatis eneruat, mortis gressus accelerat, sensus obtundit, iudicium obnubilat, & ad extra se agendum adigit, memoriam adimit, affectus perturbationibus confundit, passiones reddit effrenes, vtriusque hominis virtutes, & dotes comprimit, & deformat, & vitijs omnibus, maximè tamen libidini, sua vi plurimùm opitulatur. Hinc Salomon ait: *Luxuriosa res est vinum*. Et Tarsensis Apostolus Gentium Doctor Ephesijs nimium vini vsum prohibuit. *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria*. Et hoc quidem intelligendum de ipsa ebrietate, non qua sensus omninò hebetantur, & obtunduntur, & spiritus etiam nimia ingluuie suffocantur; at de illa, qua spiritibus vires adduntur, & sensibus robur augetur. Ita Ouid. vltimo suo remedio cecinit.

Vina parant animos Veneri, nisi plurima sumas,
Et superat multo corda sepulta mero.

Quando igitur citra excessum se continet ebrietas, tunc.

Est Venus in vinis, ignis in igne furit.

Plinius licet sua professione Poetarum lenocinia minimè professus fuerit, hoc tamen morali lemmate Ouidio occinere placuit.

Ardenti Baccho succenditur ignis amoris
Nam sunt vnanimi Bacchus, Amorque Dij.

Chorum perficit Claudianus de Bello Gildonico hoc carmine

Et vino calefacta Venus, tunc sæuior ardet
Luxuries.

Nè lędat igitur, sed vt prosit merum, saluberrimum erit moderamen seruare, nec nimiùm, nec sæpiùs, semperque aqua dilutum sumamus. Vtá vini nimietate caueamus admonet pijssima Sancta Mater Ecclesia in hymno

Carnis terat superbiam
Potus, cibique parcitus.

Tempus quoque metiendum in vini sumptione aduertit Ouidius

data tempore prosunt,
Et datæ non apto tempore vina nocent.

Mystica Priscorũ cõsuetudo forsan fuit, vel pennicillo, vel

cęlatoris arte in cyathorum fundo Bacchum Tetydi aquarum Numini mutuis amplexibus alligatum exprimere; sic enim potatores eruditè admonebant, vt cum Nereidis Lyeum associarent. Tali credatur cęlatura obsignatus poculus anonymi illius Vatis in Petronij cathalecticis, vbi sic describitur

In cratere meo Thetys est coniuncta Lyeo,
Et Dea mixta Deo, sed Dea maior eo.

Thetydem Bacco maiorem dicit, quòd aqua vino vires adimit, eiusque furorem temperat. Immò Catullus eam vini perniciem vocat: cumque illi minimè placeret vinum aqua dilutum, omninò à mensa sua perpetuo exilio lymphas amandat, seuera hac obiurgatione

At vos quolibet hinc abite lymphæ
Vini pernicies, & ad seueros migrate.

Verùm sit vtile, vel noxium vinum, Aramei tamen, quorum in agris primùm vites plantauerat Noe, & omnium primi succus e botris expresserant, Sanctum Patriarcham musti inuentorem illustri agnomine insignire voluerunt, vt tanti beneficij memoria nunquàm excideret. Hæc etenim vox, Ianus, viniferum, vel vinearium, vt Beroso placuit, seù vinosum, vt voluit Bodenus, significat. Hinc apertissimè constat minimè vocabulum esse latinum, nec à Ianua deriuatum; vt parùm aptè docent obscuriores grammatici. Immò ex opposito ex Iano formatur Ianua, portis aptatum nomen, eo quod Ianus earum fuerit inuentor, vt supradictum est. Ideòque illi sacr ierant ingressus, & egressus, quasi horum actuum Custodi, & Præsidiario Numini. Sic Macrobius. *Regnante Iano omnium domos religione, & sanctitate fuere munita, ob quæ merita introitus, & exitus ædium eidem consecrarunt.* Ab hisque actionibus fores reserandi, atque claudendi, eodem Macrobio teste, eumdem appellabant: *Ianum* Patulcium, & Clusium. Ianuæ igitur suo institutori non dedere, sed receperunt ex illo nomen suum; nec hæ voces ex prima earum institutione latini sunt idiomatis, non enim adhuc erant Latini cum Ianus ex beneficio gentibus collato tale nomen receperat; quod etiam adnotauit Bodenus cap. 9. suæ Methodi ad hist:, & nos verum arbitramur his rationibus adducti.

Prima est. Nam Prothomagistri latini sermonis, vt Tul-

lius, Sextus Pompeius, Cornificius, Macrobius, alijque ex Priscis Grammaticis, cum optimè nouissent hanc vocem ex sui institutione minimè esse latinam, nec etiam a Iani a deductam, longe diuersas deriuationes eidem assignarunt. Cornificius, & Tullius, quos citat Macrobius, deductam volunt ab eundo, contenduntque minime pronunciandum esse Ianum, sed Eanum. Sextus autem Pompeius, quem in suis commentarijs ad primum metamorph. refert Regius, & nos supra retulimus, deriuatam docet a verbo Hiare sicque dicendum, Hiannm, cum aspiratione. Ex huiusmodi ergò diuersitate, constat non firmam habuisse a latinitate deriuatione, sed voluisse ei vnā aliquā accomodare ex imaginatione propria latinistātes, eius barbarā significationē nesciētes.

Secunda est. Si Ianus ex Armenia in Italiam venit, secumque colonias duxit, & in ea primas populationes fundauit, vt supra dictum est, & infra etiam ostendemus in responsione ad tertium argumentum Cani & habetur ex Catone in originum fragmentis, his verbis: *Ex Scythis venit Ianus cum Dyrim, & Gallis progenitoribus vmbrorum*. Et confirmatur ex Solino cap. 7. qui adeò firmiter hoc sustinet, vt asserat, *neminem esse, qui hoc ignoret*. Pariter extra dubium tenendum est, vt secum proprium etiam detulerit nomen, quod post eius obitum remanserit, nedum in hominum memorijs, verum etiam, & in pluribus locorum monumentis. Hoc verò nomen non aliud est, nisi Ianus, vt euidentissimè constat ex nomine primæ ciuitatis, quam ad ripas Tiberim ædificauit, vt ipse, & sui in ea securè degerent; hanc enim ex suo nomine Ianiculum appellauit: Idq; fatentur vnanimi consensu quotquot de Romanorum antiquitatibus scripserunt Auctores. Hoc pariter cecinit Virgilius in 7. Ibi enim cum Euander ciuitatem illam, de qua loquimur, seù castrum, tunc temporis iam dirutum, Æneæ ostenderet, de fundatore suo sic eum allocutum dicit:

Hanc Ianus Pater, hanc Saturnus condidit Vrbem
Ianiculum huic, illi fuerat Saturnia nomen.

Hoc igitur stante dicendum est, nomen Iani, æquè ac Virum, cui inditum erat, a Latio exterum fuisse, & peregrinum, illarumque gentium naturale, cuius quoque ille erat indigena, & conterraneus: hæ autem Scythæ fuerunt, ideoq; nomen barbarum erit, & Scythicum, quibus Vinearium sonat,

seù vinosum. Nec dici potest Græcorum vocem fuisse, á quibus plures Locorum denominationes in Italiam fluxere, quia vox hæc, Ianus, Attica non est; & illi vt vinosum, vel vineariu significent, Enotrium dicunt. Aduertendum tamèn quod cum dicimus Ianum è Scythia discessum ad litora Italiæ appulisse, per Scythiam Armeniam intelligimus, eam scilicèt, quàm Arameam vocabant, postea maior Armenia dicta est, nunc veró Turcomania & fortè à flumine Araxe Arameam dicebant, quasi Araxeam dicerent. Appellabatur etiam Scythia Saga, seu saca, vt apud Quintum Curtium, & Plinium legimus. Mela tamen Catoni nostro consentiens Sagam dicit. Ex eodem Plinio pariter habemus, quod Persæ Scythas omnes Sagas appellarunt a proxima gente: Antiqui Arameos.

Firmissimum igitur habemus antiquitate ipsa id te stante, Scripto rumque testimonijs plaudentibus, Ianum illũ, a quo primùm in Italiam coloniæ ductæ sunt, & in eas Sceptrum habuit, cui etiam proprietates, & prærogatiuæ omnes, cuncta denique Noemi attributa tam bene conueniunt, vt viuum sit illius simulacrum, & verissima effigies, illum dico qui Scythiam sagam reliquit, hoc est Aramæam, quæ est maior Armenia. Et si res ita se habet, qui amplius ambigere potest ipsum Noemum Ianum appellatum fuisse? Et si quis adhuc resistit, dicat quæso, quo loci renatus sit (illæsum ab vndis, in quibus Orbis totus conciderat, renatum dicere placuit) dicat qua in regione incolatum habuerit, vbi nam moras trexerit, & humani generis propagationi sedulam dederit operam? Certè locum alium assignare non poterit, nisi Armeniam ipsam, ni Sacræ Scripturæ contradicere audeat. In ea namque exertis verbis apertè legimus, quod Arca: *Requieuit super montes Armeniæ*. Ibique ei præceptum à Domino vt egrederetur de Arca, terram habitaret, mundumque per propagationem popularet: *Egredere de arca tu, & vxor tua, & filij tui, & vxores filiorum suorum tecum, & ingredimini super terram, crescite, & multiplicamini super eam*. Sanctissimus verò Patriarcha in signum, quod incola fuerit ibi, primusque fixerit habitationes, Templum ædificauit, erexit altare, obtulitque sacrificium. *Ædificauit Noe altare Domino, & obtulit holocaustum super illud*. Inquit Sacer Chronista, suæ gen. cap, 8.

Arme-

Armenus ergo fuit Noe, quod ibi renatus fuerit post tam grande periculum, ibique diù cum filijs suis moras traxerit, vsque donec iam ex eorum propagatione multiplicitatis hominibus, alios misit, alios conduxit in varias Orbis partes, vt præceptum ei à Deo ipso iniunctum adimpleret. *Crescite, & multiplicamini, & replete terram*. Quid certius? quid euidentius? quid denique securius vnquàm, vel expeti, vel haberi potest? Verùm ad clariores adhúc euidentias procedamus. Totam per amplissimum latitudinis suæ gyrum Armeniam perscrutemur, locumque peculiare reperiamus, in quo primúm Sanctissimus Patriarcha tabernacula erexit, à quo postea discessit, vt ea', quæ sui muneris erant, exequeretur, vt infra in responsione ad tertium argumentum Cani ostendemus: eaque ipsa pars se se nobis obijciet, quam supra Iano assignauimùs, maiorem scilicet Armeniam, quam Scythiam Sagam appellarunt, & Aramæam, siuè ab Aramo ex filijs Sem, Noemi nepote, qui fortè ibi moratus est, & imperium rexit: vel vt supra dicebamus, ab amne famoso, qui eam alluit, ab Hebræis dictus Ararat, ab Armenis Araxat, à Latinis Araxes, de quo Virgilius in sexto ait

Indomitique Daoe, & pontem indignatus Araxes.

pontem innuit, quem Augustus super dictum amnem construere fecit, vt expedititius posset ducere in Parthos.

Cum igitur à tali flumine suam trahat denominationem, ideò Hebræi totam Armeniam eodem nomine Ararat appellant. Ab al js dicitur Aramæa, quasi dicant Araxeam. Hinc & à Latinis Poetis sæpiús per Synedochen à solo eius flumine integra prouincia Araxes dicitur. Ita Claudianus de bello Gildonico Romam Iouem sic alloquentem dicit.

Aduenio supplex, non vt proculcet Araxem
Consul ouans, nostraque premant pharetrata secures.



Assignatur proprius locus, in quo primùm Arca quieuit. Qua in parte renouati orbis primi incolæ suas habitationes erexerint, vitesque primùm fuerint plantatæ. §. 59.

CErtam huius rei notitiam ex eo pendet, vt sciamus super quē ex Armeniæ montibus specialitèr primū steterit in sicco Arca salutaris. Quod enim eodē in mōte, siue in cecumine, siue ad latus, siue ad eiusdē radices, vel tandem in viciniori valle prima erexerint tabernacula, rationi valdè consentaneum arbitramur. Nulla namque necessitas ad aliter agendum impellebat, suadebat vè ratio, nec fortè commeatum longiùs transferre comodè poterant, & ferè connaturalis est consuetudo, vt ibi habitent homines, vbi ortum habuerunt. Id autem de Noe apertè testatur S. Epiph. in initio sui operis contra hæreses. Postquàm enim montem indicauit, super quem arca primò quieuit, addit. *Ibi primùm habitatio hominum post diluuium fieri cæpit esse.*

Verùm ingenuè fatemur plurimùm inter varias difficultates nos fuisse detentos, dum montem ipsum, peculiaremque situm expiscari niteremur, super quem portum reperit arca; longè namque inter se discriminātur Auctores in vtroque assignando. Nicolaus etenim Damascenus, quem refert Iosephus cap. 4. p. Antiq. eum nominat, *Baris:* Berosus paritèr ab eodem citatus, *Cordieum* vocat. S. Epiph. loc. cit. appellat *Lubar*. Attamen Auctores vt plurimùm cum D. Hieron: suo in opere de locis Hebraicis, vocant *Ararat*. Mons vtique, & in Ecclesiasticis fastis latissimis gloriæ titulis longè insignis, eo quod per Paganorum carnifices manus Gratia Diuina disposuit, siluam illam omni viridario certè amæniorem, Hesperidumque promærijs longè iucundiorem, excrescere, cum decem millibus erectis patibulis in cruces assurgentibus, totidem inuictissimi Martyres super eas affixi, nobilissimum de Gentilium feritate tryumphum sua morte reportarunt, & pro Christi nomine vita functi æterni Salomonis solium sanguinis sui murice sacroiterùm purpurarunt,

Aduertendum cum D. Hieron. circa hoc nomen Ararat, quod non est nomen proprium, quo mons ille appelletur, sicut & nos generali vocabulo Alpes, & Apenninos dicimus: sed est nomen Prouinciæ, in qua mons ille procerimè assurgit. Sic enim linguis Hebræorum, & Chaldæorum, quæ inter se valdè affines sunt, immò quoad substantiam eędem, appellatur Armenia, & est secundi casus, vndè si rectè pronuncietur Italicè, quo in idiomate casus non per voces diuersas, sed per appositos articulos, distinguuntur, pronunciandum esse. (*di Ararat*) in sacro textu Genesis vbi legitur latinè: *Requieuit super montes Armeniæ*. in Hebræo idiomate: *Super montes Ararat*. Sacer verò interpres vt asperam huius vocabuli barbariem decliuaret, Latinam vocem assumpsit: *Armeniæ*. Ita quod ergò idem est dicere: *Montes Ararat*, ac nos diceremus montes Italiæ, Alpes, & Apenninos innuendo.

Adeò autem latè vagatur nomen hoc Ararat, cum tantummodò montem illum in Armenia amplissimum Asiæ regionem fuisse demonstret, vt frustraneo labore inde indagare velimus verè locum ipsum incolatus, & discessus Sanctissimi Patriarchæ Noe. Eo igitur communiori relicto alia propriora sunt inuestiganda, qualia apud nos sunt ea, quæ inter Alpes nominant montem cinerum, cuius incolæ sunt Centrones, Vesulum in alpibus littoreis, Baldum in agro Veronensi, cui lacus Benaci radices alluit. Hic veró cum de montibus Ararat, seù Armeniæ sermo inciderit, non abs re futurum esse arbitramur, si aliqua de ipsis geographicè delibabimus, ad eorum maximè profectum, qui fortè horum inscitia detinentur: eaque ex Strabone, Plinio, Solino, Tolomeo, Quinto Curtio, & alijs quoque, qui vel historico, vel geographico discursu de his tradiderunt, excerpsimus.

Montes ergo Ararat non humiliora sunt membra immensi Tauri, qui inter cæteros omnes orbis montes procerimi instar gigantis, vnanimi omnium consensu fastigiosę altitudinis primatum sibi vindicauit. Hic ab Indico mari assurgens in vastissimam altitudinem adeò seipsum sustollit, vt Eois ipsis sideribus cacumen immiscere videatur: hinc sua amplitudine totam Asiam longè percurrens Pamphylum mare altero pede prominentium scopulorum mole onusto

gra-

grauiſſimè premit, ſæuienteſque eiuſdem turgidiſſimi fluctus inter ſaxorum abruptas cautes reprimuntur, infringuntur. Alter verò adamantina glacie conueſtitus boreali ſub ipſo cardine ſe inſinuans glaciale ſalum veluti calcibus proculcat. Conſimilem ipſius effigiem poeticè nobis deſcripſit Dionyſius Africanus ſuo in poemate de orbis ſitu, tali metro.

Aſt Aſiam, qui mons excelſus diuidit omnem,
Incipit á Medijs terræ Pamphylidis oris,
Et longis ſe ſe ſpatijs producit ad Indos·
Nunc obliqua means, nunc recto limite currens,
Vertice quem toruo perhibent cognomine Taurum,
Cornua nam ſummus ſcopulis imitatur acutis,
Multi ſidoſque ſuos huc colles ſpargit, & illúc.

Taurus namquè mons non eſt alius a Caſpio, ſed iugum illud, quod à latere aſſurgit, qua reſpicit Aquilonem, Caſpium dicitur, qua verò ad Auſtrum proſpicit Taurum appellatur. Nec vnum ei nomen, ſed pro gentium, ac regionum, ad quas ſe extendit, varietate, diuerſas etiam appellationes aſſumit. Indis itaque eſt Imauus; Scythis Paropaniſus; Parthis Coatrus; Armenis Nipllates; Hyrcanis Caſpius, ſicque alius alijs, & quaqua verſus ſe extollit, vel extendit innumeris Nationibus, & Populis ſemper inſigniter celebris. Quod & cecinit idem Geographus vates.

Non tamèn eſt vnum montis cognomen vbique
Sed varij flexus variantur nomine multa
Singula, ſed proprijs ſunt nomina nota colonis.

Nos autem ad illas tantummodò partes, quibus premit Armeniam, ſermonem teſtringimus, intes eas verò quaſdam reperimus, quas montes dixere Gordigei, ſeù Cordiei, ſiue Cordici iuxta Scriptorum placitum, quibus diuerſimode vocem inflectere placuit: ſic verò appellati ſunt à quadam regione, ſeù Prouincia Maioris Armeniæ, quam illi alto ſuo vertice obumbrant. Hanc Tolomeus tertia ſua in tabula Aſiæ Gordenam appellat, alij Cotdicenam, eiuſdemque Populos dixere Cordicios, ità D. Epiphan.; verùm hoc parum refert. Diodorus regionem hanc ponit inter Armeniam, & Mediam, at Tolomeus aptius ſcripſit, vt potè Geographicę artis profeſſor, eamque poſuit in Armeniam, verum in extrema ſui parte, quacum Aſſirijs, & Medis li-

mites

mites habet. Non procul ab ea fluit Araxes, Septentrionalemque eius plagam alluit. Insuper Geographicæ tabulę ostendunt, quod & Tigris & Euphrates, e montium Gordieorum visceribus erumpunt. Id cōsolatrix Philosophia suum carceribus mancipatum Boetium alloquens docuit.

Rupis Achamenia scopulis, vbi versa sequentes Lib. 5. car. m. 1.
Pectoribus figit spicula, pugna fugax
Tigris, & Euphrates vno se se fonte resoluunt.

Iste autem Gordieus mons est ille omnium fælicissimus, summisque semper encomijs extollendus, supra cuius cacumē ab inundantibus fluctibus Arca quietē inuenit; quod quidem Berosus cum de Assiriorum, vel Chaldęorum gente, esset Gordieorum Prouinciæ conterminа, & ipse locorum, gestorumque omnium diligentissimus perscrutator, id optimè rescire potuit, nobisque testatum reliquit. Nec solum Berosus noster Annianus, hunc enim plenis buccis exsibillarent, & exploderent Aduersarij, cum quibus concertamus, sed etiam Flauianus, quem venerantur, & cuius auctoritates honorificè admittunt. Iste igitur hoc idem scripsit, vt ex Hebræorum historico lib. 1. antiq. cap. 4. habemus. *Berosus Chaldaus narrans de hoc diluuio, ita scribit. Fertur quidem, & nauigij huius partem in Armenia apud montem Cordieorum superesse.*

Nec solum Berosi ætate, sed ipsius Iosephi temporibus adhùc Noemici nauigij apud eos montes reliquias extitisse haud incredibile habendum, nam si Beniamino Tudilensi credimus, quem noster Maluenda in suis commentarijs ad 6. cap. Gen. refert, verisimile quoque est, quod & in presentem diem aliquæ portiones permaneant. Ille namque suo itinerario illarum regionum testem oculatum se exhibet, quod Arabes ea ipsa in Arca Mischetam extruxerunt, & quia iste Auctor specialem ipsum locum, in quo arca reperiebatur, adducit, placuit, vt eo magis Lectori satisfaciamus, eiusdem verba transcribere. *Ex Nisibi, duobus itineribus peractis, venitur in Ghez. Ben. Chamar, quę Vrbs inter ripas Tygridis ad radicem mōtium Ararat, siue Tauri, sita est; quatuor miliaribus ferè distās a loco, in quo Noe arca requieuerat. Illam autem Arcam Ghabar. Ben. Achetab, ex montis dorso sublatam transtulit in Ismaelitarum Mscheta vsum.*

Locum ergo ipsum omni tandem cum singularitate sumus

aucupati, in quo post diluuium stetit Noemica nauis, huncque scimus esseGordieum montem.Modò conciliemus etiam alia huius montis nomina, quæ prima quidem facie videntur esse diuersa. Hæc autem sunt duo, Lubaris nempè, & hoc est Epiphanij; aliud Baris, quod est Nicolai Damasceni. Hæc verò duo nomina, vt adnotat noster Maluenda, non sunt diuersa nisi secundum apparentiam, eamdem enim habent significationem; discriminantur verò ad inuicem, quod secundum est detruncatum, demitur unim ab eo prima syllaba, Lu; primum verò est integrum & sonat, Lubaris. Propè infinitæ sunt omnibus in linguis consimiles dictionum abreuiationes, vocabulorumque detruncationes, & mutilationes: per figuram namque Aphræsis, vt vocant Grammatici, latino in sermone pronunciamus: Tendit, pro Tetendit, Chaius pro Achaius, & Italici dicunt Tonio, pro Antonio; Menico pro Domenico; Renzo pro Lorenzo.

Lubaris ergo, & Baris sunt vnum nomen. Modò vlterius procedamus ad stabiliendum, tale nomen determinatè significare illam partem, & illum ipsum montium Gordieorum locum, in quo primùm arca salutis quieuit in sicco, ex qua illi egressi sunt homines, quos Deus preseruare voluit; qui montis pendicibus relictis, in planitiem descendentes construxerunt domos. Hæc enim vox Lubar Aramæa est iuxta interpretationem, quam ex professoribus illius idiomatis, refert Maluenda, propriè significat locum excelsnm à quo quis descendat. Ex descensu igitur filiorum cum Patre, fortè etiam & Brutorum, quæ ibidem asseruata, de altissimo cacumine, locum illum Lubarim, seù Barim nominarunt.

Et quidém plurimum decebat insignem adeò, ac supra omnem fidem admirabilem euentum, quo certe maiorem orbis vnquam inspexit, æternis consignare memorijs; quæ nullibi diutiùs, securiusque asseruantur, & perennant, ac si montes, & regiones ipse, in euum vsque duraturæ, illius facti agnomine insigniantur. His consentit Iosephus, capite enim supra citato narrat: Montem illum, qui ab aquis ptimum excepit egressos, ab Armenis eorum idiomate, Apobaterion, dictum, si latine reddatur, Egressionem sonat. Et id sibi a Patribus confirmatum dicit Annius, à quibus

Berosi

Berosi librum dono acceperat; qui & addiderunt quod locus ille adhùc appellabatur: *Sale Noec*. Quasi dicerent. Egressorium Noe. Et vere, prout nos, qui nec apicem illius idiomatis nouimus, ex libro interpretationum nominum Hæbreorum D. Hieronymi colligere possumus, non multum discriminatur hæc significatio vocis, Sale ab ea, quam docet Sanctus Doctor significare, scilicet Missionem; vel Emissionem, quam vtique & pro egressione possumus vsurpare, nam cuncta viuentia, quæ in arca degebant Noemi iussu egressa sunt. Vel id nomen tali loco impositum, quod ab eo missæ fuerint per vniuersum orbem ab replendam habitatoribus terram Coloniæ a Sancto Patriarcha, vt supra satis fuse ostensum est.

Ioannes Tzetzeus, quem Pater Maluenda refert, ait Chaldæos, & Armenos appellare locum illum montium Cordieorum Lubarim, in quo primùm Noe vitem plantauit. Igitur fas est deducere ad confirmandum quod supra dicebamus de Noemi habitatione, eo in loco, vel in illius vicinijs primum suum habitaculum extruxisse.

Hinc principalem inferimus intentum, de quo supra dicebamus: ab eo verò per diuersas digressionum multiplices varietates per Armeniæ montes, & flumina adeò longè vagati sumus, vt vix institutum propositum repetere valeamus. Ab huius tamen abalienatione nos reuocauit id quod modò diximus, Noemum in loco Lubarim primùm excoluisse vites, vindemiamque docuisse populos, hinc enim nobis in mentem venit, eo loci sermonem diuertisse cum diceremus, huius rei gratia S. Patriarchæ Iani inditum nomen: Ipsumque verè primum fuisse Ianum, cui primum nomen impositum, quia vites plantauit, mustumque ex bottris expressit. Verùm si horum primus institutor non alius fuit nisi Noe; quod nemo Christianorum detrectare audebit, expressissimis enim verbis in Sacra Genesi habetur. Alius ergò non fuit Noe, nisi Ianus, & iste ille extitit. Deque antiquissimo Latinorum Iano hæc intelligimus, de quo hucusque adamussim proprietates, & dotes descripsimus.

Quod verò Iani nomen à vitium cultura, & vino inuento fluxerit, ipsa nominis significatione constat. Nomen enim hoc neque Latinum, neque Græcum est, sed Priscum Ara-

 mæum,

mæum, quo antiqui Armeni vtebantur (quonam verò modò loquantur ignoramus) illudque idem erat cum Chaldęo, & Hebræo, idemque penès illos significat ac vitiferum, nos autem diceremus vinearium, seù vinosum. Idque deriuarunt à voce *Ianin* Armena pariter, Chaldæa, & Hebræa, & vinum sonat, vt docet Annius noster in idiomatibus illis apprimè peritus, notatque quod in sacro textu cap. 9. Gen. vbi nos latinè legimus: *Bibens vinum inebriatus est*. Et paulò post iterùm: *Euigilans autem Noe ex vino*. Vtroque in loco textus Hebræus habet. *Ianin*. Patet ergò hoc nomen *Ianim* significare vinum.

Verùm Annio nulla sit fides. Falsat enim textus, & peruertit libros; ac ideò apud eruditos nihil validioris est auæoritatis, ao sint fabellatores, & nugatores, inter quos ipse Vexilliferum se præbuit, ac Dncem (ita fortè insusitabunt Aduersarij.) Linquamus igitur Annjum, aliumque inueniamus, in quem beneuolum habeant animum, quod eiusdem sit cum ipsis professionis, & ordinis: Sit iste Ioannes Bodenus. Hunc certè non expungent tanquam falsum, non vellicabunt vt infidelem, non mordebunt, vt imperitum idiomatis, & eruditionum inscium, non enim cucullum gestat, nec moratur in claustris, immò cuncti ceruices in adorationem submittent, ingenua procumbent, cum enim ac Numen omnigenæ eruditionis venerantur, adorant. Huius ergò acceptissimi Auctoris perlegant cap. 9. suæ Methodi historiæ, non longè ab initio, in eo enim docet optimum esse ad expiscandas Gentium origines aduertere, & adnotare vestigia, quœ adhuc in nominibus remanserunt, vocum Chaldaicarum, eo quod ab his Orbis populationes omnes initia sumpserint; nam hæc vestigia cum altius prima in radice populorum fuerint impressa, vnquam, licèt immutata sint idiomata, & locorum omnium nomina, minimè tamen potuerunt penitus aboleri, & destrui. Hocque pluribus inductionibus probans, sermonem ducit ad Coloniam Ianigenam, quæ omnium prima in Italiam habitationes extruxit, sic ait: *Et Ianus ideò vinosus, quem Dionysius Alicarnasseus Oenotrium eadem significatione appellat eum, qui primus Colonias in Italiam transtulit, est enim Iani Hebrais vinum.*

Quod verò hoc nomen Viro illi, qui primas in Italiam colonias duxit, non vanè conueniat, sed ex propria illius signi-

significatione ei fuerit impositum, nempè quia vineas plantauit, & primum omnium vinum reperit, quod vtiqae magni est roboris argumentum ad probandum eumdem virum fuisse Ianum, ac Noemum, hoc supra ostensum est mnltiplici auctoritate Catonis, Fabij Pictoris, Ouidij, & Propertij, & ab insurgenti difficultate defensum. Hic igitur circa hoc calamum sistemus, ipsa namque nominis significatio id apertissimè manifestat, tale enim nomen, vti diximus neq; Latinum, neque Græcum est, sed Priscum Aramæum iam antiquæ gentis Armenæ idioma.

Ianus habitus est Armenus, & ab Armenia in Italiam venit, & in ea regale solium erexit. §. 50.

QVas hic lineas ducturi sumus extremas tandem esse volumus ad binas perficiendas imagines, quas calami pennicillo effingere assumpsimus, Noemi nempè, & Iani. Italus ergò Ianus, quem antiqui Gentilium summis honoribus suspexere, vtporé qui omnium primus regali potestate in populos exercuerit imperium, ex Armenia fuit, illincque ad littora Italiæ appulit cum colonijs. Cumque æthnici Scriptores ob vettstissimam gestorum antiquitatem huiusce Iani originem, subditarumque Gentium, quas ille in Tiberis vicinijs suauissimo imperio moderatus est, inuenire irrito conatu insudauerint, quamplures ex ipsis tanta caligine antiquitatis deterriti, & omnia sua obnubilata in antiquitate relinqnentes in lucubrationibus, quas edidere, generali illo titulo Aboriginum de illis locuti, quasi dicerent Sine origine, cętera intacta dimiserunt; ignorabatur cuim à quibus exordia sumpserint. Latini namque Auctores vltra Vrbis fundationem per Romulum res superioris æui excurrere detrectarunt: existimantes antiquissimorum temporum notitias deliramenta, & nugas potiús, quam incorruptæ veritatis monumenta. Tale fuit iudicium, quod de illis protulit Liuius in præfatione primi libri in hæc verba. *Ea, quæ ante conditam, condendamque Vrbem traduntur potiùs magis decora sunt fabulis quàm incorruptis rerum gestarum monumentis*. Prudenti itaque consilio ab his om-

ninò abstinuit, & ait. *Ea nec affirmare, nec refellere in animo est*. Hunc celebriores ex Latiuis sunt imitati, & sicco calamo res illas delibantes paucis verbis attigere, & dicto tantum quod: *Italiæ cultores primi Aborigines fuere*. Nec vlteriùs progressi, sine lapsu confisi sunt incedere.

Nihilominùs alij generoso ausu, & inter tenebras cęcaq; vetustatis latibula gressus figere minimè detrectati, Poetis se credidere; quamuis & & ipsi de se fateantur parcè eorum dictis fidendum, eorumque de rebus testimonia fallacissima, atque infirma, vt ab historiæ veritas fulciatur. Ouidius elegia vndecima lib. 3. id ingenuè fatetur.

Exit in immensum fęcunda licentia Vatum
Obligat historia nec sua verba fide.

Attamen in tam grandi rerum illarum dubietate Poetarum terrigeniæ subscripsere. Hac terrigenia idem de rationalibus, ac de boletis, ranis, muribus, hisque similibus imperfectis sentiebant; ab humo nempè immediatè exiuisse homines, veluti ex tumenti vtero iam fętu maturo, autumarunt. Hinc telluri matris nomen inditum ait in quinto Lucretius.

quoniam genus ipsa creauit
Humanum, atque animal propè certo tempore fudit.

Idem ergò sensere isti de Iano, primisque Italis, quod ex Italo nempè solo vltrò enati fuerint, sicque nedum Aborigines, verùm etiam Antroctonos, & Gigenas, iuxta Græcorum vocabula appellarunt.

Verum aliqui meliori eruditione exculti, exactiorique studio res ipsas perscrutantes per plurimum laboris tandem expiscarunt Ianum, Chamesium, atque Saturnum, qui primùm, exsiccatis iam vniuersalis cataclysmi aquis, populorum colonias in Italiam aduexere, illisque sunt dominati, de Armenorum gente fuisse; illincque discessi per Tiberis ostia Italiam penetrantes, ad ripas eiusdem fluminis Ciuitatem ædificarunt, primosque, Hetrurios silicet, siue Vmbros condidere. Cato ille diffusè id narrat libro suo de Originibus, nosq; id legimus in his, quæ adhuc supersunt ex fragmentis. Agens enim de Italorum origine, postquàm plura de diluuio, & quonam pacto hominum extremæ reliquiæ vniuersalem cladem euaserint in Scythia Saga, quam nos supra ostendimus esse Maiorem Armeniam, prosequitur in hæc verba. *Exsiccata humo apparuerunt homines in Scythia*

Saga, vbi renatum mortale genus. Ecquidem Principatus Originis semper Scythis tribuitur, à quibus auctis Colonias per Orbem missas ferunt. Et ex his venisse Ianum cum Dyrim, & Gallis progenitoribus Vmbrorum, rateque cum colonijs per Tiberim vectū.

Diodorus etiam Siculus cū Catone isto cōsentit primas populorum gentes in Scythia consedisse; immò Catonem ipsum explicat, insuper addendo, hanc Scythiam Armeniam fuisse, locumque, in quo primi homines posuerunt habitacula, fuisse prope Araxem; eamque gentem numero exiguam, & ignobilem dicit, nullam enim in vacuo iam orbe dominatum exercebat. Eiusdem subijcimus verba. *Principio parua numero, & ignobilis dominatu, qui non erat, consedit genus hominum iuxta fluuium Araxim in Armenia maiore.*

Iustinus etiam cum suo Trogo in hunc Scytharum primatum consentit; initio enim lib. secundi ait. *Scytharum gens antiquissima semper habita fuit.* Ibique stylo declamatorio quæstionem recenset, quam cum Ægyptijs de originis antiquiori vetustate Scythæ habuerūt, ipseq; Scythis suo placito fauet, sic. *His argumentis superatis Ægyptijs antiquiores semper Scythæ visi.* Eadem hac de causa Ægyptij cū Phrygibus cecidere; facto enim experimento de puero remotioribus in latibulis densissimæ siluæ inter nutrices, & famulos elingues enutrito, primum, quod coram adstantibus verbum emisit, fuit Beeth, quæ vox Phrygibus panem sonat, teste Herodoto huius fabellæ, vel historiæ Auctore; hinc dijudicatum Phrygiorum idioma hominibus connaturale, ac propterà primis gentibus in vsu. Huic Claudianus eleganti suo carmine venustatem addidit lib. 2. de Eutropio.

dat cuncta vetustas
Principium Phrygibus: nec Rex Ægyptius vltrà
Restitit, humani postquàm puer vberis expers
In Phrygiam primum laxauit murmura vocem.

Verum tali experimento æquè fauendum erat Hebræis, atque Chaldeis, penes quos etiam, vt ex Sacris Interpretibus habemus, vox hæc Beeth, panem significat, & ex consequenti etiam Armenis; hi etenim vt supra dictum est, sermone loquebantur Hebræo, atque Chaldæo, nec discriminabantur nisi in quadam vocum flexione, & pronunciatione, vt moris est cuiusque Ciuitatis, atque Prouinciæ, quæ in vnius societate idiomatis sint cognatæ. Nos tamen naturli nostro

impulsu in Bodeni sententiam ferimur; hanc silicet vocem Beeth à puerulo prolatam, nec humanam extitisse, nec à natura suggestam, sed belluinam, à capreis quæ in illis vicinijs erant in pascuis, mutuatam.

At quoquomodo res se habeat, certum est ex his nos compertum habere, in Scythia Aramæa, seù in maiori Armenia primas post diluuium gentes insedisse, à quibus postea per totum terrarum orbem diffusæ sunt varijs in regionibus pro cuiuslibet earum placito, vel opportunitate, siuè denique casu. Illincque Ianum illum, quem Noemum fuisse credimus, discesisse: & hoc quidem non debile facit argumentum ad inferendum bino sub nomine vnam tantúm latitare personam: sicque alijs solidioribus additum, quæ supra retulimus, neminem amplius detrectaturum arbitramur, nisi qui fortè velit se ipsum, hoc est ratione se exuere.

Quis enim alius, bone Deus, nisi Noe, vir ille fuit, cui proprietates, conditiones, & dotes omnes, facinora quoque, gesta, & attributa denique cuncta Noe conueniunt? Quis ille, qui vti Noe, cæteris omnibus aquarum clade peremptis ab vniuersali diluuio omnium antiquissimus fuerit? Quis vt Noe Summus Princeps, totiusque vniuersi Supremus Monarcha? Quis vt Noe ad instar Chaos totius humanæ sobolis seminalis origo? Quis vti Noe priorum Principum, Nationumque Pater, & Auctor, qui primos quosque Coloniarum Duces, omniumq; Regnorum fundatores propagauerit. Quis vti Noe Summus Pontifex, Religionis Præceptor, Sacrificiorum Auctor fuit? Quis vti Noe peritissimus astrorum scientia, iustitiæ cultor, castitatis custos, & innocentiæ conseruator extitit? Quis vti Noe natione Armenus, ex Armenia discessit, primas sparsit, & duxit colonias per orbem, ad instaurandas regiones, vniuersumque hominibus depopulatum reparandum, Imperium in subditos gessit ante Chamesium, & Iapetum filios, Sabatiumque Nepotem, quibus nemo superior esse potuit nisi Pater, & hos quoque Imperij socios voluit? Quis vti Noe agriculturæ Professor, & Magister plantauit vineas, coluit vites, viniq; inuentor fuit? Quis tandem nomen illud habuit, quod tam solemne, ac illustre fuit Sanctissimi Patriarchæ nostri Noe? Mehercle si Ianus iste non est Noe, nos quoque de nobis ipsis dubitare incipimus an simus, qui sumus.

Noe Ogygius dictus. Quinque diluuia in historijs recensentur. §. 51.

ALiud puoque agnomen Noemo adamussim congruit ab Anniano Beroso impositum, contra quod succensus Cano, falsum, fabulosum, & ab Annio insomnia reuoluente inuentum, minimè autem a vero Beroso recensitum contendit. Hoc verò est nomen Ogygij à nostro Beroso lib. 2. sic traditum. *Noham dixerunt Ogygisen Sagam.* Suam ibi addit nominis interpretationem. *Idest illustrem Sacrorum Pontificem Noham Dysir.* Ex quibus dicendum hanc vocem Ogygis barbaram esse, priscamque Aramæorum, & sonat illustrem.

Nos autem pace tanti viri, & eorum qui in hanc sententiam propendunt defendimus Ogygij nomen rectissima ratione Noemo inditum, vnumque ex multis esse, quibus eum Gentiles appellabant, siue proprium eis nomen latuerit, siue quod nominum pluralitate, beneficiorum multitudinem, quasi multiplici encomio compensare voluerint. Nec enim in dubium reuocandum quin Gentiles Sanctum Patriarchã adumbrauerint, multiplicique sub nomine suorum Heroum, quos inter Numina recensebant fuerint venerati. Vt sub appellationibus Saturni, Iani, Osiridis, Bacchi, aliorumque, ipso etiam assentiente Vossio, primo, & secundo lib. suæ Theolog. Gentilium. Ita pariter firmiter nos sentimus, quod eumdem venerati sint sub nomine Ogygij, & quod iste inter ceteros Ogyges primus omnium fuerit: quingentis enim euolutis annis alium Ogygen in historijs habemus Atticorum Regem, quo tempore aliud excreuisse diluuium contendunt; at de hoc infra dicemus. Hoc vnum modò intendimus, nedùm verè, sed, & optima conuenientia Noemum Ogygen appellatum. Quod id verum fuerit per auctoritates, modò adducendas palàm fiet. Verùm licèt Aduersarij Auctores hos exufflent, vtpotè Annianos, nos tamen supra legitimos esse pluribus defendimus, illisque rationibus hoc vnum saltem vindicauimus, quod non sint indispensabiliter Spurij, ac ideò in aliquale testimonium possunt aduocari, maximè quod his auctoritatem omni exceptione maiorem, & quam omnes venerabundi suspicient, addemus;

addemus; & illius fulcimento cęteræ minimè ampliùs nutabunt.

Primum igitur Metastenem, seù velint Megastenem, Persam sua id auctoritate confirmantem adducimus: hic in suo annalium libro, de Monarchijs Assiriorum, & Persarum hæc habet. *Ille, qui primus, vniuerso imperauit Orbi fuit Ogyges, qui præfuit inundationi terrarum.* Verùm iste Ogyges, qui Orbi terrarum præfuit, & ab vniuersali inundatione illæsus euasit, quem alium imaginari possumus, nisi Noemum? Qui alium habent adducendum, ostendant.

Secundo loco Xenophontem libello suo de ęquiuocis, ponimus. Iste docet plures fuisse Ogyges. Idemque confirmat his verbis. *Primus Ogyges fuit Nini atauus, quem Babylonij Gallum cognominant*, (en quomodo hic aliud Sancti Patriarchæ agnomen insurgit, de quo posteà plura ventilabimus) *Qui in inundatione superstes etiam filios genuerit, & eripuerit.* Et post pauca strictius loquens de hac inundatione subiungit. *Fuit prima inundatio terrarum nouimenstris sub prisco Ogyge.* Si iste Ogyges fuit Nini atauus, vtique non est alius nisi Noe. Nini enim genealogia intexere possumus, partim ex Sacra, partim ex prophana; sicque ordinatur. Ninus fuit filius Beli; Belus Ninurosi; Ninurosus Cutzi; Cutzus Cham, iste tandem Noe. Extremi quattuor habentur cap. 10. Gen., horum autem coniunctio cum reliquis duobus, & à Christianis, & à Gentilibus habetur. In primis D. Hieronymus in suis commentarijs ad 23. cap. Ezech. habet: Ninum filium fuisse Beli, cui post mortem simulacrum erexit, & diuinos statuit honores. Et in Sacris Scripturis simulacrum illud dicitur Idolum Baal, ità à Phœnicibus, & Sidonijs appellatum, cum dicere vellent, Belum. Idem etiam repetit S. Doctor Heremita ad vltimum cap. Oseæ his verbis. *Ninus in tantam peruenit gloriam, vt Patrem suum Belum referret in Deum, qui hebraicè dicitur Bel: Hunc Sidonij, & Phęnices appellant Baal.* Et ante D. Hieron. idem docuerat S. Cyrillus Patriarcha Ægyptius sub initio primi, & in fine tertij ex libris, quos contra Apostatam Augustum scripserat, in quibus Belum dicit Arbelum Nini Patrem; cęteri tamen omnes Belum dixerunt; ità etiam Eusebius initio Chronic., cum hac etiam expressione quod fuerit Nini Pater.

Ex Gentilibus verò Scriptores omnes Barbari, qui de Nino egere, Patrem eius Belum appellarunt. Verum quidem est, quod tenebris nimiæ antiquitatis retusa eruditionis acie Ninurotum Beli Patrem minimè repererunt, sed in eo sistentes eidem honorem ædificatæ Babylonis, & Assirię Monarchiæ fundamenta concessere. Huius sententiæ fuit Abidenus rerum Chaldaicarum, & Assiriarum antiquissimus Scriptor, quem refert Eusebius 9. de Præp. Euang., eiusdemque fragmentum intulit, in quo post ea, quæ de vniuersali inundatione dixerat, subiungit. *Belum siccasse loca, & Babylonem mœnibus cinxisse*. Huic tam firmiter adhæsit Seruius vt sine vlla formidine asserat quod: *Belus fuit primus Rex Assiriorum*. Et quidem Doroteus Sidonius antiquus poeta, quem latinitati donatum refert Vossius, ità cecinit.

Antiqua Vrbs Babylon Tyrio qua condita Belo.

Plurimũ fauet huic sententiæ eũ inter Deos relatum fuisse: Mos enim Assiriòrum fuit, Vrbium fundatoribus diuinos concedere honores, eosque in Deos tutelares assumere, quæ consuetudo ad alias quoque Gentes transijt. Certum igitur est Belum vt Deum habitum ab Assirijs, cui Semiramis sumptuosum templum excitauit, vt habetur ex Dionysio poeta Græco, quem de illa cecinisse

Magnam domum extruxit Belo

asserit Vossius. Templum verò sub Beli cultu ad tempus vsque Claudiani extitisse putamus. Ipse enim lib. 1. de laudibus Stiliconis describens quantis ille honoribus Babylonię fuerit exceptus, cum ad Parthorum Regem Legatum pergeret, vt pacem inter eumdem Regem, & Theodosium Imperatorem initam statutis solemnijs stabiliret, inter cęteras ceremoniarum farragines in eo Beli templo tali solemnitate peractas, insuper addit Vates

Rex ipse micantem
Inclinat dextra pateram, secretaque Beli
Et vaga testatur voluentem Sidera Mithram.

Ab hoc Auctorum discrimine, quo alij Belo, alij Ninuroto Babylonis, & Assiriæ Monarchiæ fundatorem agnoscunt deducit Vossius Ninurotum, & Belum eamdem esse personam, ita tamen quod Ninurotus sit nomen proprium, & personale, Belus verò agnomen eidem inditum à Dominio, & ab actu regnandi in cęteros: Belum enim Dominum

interpretatur. Nos ne vltrò huic ſententiæ adhæreamus à id vnum retrahit, quod non inſpicimus quo nam modo quattuor tantum generationes complecti poſſint totum tempus elapſum à Noe poſt cataclyſmum, ad Ninum, maximè ſi cum Euſebio in Chronicis ſentiamus a diluuio ad Abrahamum quadraginta duo anni, & nouem ſæcula interceſſerint: & ſi cum eodem pariter velimus Sanctum Patriarcham ortum anno quadrageſimo tertio Monarchiæ Nini: At neutrum ex his verum eſt, & rectè Scaliger Euſebium carpſit in ſupputationibus hallucinatum: ex capite namque vndecimo Gen. ſi per Patriarcharum generationes numeremus annos, colligemus Abrahamum ortum fuiſſe poſt diluuium, ducentis, & nonaginta duobus annis.

Verum quomodolibet res ſe habeat, & dato etiam quod Ninurotus, & Belus ſint vnius tantum viri bina nomina, nihilominùs tenemus intentum, adhuc enim genealogia Nini eſt a Noe per Cham, & Cutzum. Nos tamen in id magis propendimus Noemum ſcilicet potiùs Atauum fuiſſe quam AbauuNini, vt in ſepulcrali inſcriptione apparet (dummodò ex hoc quod eſt Xenophontis Anniani non reijciatur) quam Semiramis in ſaxo coniugis Nini incidi voluit.

Mihi Pater Iupiter Belus,
Auus Saturnus Babylonius,
Proauus Chur Saturnus Ethyops,
Abauus Saturnus Ægyptius
Atauus Cęlus Phœnix Ogyges.

Cuius ſenſum eum eſſe arbitramur, vt diceret, Nini Patrem fuiſſe Belum, huius verò Ninurotum, cui genitor Cutzus, huic Cham, Cham tandem Patrem extitiſſe Noemum, qui & Cęlum, & Ogygis appellatus, vt ſupra dictum eſt. Cur iſti deſcendentes dicti fuerint Ioues, & Saturni, infrà explicabimus: hic enim tantum inſiſtimus Noemum dictum fuiſſe Ogygium.

Archilocum tertio loco reponimus in teſtem noſtræ huius aſſertionis, hic enim habet. *Ante Ninum fermè ducentis quinquaginta annis fuiſſe inundationem terrarum, & quemdam, cui teſtimonium perhibet Moſeus antiquiſſimus hiſtoricus, fuiſſe liberatum; á quo Ogyge nomine tradunt Chaldæi vno, & trigeſimo, atque centeſimo anno regnaſſe apud ſe Saturnum auum Nini, primumque Babyloniæ fundamenta ieciſſe.* Hic,

qui nomine Saturni hic recensetur, & centesimo trigesimo primo anno post diluuium regnare cępisse dicitur, Ninurotus fuit, totius Monarchiæ fundator.

Quartum huius rei testimonium est Fabius Pictor, quem in fragmentis aurei sæculi Annius scripsisse fatetur: *Aurea ætas cępit sub Ogyge ante Ninum annis circiter ducentis, & quinquaginta*. Numerus iste centum, & quinquaginta annorum recto tramite ad Noemi tempora mentem ducit, cum incolumis ab vndarum clade egrederetur de arca. Berosus enim asserit, Belum regnasse annis sexaginta duobus: Ninurotum tyrannidem exercuisse quinquaginta sex: centum vero & triginta annis insuper & vno tempus illud perdurasse, in quo homines erant labij vnius, eiusdemque sermonis, antequam per linguarum confusionem discriminarentur idiomata, quod in ædificatione Babyloniæ turris factum est; a quo etiam tempore Ninuroti Regnum exordium habuit.

Adductis hucusque auctoritatibus firmissimum adijciemus robur, ne, cum à multis apochriphæ censeantur, id, quod supra ipsas extruimus, nutet, & corruat; vltimo tandem loco reponendo Iulij Solini testimonium; Auctoris vtique, non Anniani, sed classici, certissimæque fidei, & auctoritatis. Hic ergò cap. 16. in suis historiarum collectaneis, in quo de insuljs maris Ægęi pertractat, Noemioum diluuium commemorat. *Meminisse hoc loco par est post primum diluuium Ogygij temporibus notatum, cum nouem, & ampliùs mensibus diem continua nox inumbrasset; Delon ante omnes terras radijs solis illuminatam*. Modò si testimonium hoc rectè perpendamus non vtique de alio intelligi potest, nisi de Noemico: illud enim primum, & vniuersale fuit, nouemque mensibus omnem faciem terræ cooperuit sub aquis. Ogygius ergò, cuius tempore cataclysmum euenit, fuit noster Noe; nemo enim alius tunc erat in vniuerso superstes, cui tali honor competere posset, vt Caput esset Orbis, cuius tempora redigerentur in notis, eique præclariores adscriberentur euentus, præter ipsum Noe.

Adhùc euidentiùs veritas hæc elucescet si cętera omnia, quæ in mundo fuere diluuia, & in historijs recensentur, enucleabimus. Hæc autem quinque numerantur, vt in fragmentis, siue Xenophontis, siue cuiusuis illa sunt, quæ

sub illius nomine produxit Annius. Hęc verò tantū volumus acceptari, quantum in rerum gestarum narrationibus ab alijs authenticis, & notæ fidei Authoribus minimè dissentiunt. Et certè parum referre arbitramur dubium esse Scriptorem, si firmæ, solidæque veritatis lucubrationes inueniantur. Quinque igitur fuisse maiora diluuia per modò subijciendam inductionem patebit, quę de vnoquoque illorum adeò peculiarem præbebit notitiam, vt satis abbundè sufficiat, vnde omni amandata confusione apertissimè ad inuicem secernantur.

Diluuium omnium primum Noemicum fuit. Hoc autem pauci ex priscis Græcorum Scriptoribus resciuerunt; & quibus innotuit nonnisi pluribus obscuritatum tenebris, confusionumque ambagibus immixtum. Ipsos enim, quæ vltra Ninum in Orbe gesta sunt latuerant; huius inditium sit, antiquiores ex Græcorum Scriptoribus, qui modò ab eruditioribus euoluuntur, vti Herodotus, & Thucidides vetustiora supra Ninum nec attigere, siue in Græcia, siue alibi gesta sint: Ninus verò ea ipsa tempestate in Assirios, qua primum in Græcia Aegialeus primus Sicyoniorum Rex, imperauit. Quia verò vt dicebamus, eorum quæ sub Orbis initio gesta sunt, simulque etiam de vniuersali terrarum inundatione suboscuram habuere notitiam; & vt moris est eorum, quæ ex Priscorum traditione deueniunt ad Posteros cuncta detruncata, nugis, fabellisque immixta susceperunt: quod quidem in Luciani narratione, quam supra excripsimus innotescit. Hinc euenit, vt quidem ab aliquibus, maximè verò a Poetis de vniuersali diluuio aliqua fuerint conscripta; verum indigesta omnia, & deformata, & à prima aquarum clade ad alia diluuia cęco pede procedentes saltitarint; sicque posteriora, quę alicuius tantommodò regionis peculiaria fuerunt cum primo totius Orbis confundentes suas diluuij descriptiones elaborauerint: Idque in causa fuit vt cum illa inuicem in eorum scriptis essent permixta, non nisi confusè pariter intelligerentur.

Barbari tamen Auctores, Assirij nempè, Ægyptij, & Phœnicij, vt Berosus, Hieronymus (non vtique Sanctus Ecclesię Doctor) Masseas, Nicolaus Damascenus, & alij, quo-

quos recenset Iosephus, & in lib. Antiq., & contra Apionem, maiori vtique distinctione, & claritate de Mundi cataclysmo disseruerunt; ex sacris Gentium Archyuis, in quibus summa diligentia gestorum memoriæ asseruabantur, integrę certitudinis notitia suscipientes. Nos verò huius rei certissimum, plenissimumque infallibilis veritatis monumentum habemus ex his, quę in Sacra Genesi per Moysen Spiritus Sancti ductu conscripta sunt.

Secundùm diluuium Niliacum fuit ita dictum, quod Nilus non adhùc argiribus vallatum, septisque fortissimis conclusum, vt per diuissimos Reges postea diutino artificum laborè, immensis publici æarij sumptibus factum est; tam immodicè intumuit, vt disruptis aluei repagulis ferè totum Ægyptum submerserit. Id autem contigit, si Berosi, & Eusebij chronicas sequamur, quingentesimo nonagesimo anno post Noemicum: quo tempore Ægyptijs imperabat Prometheus, Atlantis Regis Mauritaniæ frater. Assirjis verò dominabatur Armamitres Rex Sextus à Nino, & nonus a Nimuroto.

De hoc diluuio plura scribit Diodorus Siculus lib. p., narratque tali ab inundatione maxima Ægyptiorum Regnum deuastatum, summa pecudum, armentorum, hominumque clade; ac ideò Prometheum acerrimo exagitatum dolore in desperationem actum, manum sibi intentare voluisse. Verùm cum Hercules (non quidem Græcus tunc adhuc nasciturus, sed Ægyptius) sua vi, suoque ingenio euagantes fluminis fluctus primo in alueo iterum conclusisset, Prometheum ad saniorem mentem reuocauit. Hinc ait Diodorus factum est, vt Græcorum Aretalogi fabulam contexuerint, quod Hercules aquilam Promethei viscera depascentem interfecerit: Nilum enim suo velocissimo excursu aquilam adpellabant. Hoc diluuium, siue proprius hæc Nili exundantis irruptio por mensem durauit.

Tertium fuit Achaicum, seù Atticum, totam enim illam Gręciæ regionem sub aquis perijt, anno quadragesimo quarto post Niliacum, refertur a Diodoro Siculo lib. 6., in quo tria diluuia recenset. Egit etiam de eo D. Augustinus cap. 19. lib. 18. de ciuit. & eiusdem etiam historiographus Orosius lib. 7. cap. p., & ante ipsos Eusebius in Chronicis, illudque iuxta supputationem suam assignat anno ducentesi-

mo sexagesimo primo à natiuitate Abrahæ, sicque per ipsum id contigisset anno tercentesimo quarto ab Asiriorum Monarchia, cui tunc præerat Belocus septimus à Nino, quē omnium primum inter eos voluit Eusebius. Post Noemicum ergò quingentis, & nonaginta tribus annis.

Minime tamen rectè scripsit Eusebius, dum asserit Atticum hoc diluuium Ægyptum etiam inundasse, tali enim pacto Niliacum cum hoc tertio, Achaico scilicet, confundit, quo sola Græcia vastata est, ideoqne communiter Atticum, siue Achaicum appellatum iuxta Paulum Orosium, qui de hoc ita scribit. *Ante annos Vrbis conditæ M. X. L. in Achaica sæuum diluuium vastatione plurima ferè totius Prouinciæ fuit, quod quia Ogygij, qui tunc Eleusinę conditor, & Rex erat, temporibus effusum est, nomen loco, & tempori dedit.* Orosius à Græcis Scriptoribus, nempè Iulio Africano, & alijs hæc mutuatus est, à quibus etiam postea accepit Georgius Cedrenus, quem refert Iunior Scaliger, apertissimaque certitudine euincitur minimè AEgyptum, sed Atticam regionem inundasse, ex ipso nomine Regis, cuius sub imperio adnotatur illud contigisse, hoc est sub Ogygio. Hic autem etiam iuxta Eusebium Rex fuit in Græcia, non in AEgypto, eaque Achaiæ, siue Gręcię in parte, quam Atticam dicebant, in qua Athenarum Ciuitas assurgebat, solium erexerat, ipseque Eleusinam condidit. Alij verò prisci Scriptores, quos adnotauit proximè laudatus Scaliger, affirmarunt in Bęotiam regnasse, ac ideò Thebis, quæ illius Prouincię Metropolis, quædam portæ Ogygiæ dicebantur, fortè quia ab ipso constructæ. Verùm nemo vnquam asseruit in AEgyptum regnasse. Vt quid ergò suo sub regimine adnotare diluuium, quo AEgypti Regnum fuerit submersum, si ea in regione nullum habebat Dominium?

Discriminatur ergò Atticum à Niliaco diluuio, de quo paulò suprá disseruimus, Græciam illud inundauit, & nonnullas etiam AEgęi insulas submersit, vsque Rhodum, & Samotraciam sæuientes fluctus regiones depopularunt: vt in 6. refert Diodorus. Hoc pariter aliud est à Deucalioneo, vtpotè antiquius teste D. Aug. loco citato, asserente Ogygianum tribus mensibus latius deuastasse quàm illud Deucalionis. Quia verò Ogygianum appellatum, hinc suborta quædam cum Noemico confusio, vt infra ostendemus. Verùm

longè

longè diuersa fuisse, & tempus, in quo euenere apertissimè o[illegible]dit, & exertis verbis docuit D. Aug. tali stylo. *Temporibus Ogygij etiam diluuium magnum factum est; non illud maximũ, in quo nulli homines euaserunt, nisi qui in arca esse potuerunt; sed maius tamen quàm postea tempore Deucalionis fuit.*

Igitur Ogygiano Deucalioneũ succedit, quartum inter diluuia, de quo tam grandia, simulque inania plenis buccis increpuere aretalogi vates: hoc etiam thessalicum dictum, quod præcipuè thessaliam submerserit. Intumuit verò hæc aquarum exundatio ducentis, & viginti nouem annis post Ogygianum; a Noemico vero septingentis, & tribus. Diluuium hoc trimense fuit, contigit autem dum Athenis regnaret Cecropes, & Cranaus, vt voluit Varro, quem refert D. Aug., & correxerunt Eusebius, & D. Hieron. magis verò se elonganit Orosius, dum id ponit sub Amphictyone inter reges Athenienses tertio, & emendatur a Iulio Cæsare Scaligero. Si autem hæc Atheniensium Regum series legitima est, vt scilicet Cecropes regnauerit primus, Cranaus post ipsum, tertio loco Amphictyon, cuius successor fuerit Erichthonius: quæ nomina cuncta ab Eusebio recensentur in sua Chronica vniuersali, in idque vacat a censura seuerissimi correctoris sui Scaligeri, dum non reprobatur: Si ergo (vt dicebamus) hæc regum Atheniensium series veritati consona est, ignoramus profectò quo nam fundamento Vossius cap. 3. Chronologicæ suæ dissertationis, Deucalionem secundum Atheniensium Regem asserat: Deucalion namque quidem Amphictyonis tertij regis pater extitit, vt docet Scaliger, dum D. Hieronymi versionem Chronicarum Eusebij mundat à mendis ad notam an. DXX. Pro cuius intelligentia adnotandum, quod Atheniensium Reges tunc non dominabantur ex successione, sed ex arbitraria Populorum electione, quapropter Cranaus Patrem non habuit Cecropem, hic enim Ægyptius fuit, ob idque Diphyes, idest Biformis dictus, quod vtramque linguam Ægyptiam nempè, & Græcam sciret. Primus veró Græcię indigena in Attica, & Atticis Progenitoribus ortus. Paritèr nec Amphictyon à Cranao genitus, sed a Deucalione: nec Erichtonius ab Amphictyone, sed a Vulcano, & Minerua genitus, idque fortè de pluribus alijs, non vtique tamen de omnibus, nam & naturalis

suc-

successio in Regno illo aliquando irrepsit: Pandion enim Erichthonio genitori successit.

Tale verò diluuium Deucalioneum dictum ab ipso rege Deucalione, tunc temporis Gentibus illis, quæ circa Parnasum incolebant, imperante. Cum namque montis in cacumine se recepisset, pluribus opem tulit; quotquot enim illùc socios habuit aquarum pericula euasere. Hoc illud est diluuium Græcis omnibus celeberrimum, penes ipsos omniũ primum: Adeò iugitèr res suas fecerunt ingentes: tantisque fabellarum in somnijs conuestitum tradiderunt, vt dicerent, gentes omnes fuisse deletas, vno tantum Deucalione cum vxore Pyrrha superstite: ab hisque iterùm hominum sobolem originem habuisse; eoque tempore aureum sæculum, ætatemque Deorum statuerunt omnia denique vniuersalis cataclysmi peculiaria Deucalioneo adaptantes, veritatem sub fabulæ amictu, præcipuè ipsorum Vates, personatam deformarunt. Doleo quod & nostrates, his inter quos eminet Virgilius, his nugis subscripserint. Hic namque Egloga sexta dum Silenum introducit rerum productionem modulantem, post diluuium aureum regni Saturni sæculum ponit, cæterosque euentus Poetarum fabulis immixtos, ait enim.

Hinc lapides Pyrrhæ iactos, Saturnia regna,
Caucaseasque refert volucres, furtumque Promethei.

Iam supra satis ostendimus, quomodo Ouidius hoc diluuium vt vniuersale descripserit, voluit namque vniuersam terram absorptam fuisse. D. tamen August. lib. 18. cap. 11. de Ciu. Dei ait. *Hoc diluuium nequaquàm ad Ægyptum, atque ad eius vicinia peruenit*. Discriminatur tamen Sulmonensis à Mantuano Vate, quod ille ante, iste post diluuium aurea sæcula ponit. Id vero quia Ouidius vtraque tempora ante, & post diluuium inuicem confundit. Vel fortè aureę sub nomine ætatis fælicissimum illud tempus Sulmonensis adumbrauit, quo in terrestri Paradiso Prothoparentes á culparum labe immunes, inter tot delitiarum cupedias, vitam verè auream traducebant. At ab his calamum retrahamus, exulant enim à nobis fęlicia cuncta, & inter irrequietos miseriarum fluctus perpetua iactatione fatigamur.

Quintum diluuium Pharonicum fuit, sic dictum, quod insulam Pharos præcipuè tumularit sub aquis, quæ Cano-
pico

pico Nili ostio obiecta est; propè ipsam magnus Alexander celeberrimam totius AEgypti Vrbem, quam de sui nomine Alexandriam voluit appellari, à fundamentis magnificentissimè extruxit Hęc insula à Pharaonibus antiquissimis AEgypti Regibus nomen traxit; fortè enim aliquis ex illis eam sibi fecerat domicilium. Tunc AEgyptiorum Monarchiæ præsidebat Protheus, qui sedem suam posuerat in Phario, iuxta Euripidem, qui Helenam ita alloquentem inducit in prologo

Proteus autem quando viuebat erat dominus huius terræ
Colens insulam Pharium, Rex verò AEgypti.

Proteus ille fuit, qui, teste Herodoto lib. 2. à Paride ventorum vi ad AEgypti littora appulso, sublatam Helenam penes se sequestrem tenuit, & Marito integrè seruatam post Troiæ casum illùc profecto tradidit. Quod vel ignorauit, vel scire noluit Homerus. Verùm cum dissimulare non posset, vel negare ausus non fuerit, quod per omnium ora vulgatissimè volitabat, Helenam nempè apud AEgyptios detentam diù commoratam, finxit illùc a viro Menelao ductam post Troiæ excidium, cum tunc Pharij regnaret Tuoris, quem Polybum vocat Homerus 4. Odiss. sicque Insulam Phariam describit.

Insula, quæ iacet vndoso circumdata ponto,
AEgyptum contra (hanc Pharon dixere maiores)
Hinc longè disiungitur, amploque æquore tantum,
Quantùm per totum decurrit concausa nauis
Inspirata diem retrò spirantibus auris.

Verùm tantam non depręhendunt huius insulæ à continente distantiam, qui nostra tempestate Alexandrię ad limina AEgypti per pontem coniunctam inspiciunt. Equidem istius modi pons longè magis esset protensus famosis illis, quos, vel Darius ad Hellespontum, vel ad Thraciæ Bosphorum Xerses construxere, si tantum interpositi maris excurreret quantum nauis expansis velis secundo vento exsufflante per diem transuolaret. Huius ponti longitudinem nobis reliquit in 3. comment. Iulius Cęsar nongentorum passuum, ac ideò miliario breuiorem. Hanc Insulam, & Homerus inspexerat, ni fortè, vt fertur, & tunc cecitate laborasset. Ipse namque, vt refert Diodorus lib. 2., vnus ex illis fuit, quę ad scientias comparandas, AEgyptum peragrarunt.

ragrarunt. O' quàm immoderatas sibi assumebant licentias prisci illi Græci iactatores. Et quàm verè, simul, & quàm rectè de eo iudicium protulit Venusinus in arte poetica, veritati scilicet parùm semper addictum.

Atque ità mentitur: sic veris falsa remiscet.

Maximè autem in historicis, communi Nationis genio ad iactationes plurimum impenso, vndè Iuuenalis ait:

Quicquid audet in historia Græcia mendax.

Et ne fortè nos quoque mendacis notam incurramus, dum AEgyptiorum Regum nomina recensemus, nostrum duximus adnotare, eos Reges, sicut & alios quoque, nedum bina, sed & terna, & ampliús nomina habuisse, vltra illud, quod omnibus commune fuit, Pharaonis. Prisci enim personis, at maximè Principibus nomina imponebant, vel ex peculiari aliqua qualitate, vel ex actis præclarè gestis, & iuxta horum incrementa nomina quoque augebant. Sicut igitur Tuoris, Protei filius, penes quem, iuxta Homerum, Menelaus diruto Ilio, & incenso vxorem Helenam reperit, vocabatur Polypus, vt ex eodem Homero paulo supra habuimus, & ab Euripede in Helenam appellatur Theoclimenus, sicque trinomium habemus; ità pariter eiusdem genitor cognominatus est Proteus, cum tamen alio nomine sibi proprio, & personali vocaretur Ammenemus: hunc in Eusebij chronicis prædecessorē habemus, & Patrem Tuoris.

A quo tamen ei Protei impositum fuerit nomen, non alia suppetit ratio, nisi quam adducit Xenophon Annianus, nempè ex eo, quod Sacerdos fuerit, pius, ac impensè intentus ad Protei numinis cultum in populis promouendum; & plura eidem numini templa excitauit, arasque dicauit, nedum in AEgypto, verum & alibi. Rex fuit summæ æquitatis, ac sapientiæ, in eoque plurimùm resplenduit vaticinij donum. Hinc Lucanus lib. vlt. dum eum recenset, Vatis honorifico titulo eumdem appellat, aitque eo regnante insulam Pharos adhùc ab AEgypto disterminatam, eamque illius pelagi claustrum appellat, eo quod nauibus in ea portum aperiret, simulque narrat quomodo etiam eandem occupauerit Cæsar, hoc carmine

Tunc claustrum pelagi cepit Pharon, insula quondam
In medio stetit illa mari, sed tempore Vatis
Proteos; at nunc est Pelleis proxima muris.

Ex

Ex his, quæ dicta sunt facile est tempus Pharonici huius diluuij tempus assignare: Si enim verùm est illud euenisse regnante Proteo in Ægypto, & Helenam, quam Parides rapuerat, ad Proteum venisse; quod ex Euripide in prologo suæ tragediæ elicimus, in quo Helenam de se dicentem facit

Mercurius accipiens me, in voluminibus aeris,
Et tegens nube (non enim neglexit me
Iupiter) collocauit in hanc domum Protei.

verum quoque erit tale diluuium tempore belli Troiani euenisse, & consequenter octingentis, & amplius annis post Noemicum.

Minimè tamen vt veritati consonum accipimus, quod de Pharonico hoc diluuio scribit Annius noster, quod scilicet Horatius ode 2. de ipso mentionem fecerit, illud comparando cum quadam Tiberis exundatione Romæ, dum ipse illic degeret, descriptionemque misit Augusto tali carmine.

Terruit gentes graue ne rediret
Saeculum Pyrrhæ noua monstra questæ
Omne cum Proteus pecus egit altos
visere montes.

Cursim certè hæc carmina legerat Annius, nil de ipsis considerans, cumque vidisset commemorata diluuia, recensitas inundationes, nomenque Protei adductum, statim mens eius Pharonico in diluuio aciem fixit, ac sine debita textus illius pensitatione, quod sibi primum imaginationi obiecerat, id etiam Vatem locutum arbitratus est: & ità dum Xenophontis ęquiuoca explanaret, alio ab ęquiuoco ipsum hallucinatum depræhendimus; tenebatur enim aduertere, Poetam ibi minimè loqui de Proteo, quem Regem, Sacerdotem, & Ægyptium Vatem historiæ tradiderunt, sed de Proteo, quem Marinum Numen, Phocarum ducem ' squamosique armenti pastorem fabulæ perhibent,

(Neptuni siquidem hic immania pascit
Armenta, & turpeis vasto sub gurgite phocas.)

Non igitur de Pharonico, sed Thessalico cataclysmo Vatem cecinisse inde constat, quod Vxorem Deucalionis Pyrrham cuncta lamentis repleuisse dicit, cum per montium cacumina pisces viderit natantes, subque Protei ductu Oceani monstra vlmos, notas columbarum

 sedes

sedes, deuastare, vt sequenti strophe patet

Piscium & summa genus hæsit vlmo,
Nota quæ sedes fuerat columbis,
Et superiecto pauidæ natarunt
æquore damæ.

Verùm nec solo Antiquario nostro inter eruditos in tot temporum æquiuocis, ac diluuiorum confusionibus aliquid minùs rectè perpensi indulgendum, cum & Viues accuratissimus ille Scriptor, cęterorumque omnium vllo sine discrimine in hallucinationibus censor de turpiori lapsu veniret arguendus. Capite enim 8. lib. 18. de Ciuit. Dei adnotauit circa tempus Ogygianæ inundationis Eusebium à Solino dissentire: Primus enim eam contigisse ait annis centum, ac septuaginta ante Deucalioneum diluuium: Secundus verò centum tantùm, quibus si addantur octuaginta, quos Deucalion agebat quando excreuerunt aquæ, summa coalescit sexcentum, & octuoginta annorum, quos supra adnotauimus, simul & diximus tot annorum intercapedine à Noemico Deucalioneum discriminari. Illi ergò Authores non de eodem, sed diuersis diluuijs, alioque, & alio Ogygio loquuntur. Eusebius nemque loquitur de tertio, nempé de Attico, quod accidit sub Ogygio Bæotiæ Rege Eleusinæ fundatore; vel secundum Pausaniam ex Scaligero, Eleusini primi illius Atticę Vrbis conditoris Patre: Iulius verò Solinus loquitur de Noemico, cęterorum omnium primo, & vniuersale, de quo nihil ambigendum; ex verbis enim ipsius textus clarissimè apparet, quæ nam fuerit Authoris sententia; ait: *Inter Ogygium sanè & Deucalionem medium æuum D.C. annis datur*. At non tantum temporis fluxum ab Attico Ogygio ad Deucalionem, ducenti namque, & triginta anni tantum intercessere, vt patet ex Chronica Eusebij. Verùm quidem nec tali pacto adæquata resultat annorum supputatio à Noemico ad Deucalionis cataclysmum, nam si fiunt supputationes iuxta Eusebij Chronicas septingenti tantum, & sexaginta anni reperintur.

His respondemus Chronologicas Eusebij canones, & si plurimæ sint æstimationis, non tamen vndequaque à neuis expertes reperiri; perplures enim, si ad trutinam reuocentur depræhenduntur in illis anocrismi, & procronismi, vt ex Scaligeri animaduersionibus euidentissimè constat, in

quibus

quibus vltra millena eiusdem reponuntur errata; non ergò adeò illibatæ sunt authoritatis huiusmodi canones, quin infirmari, ac concuti possint quæcumque ex ipsis conficiantur argumenta.

Insuper addimus, Solinum in temporum supputatione inter prædicta duo diluuia non adeò se à veritate elongasse, si tempus ab eo assignatum accipiamus à Noemico ad Deucalioneum; ac si ab Attico ad istud numeremus. In hoc enim reperitur excessus tercentum, & sexaginta annorum: in primo verò centum tantum, & sexaginta. Præterquàm aduertendum, Solinum minimè affirmare totum illud sex sæculorum spatium intercessisse inter vtrumque diluuium, sed inter Noemum, quę Ogygij nomine indigitat, & Deucalionem: ex certissima autem historia habemus Noemum post diluuium tercentis adhuc, & quinquaginta annis fuisse superstitem; Deucalionem verò ante suum octuaginta vixisse: fortè ergò Solinus horum temporum supputationem ab aliquo eorumdem vitæ gradu incępit, minimè verò adamussim à primo anno, vel finis Noemici, vel initij Deucalionei. Firmissimum enim est Gentilium Scriptores Noemici cataclysmi præfixum tempus ignorasse, parui namque vltra Ninum, nemo antiquius Belo (de Græcis loquimur, & Latinis) priorum temporum gesta nouere.

At quicquid sit de tempore; ex ipsa ipsius Authoris diluuij descriptione apertissimè depræhenditur de Noemico locutum: tum quia vlla absque additione, omnium primum appellat: tum ex duratione, quam apponit, nouem mensium. En verba textus. *Meminisse hoc loco par est, post primum diluuium Ogygij temporibus notatum, cum nouem, & amplius mensibus diem continua nox inumbrasset, Delon ante omnes terras radijs Solis illuminatam, sortitamque ex eo nomen, quod prima reddita foret visibus.* Nouem igitur, & amplius mensibus tenebroso, ac nubilo cęlo, primum illud diluuium perdurasse, habemus ex Solino: & Noemicum pariter vltra nonum mensem stetit, si temporis supputatio fiat à die ingressus ad diem vsque egressionis ab arca: Ex his enim, quę in Sacra Genesi traduntur cap. 8. vltra annum septemdecim dies post nostrum Malmendam computauit Vossius. Si verò numeremus à die, quo primum cęperunt aquæ intumescere, ad diem vsque cessationis, quando silicet: *Intellexit*

Noe, quod cessassent aquæ super terram. Supra decem menses tres supersunt dies. En igitur quàm benè id cohæreat cũ his, quæ tradidit Solinus: Diluuium nempè nouem mensibus, & ampliús perduratum, illud verò ampliùs sunt triginta tres recensiti dies. Equidem vt Scripturæ adamussim conquadraret opus esset dixisse, decem, ampliùs mensibus; at id exiguo lumini donandum, quod ad introspiciendum in his, homini gentili fuerat collatum. Certum igitur, & Solinum de Noemico intellexisse diluuio, & sub nomine Ogygij Noemum appellatum. Sicque veritatem, realitatemque huius nominis satis apertis rationibus, & authoritatibus fultam stabiliuimus. Modò vlteriùs procedendum, quàm congruè scilicet hoc nomen Noemo inditum, & vndè illi obuenerit.

Ogygij nomen Noemi agnomen à Patria. Ciuitas Ogyges ante diluuium ædificata, non tàm situ, quàm incolarum moribus Enossæ aduersa: Iustorum, & Patriarcharum Patria. Instaurata surrexit in Hebron: Cur vocata Charia - Herbe: hoc est Ciuitas quattuor. Qualis eius situs, cur ab Abrahamo in domicilium electa. §. 52.

PAtronymicum dicimus hoc nomen, ei à Patria inditum, in qua & cunabula, & domicilium ante diluuium habuerat, sic sentit noster Annius in com. ad secundum Berosi, quod ex his, quæ habet Iosephus lib. p. Antiq. hausisse fatetur. Regionem enim quamdam commemorat Ogygianam, tacitèque insinuat olim in ea ciuitatem, tali nomine insignitam, floruisse. Paulò inferius verba textus adducemus. Primùm namque præmittendum duximus locum, tempus, situm, aliasque huiusmodi antiquissimæ Vrbis qualitates, quæ adeò ad nihilum redacta est, vt nedum à primæua sui dignitate funditùs corruerit, vndè nec vllum extet vestigium, verùm etiam & suorum decorum monumenta ab hominum memoria integrè sint deleta.

Vrbs

Vrbs ergo Ogyges (vt ex Iudæorum historico possumus expiscari: ab vllo enim alio Scriptore recensitam reperimus) ante diluuium extabat, & vniuersali aquarum clade cum cæteris funditus interijt. Præclara equidem, ac nobilissima fuit, vt ex nomine ipso elicimus, Ogyges enim, iuxta Annij interpretationem, siue, vt supra dictum est, eiusdem Berosi, sonat illustre, atque præclarum. Metropolis fuit filiorum ex propagine Seth, qui inter cæteras filias Adæ natu minor, morum sanctitate cunctos antecessit. Isti iustitia, pietate, ac veræ religionis cultu insignes, illustri encomio filij Dei fuerunt appellati; summaque ab eo semper dilectione prosequuti. Scelestus namque ille Cain execrabili sua stirpe turpissima enormitate à Deo defecerat. Fuit igitur Ogyges Iustorum Patria, mysticaque appellatione Dei ciuitas poterat nuncupari. Rationabili etiam coniectura dici potest tempore Adami constructam in ipsius mundi exordio, cum impius Cain sibi, scelestisque filijs Enossam ædificasset, vt habetur Gen. cap. 4. Plurimùm enim rectæ rationi consonat, Sethum vna cum filijs, totaque familia, vt moribus, & religione impio à fratre, ac asseclis totum cęlo discriminatum, ita paritèr societate, & habitatione se, suosque longè seiunctum. Quamobrem cum & isti temporum excursu à primæuo probitatis candore defecissent, inuicemque promiscua familiaritate commercij, & connubiorum necessitudinem commiscuissent, iratum sensere Numen, cuius sub vindice dextera, quam sibi, & alijs grauem demeruerant, totus interijt orbis. Hęc igitur fratrum diuisio, viam sternit menti, vt rationabiliter sibi suadeat, Setum quoque ciuitatem extruxisse, ab ea, quam sibi parauerat Cain, longè dissitam, in qua ille cum Patre Adamo quietissimè degens, filios ad iustitiam, & pietatem instrueret, vigilique custodia insisteret, ne a corruptæ sobolis tabe inficerentur; hanc verò Adami, Sethi, suorumque omnium, quibus paternarum virtutum vestigijs insistere, & à vera religione minimè aberrare placuerat, Ogygea fuisse arbitramur. In ea namque Adamum tumulatum infrà ostendemus, indeq; satis probabile fit in eadem diù muratum diem tandem extremum egisse, & post ipsum vsque ad Noe cęteros Sanctos omnes Patriarchas, quos in sacris litteris stipites fuisse perhibentur fęlicissimis illius stirpis, ex qua Messias mortales exuuias erat assum-

sum-

sumpturus quemadmodum enim Gratia Diuina eos se legerat, collegeratque in vnum ad temporalem Redemptoris genealogiam efformandam: & natura ipsa, vt recta linea vnus gigneretur ab alio, ita pariter sentiendum perciuilem hominum societatem in vnius Patrię consortium congregarentur. Receptum à Patribus Filij, & ab Auis Nepotes domicilium non immutarunt. Fere namque naturale est, vt eam incolant patriam hæredes, cuius indigenas agnouere parentes. Et fortè Sethi soboles, quam inclytam, & egregiam scripturæ tradunt, ea in ciuitate, hęreditaria maiorum successione Principatum habebat. Quod quidem immenso illo operi Saluificæ Arcæ construendę plurimùm congruit: cum namque plures reniterent, & ad irrisionem vergerent, & tamen maximę impensę, spissa artificum cohors, plurimumque potentię exigerentur, quæ vtique omnia priuati ciuis conditiones longè superabant; quo nam pacto, si Principis aucthoritate, vique coactiua destitutum cogitemus Noemum, tantum, taleque opus vnquam fuisset absolutum? Eadem in regione vtraque ciuitas, nempe in Phœnicia; hanc tamen dimetimur amplissima illa sua antiqua extensione, qua à Cilicia, & Assiria, vtrisque contermina ad fines vsque Ægypti protendebatur; ac ideò in ipsa tunc numerabatur Terra Promissionis, & Chanaan. Eo igitur in continenti æmulæ vrbes Cain, & Seth extructæ, illa Enossa, hæc Ogyges appellata. Cum autem moribus, & religione longissimè discriminarentur, ipsa quoque situs positione oppositè fuere distinctę. Enossa enim ad Orientem assurgebat, quod & Sacer textus Gen. tradit, ad Libani radices, vt habet Berosus lib.p. in agro Damasceno, vt in commentarijs ad Berosum asserit Annius id sibi traditum à Mercatoribus, alijsque peregrinis, qui regiones illas accuratissima vestigatione inuiserant; ab his accepit rudera adhuc extare, & inter ruinas amplissimæ ciuitatis quædam veluti vestigia, quæ ab indigenis appellabatur ciuitas Cain. Assurgebat ergò Enossa Vrbs in ipso Phœniciæ limine, quo spectat Assiriam.

Ex opposito Ogyges ad terminos erat Ægypti, eo ipso in loco, vęl circiter, quo haud longo tempore post diluuium extructae sit Hebron, vt resurgeret Ogyges. Et licet nouæ Vrbi antiquum nomen minimè inditum fuerit, nihilominus ad tempora vsque Iudęorum Historici regio ipsa illud reti-

nuerat,

nuerat, appellabatur namque regio Ogygiana, in qua Sanctus Patriarcha Abraham sibi condidit domicilium, sepulcrumque delegit. Nec contemptibile arbitramur hoc argumentum, vt deducamus eo loci antiquam extitisse Iustorum, ac Patriarcharum patriam ex prosapia Noe, quæ & Christi, cui connectitur illa Abrahami. Hic namque in priscorum suæ gentis actis optimè instructus ex Chaldæa Syriā ingressus, in Phęniciam descēderat Hebręorum gentem conditurus: & licèt aliquandiù in Ciuitate Damascenorū moras traxerit, vt ex Nicolao Damasceno tradit Iosephus p. antiq. c. 15. in hæc verba. *Abrahami nomen etiam nunc est apud Damascenos celebre, & vicus ostenditur, quam vocant Abrami domicilium.* Nihilominus cum Abrahamum nequaquam lateret, iustos regionis illius minimè fuisse incolas, sed quam à Cain propagatam stirpem omni abominationis scelere cōspurcatam inhabitasse; eam tota execratione auersatus, ad Ogygianam regionem accessit, in qua vt ex sacro Gen. textu habemus: *Habitauit iuxta conuallem Mambræ, quæ est Hebron, ædificauitque ibi altare Domino.* Et hic locus verè est Ogygianus ager, vt infra aperiemus. Ibique firmum sibi delegit habitaculum, in quo diù vixit, obijt, & sepultus est: quo etiam in loco Adam, Seth, Enoch alijque ex primordijs Orbis Sancti Patriarchę pariter vixerant, decesserant, & tandem elegerunt vt ibidem mortales eorum exuuiæ quiescerent.

Cum tantis igitur Ciuitas hæc Hebron sit cumulata donis, decorata tryumphis, & gloria, æquum vtique erit, vt & pro viribus hanc ipsam celebremus, & extollamus; decoraq; sua, longa iam carie ferè exesa, & obtrita, debitis laudibus recensendo, in hominum mentes iterum reuiuiscat, & floreat. Ea verò in parte assurgebat inter Austrum, & Occidentem, duobus supra viginti milliaribus distans à Sancta Ciuitate Syon, qua in Terrę promissę partitione Tribui Iudę partes obuenere. Plurimùm tantæ Vrbis decus adauget vetustissima eius antiquitas, inter priores namque recensetur, quas post diluuium edirutis ędificiorum ruderibus excitauerint Filij Noe, quòd hęc Genitoris Patria extitisset, cuius in gremio primos ediderat vagitus, in ea ipsi adoleuissent, ac tandem in ea compacta illa nauis, pereuntis orbis asylum, qua incolumes abundis euaserant. Verùm vt de vetustissima

illius antiquitate certiores reddamur, aduertendum in sacris libris Vrbem hanc Cariath-Arbe appellatam; à primis eiusdem fundatoribus indito nomine. Sic cap.15. 14. Iosue, & cap.p.10.Iudic.recensens enim Sacer Author quonam pacto à Iudæis fuerit expugnata, inquit: *Pergensque Iudas contra Chananęum, qui habitabat in Hebron, cuius nomen antiquitùs fuit Cariath-Arbe*. Nomen compositum ex binis antiqui Hebræorum idiomatis nempè *Cariath*, quę vrbem sonat, & Arbe, idest quatuor, quasi dicerent, Ciuitas quatuor, à Gręcis diceretur Tetrapoleos, à Latinis Quadriurbs.

Circa huius nominis originem, simulque cur Ciuitas quatuor diceretur, plurimùm insudarunt sacrę paginę expositores, pluresque cum Lyrano consenserunt sic dictam, quod in ea celebratissimi quatuor Patriarchæ fuerint tumulati, Adã scilicet, Abraham, Isaac, & Iacob. Nos sepulcra non detrectamus, sic enim docet scriptura; indè tamen elicitum nomen non assentimur, nam longe ante quam sepulcro inferrentur tres vltimi Patriarchę, immò & antequam Abraham illuc accesserit, antiquissimo nomine dicebatur Cariath-Arbe, recentiori verò Hebron. Eadem pariter ratione elidimus, quod alij astruunt, à quatuor Gigantibus sic appellatum, sub quorum tyrannide ingemuerat donec per Iudæum Calebum subacta est: Illorum nomina fuere, Enachius, Sesarius, Haimaccus, Ptolomaius: à septingentis namque annis ante Gigantes istos sub eodem nomine floruerat.

His ergo sententijs reiectis vt potè nutanti fundamento innixis, si opinari licet, nos seù à quadrangulari sua forma, à conditoribus accepta, sic dictam arbitramur. Antiquitùs namque vt plurimùm Vrbes, maximè Metropolitanę, quadratę ponebantur: quapropter Romulus, qui tanto studio, habitoque peritioribus cum Hetrurijs maturo consilio, Vrbem suam condidit, quadrangularem assurgere fecit; ait Solinus cap. 2. *Dicta fuit primum Roma quadrata, quòd ad equilibrium foret posita*. Hanc autem cęteris omnibus perfectiorem esse formam indè colligitur, quod superna Beatorum Hyerusalem sic extructam inspexit apud Patmos exul Ioannes, penultimo namque capite ait: *Ciuitas in quadro posita est, & longitudo eius tanta est quanta est eius latitudo*. ad eius

au-

autem exemplum, vt potè terrestrium omnium perfectissima vrbium idęa. & Archetypum Palæstiniam Hyerusalem constructam censemus. Sic pariter quòd metropolim suam quadratam extruxissent Phœnices rigantes, Cariath-Arbe, idest Ciuitas quadrata, appellata est.

Nec equidem contemnenda ratio Antiquarij nostri in fine commentarij ad Xenophontis ęquiuoca, sic dictam, quia cum Metropolis, ac regalis esset, à qua emissæ coloniæ ad cæteras illius regionis vrbes populandas, Tetrapolis ideò fuit, ex quatuor gentibus, quasi ex partibus integrantibus coalesceret. Huiusmodi autem fuisse, & aliæ vetustissimæ Vrbes, cæterarum genitrices probat Annius authoritate Xenophontis; indè inductione, nam sic se habuere Babyloni, Niniues, Hyerusalem, Samothracia, Roma, eius Vetulonia, Siracusæ. Huius apertissimum habemus Ausonij testimonium, suo namque in Idilio præcipuarum Vrbium, Siracusanam Vrbem quadruplicem vocat his versibus.

Quis Catinam sileat? quis quadruplices Siracusas
Hanc ambustorum fratrum pietate celebrem.

Itá pariter Hebron cum regia metropolis Palestinorum Gigantum extitisset erat tetrapolis, & quadriurbs.

Aliquando etiam in sacris litteris prætermissa voce *Cariath* vocatur tantùm *Arbea* sit exemplum Gen. cap. 21. Vbi de Sara habetur, quod: *Mortua est in ciuitate Arbea, quæ est Hebron*. Cuius agri tanta fertilitas, vt vnus vuæ botrus per exploratores inhumeris delatus binos ex robuctioribus Hebræorum prodigiosa sua magnitudine fatigauerit. *Qui eum portauerunt in vecte*. Num. 3. legimus. His assentiri detrectat Vossius, & si exertis verbis id apud Philonem legerit lib. p. de vita Moysis: *& insuper additum, latores ambos adeò onerasse, vt prę nimio pondere lassati, plerumque mutatis vicibus incessisse, ne succumberent*: sed hyperbolem, immò fabellam esse contendit, non minus ac sit illud à Stephano Bizantino enarratum in sua descriptione minoris Phrygiæ, siuè Troadis, in qua olim superbum assurgebat Ilium, botrũ nempè vuæ illius regionis e vitibus excerptum prægraui suo pondere currũ ipsũ in quo trahebatur, fregisse tãquã si in puerorum lusum tenuioribus ex ramentis confe-

ctus, vel papyraceus fuisset, & in hoc nos quoque Vossio subscripsissemus, ab eo verò abhorruimus, cum pari derisione botrum Palestinum, ac Bizantinum explodit, & vtrumq; falsitatis nota insimulat. Cum tamen postea vt veritati apprimè consonum, & citra hyperbolem suscipiat effatum illud Plinij, interioris Africæ botros adeò intumescere, vt pueri infantis magnitudinem excedant. Verba illius exscripsimus lib. 14. cap. p. *Magnitudinem infantium puerorum in interiori Africæ parte exsuperant vites.* Siccinè viro Christiano certioris erit fidei Plinius Gentilis, ac Philo Hebræus, sed quod magis vrget, ac fidelissimus Moyses sacræ illius historiæ Author? & si racemus ille terræ Chanaan tantæ non fuisset magnitudinis, & ponderis, ac ille agri Africani, nihilominùs sua ipsius grauitate, cum per abrupta loca, pluriumque dierum itinere fuisset deferendus, binos vectores exigebat, vt sic pendulus deferretur ex pertica; nec solum, vt arbitratus est Vossius. *Vt de vecte pendens illæsa monstraretur Israelitis.* At ne longiùs recedamus ab Hebron.

De cuius antiquitate Sacer ipse textus Numerorum cap. 13., in quo & de opima agri illius vbertate recensita habentur, narrat: *Hebron septem annis ante Tanim Vrbem Ægypti condita est.* Tanim verò illius oræ vrbem primam volunt à Titanis gigantibus conditam, quos gentilium Vates terræ filios dixere, & ab eis vrbs illa Titea, vel Titia appellata est, sicut & terra, vt Apollonius sua in argonautica cecinit

Matrem Dindymenen multùm venerandam inuocantes
Habitatricem Phrygiæ, Titiamque simul, & Cyllenum.

Mos enim idololatris illis erat, cum Matri Cybeli Sacra facerent, in sacrificiorum partem Terram quoque inuocare, atque Mercurium. Vrbs autem illa de suorum Conditorum nomine Titania dicta est, licet Scriptura Sacra prima Syllaba auulsa, Tanim, & non Titanim dicat. Hæc est Vrbs illa, cuius in conspectu Hebræorum Dux, & Legislator tam præclara patratus est miracula contra Pharaonem. Id nobis testatus est Dauid in psal. *Posuit in Ægypto signa sua, & prodigia sua in campos Taneos.*

Si ergò Hebron Titania vrbē septennio antiquior rectè deducit noster Annius in Xenophontis equiuoca, contemporaneam saltem, ni fortè vetustiorem fuisse Babylone, ac ideò non abs re censendum fore arbitramur, non longè post dilu-

nium á Paleſtinis gigantibus ædificatam, de quorum ſtirpe adhuc aliqui ſupererant cum Ioſuè, & Calebus eam ſubiugarunt, tribus Inachi filijs, in quibus tota gigantum ſoboles deleta eſt, interemptis.

At fortè nimio tędio victus Lector dicet, vt quid tanta verborum congerie ſermonem adeò in longum traducere circa huius vrbis nomina, vetuſtatem, conditores? Vnica ratio fuit, vt pro viribus rediuiuam Ogygen non ſicco encomio proſequeremur, quòd Patria fuerit Noemi, eumque ſuo nomine inſigniuerit; quod Iuſtorum Metropolis, Priſcorumque Patriarcharum cęmeterium: Empto enim per Abrahamum prope ipſam agro ab Hemore Hethęo, ſpeluncam, in qua binæ erant caueæ, in ſuum, totiuſque ſtirpis tumulum deſtinauit: ac ideò in ea ſepulti Iſaac, Iacob, Ioſeph, & longè ante Prothoparentis oſſa condita fuere, iuxta D. Hieron. ſententiam in comment. ad 27. cap. Matth., & ad cap. 5. epiſt. ad Epheſ., inhæretque his, quæ habentur ex Ioue cap. 14., vbi poſtquam ait: *Hebron ante vocabatur Cariath-Arbe*; addit: *Adam maximus ibi inter Enacim ſitus eſt*. Idque de ſepultura eiuſdem ille interpręTatur, *quem Doctorem maximum in exponendis Sacris Scripturis Eccleſiæ ſuæ Deus prouidere dignatus eſt*.

Ab eadem Vrbe per milliarij tantùm dimidium diſtans celebratiſſima aſſurgebat procerrimo, ac frondoſo faſtigio Mambreana Quercus, cuius ſub virenti tecto ſanctiſſimus fidelium omnium Parens tabernaculum conſtruxerat, in quo colloquijs diuinis, Angelorum familiari commercio, abditiſſimorum reuelatione myſteriorum, æternis repromiſſionibus dignatus, & in ſpem nobiliſſimæ prolis erectus, alijs denique innumeris donis, eſt refertus; quæ omnia eleganțiſſimè proſecutus eſt Prudentius ſuo in Dictochæo, hoc eſt duplicata eſca, ſuauiſſimo hoc metro.

Hoſpitium hoc Domini eſt, ilex vbi frondea Mambre
Armenta le ſenis protexit culmen: in iſta
Riſit Sara caſa, ſobolis ſibi gaudia ſera
Ferri, & decrepitum ſic credere poſſe maritum.

Illic quoque copioſa frondebat laudatiſsima diuinis in ſcriptis Terebinthus, quod fęlicisſima illins ſubumbra, æternæ lucis Spiritus conuiuio humaniſsimè exceperit, & aperto ſub ſymbolo Immenſum illud Trinum, vnumque Lumen

adorare meruerit. Ideòque fęlicissima arbor illa plura per sæcula virescens, quasi immortalitatem induta, teste D. Hieronymo, ab Orbis creatione ad imperium vsque Magni Constantini perdurauit.

Sub hac quercu pariter Altare construxerat Abraahm, super quod Sacrificiorum agebat solemnia, victimasque Altissimo deuotissima dextera mactabat. Olim namque Antiquis, nedum veri Numinis cultoribus, verùm & superstitiosis Gentilium ritibus eddictis, arbores pro templis erant, & sub densa earum fronde constructis altaribus hostias immolabant.

Ita Hebræi, antequàm per Moysen erectum esset Tabernaculum, templumque à Salomone conditum, hæc religionis munia in siluis sub arboribus perficiebant. Hinc factum est vt Reges illi, qui à Sacris per Moysen ritibus institutis recesserunt, antiquam, & vetitam iam consuetudinem adolendi repetentes, sub plantis immolarent. Vt habetur in historia sacra, præcipuè 4. Reg., in quo de scelesto Achaz dicitur: *Immolabat victimas, & adolebat incensum in excelsis, & in collibus, & sub omni ligno frondoso.*

Quod verò hic esset cęterorum omnium communis ritus colligitur ex Plinio lib. 12., in quo agit de plantis, de hisque differens initio p. cap. hæc habet. *Hæ fuere Numinum templa, priscoque ritu vt simplicia rura, etiam nunc Deo precellentem arborem dicant.* Et cap. vlt. lib. 16. idem repetens addit, Gallorum Sacerdotes Druides appellatos a quercubus, quas Druias prisco illo idiomate dicebant, quæ vox græca etiam est, cum sub illis sacrificia celebrarent. Verba Plinij excribimus. *Nihil habent Druides (ità magos suos appellant Galli) visco, & arbore, in qua gignatur (si modo sit robor) sacratius. Iam per se roborum eligunt lucos, nec vlla sacra sine ea fronde conficiunt, vt indè appellati quoque, interpretatione græca, possint Druides videri.* Ità de nemore quodam propè Massiliam refert Lucanus, arbores ferè omnes altaria fuisse, sanguineque cęsorum animalium, vndequaque conspersas; tumenti suo stylo id sic describit.

Lucus erat longo numquam violatus ab æuo
Obscurum cingens contextis aere ramis,
Et gelidas altè summotis solibus vmbras.
Religio tenet hunc, antiquo, & barbara ritu

Sacra

Sacra Deum, structis sacra feralibus are
Omnis, & effusis lustrata cruoribus arbos.

Ibi tandem conspiciebatur viculus Luza; in quo Abraham vt vxori satisfaceret famulam agnouit Agar, vt in eius sterilitatis solatium suo nomini, si non eius ex vtero Ismael gigneretur (mirum plane quanta animi contentione priscæ illæ mulieres posteritatem affectarent, namq; si per sterilitatem Matres esse nequirent, saltem ascititios filios alia ex muliere à viro suo susceptos sibi conquirebant. Ex aduerso Mambre constructa erat Luza, adeòque Hebron coniuncta, vt eius videretur suburbium, adnotauit Zieglierus in sua Palestinæ descriptione. Et Luza quoque vetustissima erat illa præ diluuiana Ogyges, recentioris Orbis Iustorum Metropolis, Patria Noemi, à qua Ogygij nomen adeptus, cuius gratia hucusque calamum exercuimus; nec id frustra peractum; rationes namque, quibus id suadere conati sumus, nec iniucundas, nec omninò enerues ad perplurium auersionem deliniendam, & euincendam duritiem futuras fore censemus. Maximè quòd Iosephi testimonio, veluti firmissimo veritatis symbolo, eas obsignauimus. Ille namque lib. p. Antiq. cap. 18., iuxta Ruffini versionem, hæc habet. *Abraham autem habitauit circa Luzam, quæ vocatur Ogys Est autem regio Chananæorum non longè a Ciuitate Hebron.* Iuxta veró interpretationem Sigismundi Gellenij cap. 11. eiusdem libri hæc sunt Authoris verba. *Habitabat tum Abrahamus circa quercum, quæ vocatur Ogys, id agri nomen erat, ndn longè ab vrbe Hebron.*

Gallus verum Noemi agnomen. Vnde illud acceperit. §. 53.

Modò differendum superest de agnomine, Gallus, Sancto Patriarchæ iudito; quod vtique licèt noster Berosus non recenseat, quià tamen alijs ab Authoribus Annianis adducitur, & ab Annio comprobatur, in Antiquarij nostri obsequium, huius etiam agnominis vindicias aggredimur, simulque pro viribus ostendemus, nedùm verum, sed & valdè congruum, Noemoque optimè conueniens. De primo nihil addendum occurrit, sed in supradictis institimus, ea

namque

namque ad id abbundè sufficere censemus. Secundum igitur discutiemus, nempè quod bene congruat Noemo, & de huius agnominis veritate, & significatione nonnulla subijciemus.

Ad id præmittendum duximus ex Anniano Xenophonte, hanc vocem, Gallus, æquiuocam esse, & quinque diuersa in significatione inuoluere, de quibus vt curiositati, simul & eruditioni satisfaciamus, quædam non contemnenda adducemus. Hæc vox igitur, Gallus, primùm latino in idiomate pullum gallinaceum significat.

Nempè ille est, quo mordetur gallina marito,

Sic festiuo carmine lepidè Iuuenalis descripsit, si cui forte fuisset ignotus, licet ex amphibijs sit auibus, quæ domi domestice aluntur. Hinc cum nobiscum familiariter degat, Dijs Laribus Gentiles Gallum immolabant, quòd & ipsi domestica essent Numina. Id insinuat Satyricus Sat. 4., in qua diris verbis scelestos illos exagitat, qui statim ac aliquo corporis dolore premuntur in desperatione acti

Missum ad sua corpora morbum
Infausto credunt à Numine; saxa Deorum
Hac, & tela putant

ideòque nimio pauore perterriti, omnique spe destituti

pecudem spondere sacello
Balantem, & Laribus cristam promittere Galli
Non audent.

Secundò significat Celtas, quos nunc Francos appellamus; à quo verò hoc illis inditum agnomen, discrepant Authores. Nos binas huius vocis ethimologias subijcimus, vt prudens Lector approbet quam velit. Prima est Antiquarij nostri, quam ab alia eiusdem vocis significatione deducit. Gallus namque iuxta priscorum Aramæorum idioma, Hebræis pariter, & Chaldæis commune, quo & Noemus, vniuersaque eius familia, immò Gentes omnes antequam in turri Babel cęlitùs confunderentur linguæ; vtebantur, idem significat, ac inundatum; ideòque ij omnes, quos vniuersalis aquarum clades non peremit, Galli appellati sunt; quod vtique agnomen, & ad eorumdem filios deuenit. Cum ergò Samothes, vtpotè Iapeti filius, ex illis esset, qui Galli dicebantur, propterea & regio illa, in qua omnium primus ipse coloniarum ductor habitationes extruxit, & re-

gni fundamenta iecit, de sui Conditoris agnomine Gallia dicta fuit.

Quod verò Samothes, quem & Ditem dixerunt, populationes instituerit, & Regnum apud Celtas, probat Annius ex Iulio Cęsare lib. 6. de Bello Gallico, in quo narrat Gallos à Samothe Dite eorum Patre litteras accepisse: Insuper & addit testimonium Diogenis Laertij, qui sub initio de Philosophorum vitis hæc scribit. *Fuisse apud Celtas, & Gallos Druidas, qui & Samothei dicuntur.* Hi verò Samothei erant Gallorum Philosophi, qui doctrinas, & institutiones primi sui fundatoris Samotis diligentissime asseruabant, cęterisque pari studio tradebant.

Hæc tamen deriuatio Bodeno minimè placet, eamque vt ridiculam explodit cap. 9. suæ Methodi Historialis, eamque dicit interpretationem Rabbini Samuelis. Pace tamen tanti viri, suam, quam adducit ethimologiam longè magis deridendam putamus, licet in eiusdem defensione plurimum insudet, maiori namque semper violentia res, vt suæ phantasiæ deseruiant, raptat, & pertrahit. Ait ille Celtis Gallorum nomen inditum à verbo, *Ouallones*. In pronunciatione tamen vice, O, exprimendo, G. *Guallones*. Et non *Ouallones*. Quæ vox apud ipsos vagum, errabundumque significat, eo quod ipsi semper per Orbem discurrerent ad bella gerenda, regna subiuganda, colonias instituendas, & ad vbique locorum nobilissimæ stirpis excitandas propagines: iuxta enim eiusdem sententiam per omnes Vniuersi regiones, & oras Principatuum, ac Regnorum initia inclyto Gallorum semine fulgent.

Equidem gloriosissimę Nationi, ab omni Satyrę morsu iam sua virtute, ac tryumphis vndequaque secura, nec tantillum detrahere intendimus, verùm imaginariæ huic Bodeni huius nominis Galli deriuationi, ac origini adhęrere, ipsa sua debilitate retrahimur. Ideòque si & Annij interpretationem sequi non placeret; Diodori Siculi lib. vlt. potiùs sententiam amplecteremur. Gallos enim à regione Gallatia, quam sic appellatam voluit à Gallato Herculis Ægyptij filio ex Celtici Regis filia suscepto: *Corporis magnitudine vltra naturæ modum, decoreque cæteris excellenti*. Hęc cum cęteros omnes dedignaretur maritos, Herculem ex Hispania à cęde Gerionis in Italiam petentem, vt à Ti-

rannorum vexationibus subleuaret, illius virtute magis quam corporis firmissimo robore illecta adamauit ex cuius amplexu, concepto fœtu, enixa est Gallatum, illius tempestatis, cum vndique Dijs exundaret Orbis, spectatissimum Heroam. Hic Celtas summa iustitia, ac pietate moderatus, nomen suum vniuersæ Nationi impositum in sæcula perennare promeruit.

Hęc sententia non omninò improbabilis est, & authoritate non obscuri nominis Scriptoris fulcitur: at Bodenus nec vnum de triuio suę Phantasię Patronum reperire potuit. Et quidem, si liceret, peteremus ab eo, quis errabundis Celtis inclytum nomen hoc, *Ouallones* indiderit? Non vtique ipsi, nec enim mos est, vt Personę, vel Gentes sibi nomina imponant, maximè si hæc à gestis non admodum illustribus, atque præclaris desumantur. Tale vtique istud est ab Orbis circumuagatione, nec quidem ad impendenda beneficia, sed in regionum exitium, populorum cladem, gentiumque ruinam: Sic Romam direptam flammis vstularunt, parique feritate Iouis Capitolini templum conflagrassent, si per ascensum licuisset. Sic in Gręciam profecti Apollinis Delphici Fanum illud totius Orbis veneratione celeberrimum, sacris, hisque prætiosissimis donarijs expoliatum combusserunt. Hinc plurimùm eorum nomen infuscatum, deque religione, ac pietate non rectè sentire rumor increbuit. His fortè permotus Tullius in sua defensione pro Marco Fonteio ausus est dicere. *Tantum à cęterarum Gentium more dissentiunt, quod cętera pro religionibus suis bella suscipiunt, ista contra omnium religiones: Illa in bellis gerendis ab Dijs immortalibus pacem; ac veniam petunt, ista cum ipsis Dijs immortalibus bella gesserunt*. Non igitur ab his, quibus tanquam probris, & certè minus dignis actionibus insimulantur à pluribus, nomen, *Ouallones* sibi indiderunt: sed dicendum potiùs ab alijs, exterisque, Nationibus, ad quas pergebant, inditum fuisse: at si gentes illam Celtarum linguam ignorabant, quomodo celtico nomine appellarunt? Ouallones namque per ipsum vox celtica est.

Verum ne vlterius in hac quæstione progrediamur, cum tanto enim omni eruditionum genere cumulatissimo Viro, qualis erat Dominus Doctor, & Præses Ioannes Bodenus singulare inire certamen consultò refugimus: Id namque

foret, ac si cum Elephanto rana pugnam subire vtique auderet; nostraque par esset audacia cum illius temeritate.

Qui cum esset ab imo
Ad summum totus moduli pedalis, & idem
Corpore maiorem Enceladi ridebat in armis.

Aiebat Horatius, & obiurgaret Lucretius

Tu ne illo certas? quid enim contendit hirundo
Cycnis? aut quid nam tremulis facere artubus hoedi
Consimile in cursu possint, & fortis equiuis?

Bodeni ergò eruditioni cedimus, phantasijs verò suis minimè credimus. Et alia nostri æquiuoci significata prosequenda aggredimur.

Tertium est cumsumitur, vt nomen Græcum, sic namque lacteum, vel instar lactis candidum significat. Deducitur á græca voce *Galos*, quæ lac sonat. Ab hac autem voce formatur nomen compositum, Galotophagi, idest lactis comestores. Et Vates noster Nympham quamdam Galatheā appellauit, vt molliculum eiusdem candorem exactiùs exprimeret. Et candidus ille circulus in cęlo ab infinita prope modùm stellularum multitudine compositus, quem nos viam lacteam dicimus, Gręci Galaxiam appellant: fabulantes de Iunonis lacte totam albescentem semitam olim fuisse conspersam.

Quartum est Phrygiæ significationis, & Eunuchum sonat. Vnde festiuissimus Martialis Ludens in æquiuoco de pullo gallinaceo exsecto benè opimo, de quo comederet in conuiuio lepidissimè cecinit.

Ne nimis exhausto cresceret inguine Gallus
Amisit testes, nunc mihi Gallus erit.

Ità à sectis virilibus Sacerdotes Cybeles Galli dicebantur. Hanc Phrygij impensiùs prosequentes, summo in Idæi montis vertice celeberrimo templo extructo maxima sacrificiorum pompa venerabantur; vndè & Idæa Mater dicta. Sic Lucretius in 2.

Hanc variæ gentes antiquo more sacrorum
Idæam vocant Matrem.

Paaiter, & Montanam, & Montanam Matrem appellabant. Quicumque ergò Cybelis in famulatio esset aggregandus, genitalia sibi amputari patiebatur: Id verò nec sine solemni pompa. Altè namque crepitantibus tibijs, tympa-

nis, & cymbalis, plurimisque alijs repercussis Musicorum instrumentis festa perficiebantur. Ea autem arte pulsabantur, vt emphaticum, ac furialem quemdam sonum erumperent, quo infelices illi exsecandi tali rabie, tantoque furore accendebantur, vt per vim sibimetipsis conuellerent, quę alterius ministerio præscindenda destinauerant. Lucretius Mysteria, omnesque cęremonias huius Deæ allegoricè exponens lib. 2. de valida Phrygij huiusce sonitus energia cecinit

Tympana tenta tonant palmis, & cymbala circum
Concaua rauci sonoque minantur cornua cantu,
Et Phrygio stimulat numero caua tibia mentes.

Et Ouidius inter innumeras, quas sibi infesto Ibidi deprecatur, malorum myriades, hoc quoque cęteris infibulat, vt huiusmodi furiali sonitu saltitare cogatur.

Attonitusque seces, vt quos Cybeleia Mater
Incitat ad Phrygios, vilia membra modos.

Quem postea imitatus est Tibullus, is namque, siue ex illo excripserit, seu conceptum sibi inuicem communicauerint, cum simul Romæ degerent, in eos, qui amores venales faciunt, ira succensus, cúm cęteris hoc quoque dirum iaculatur fulmen

Et ter centenas erroribus expleat vrbes,
Et secet ad Phrygios vilia membra modos.

Hos Prudentius in hymno S. Romani Martyris Semiuiros appellat.

Ast hic metenda dedicat genitalia
Numen reciso mitigans ab inguine:
Offert pudendum Semiuir donum Deæ.

Eodem pariter irrisorio titulo vellicat Ouidius Fastorum quarto

Ibunt semimares, & inania tympana tundent
Aenaque tinnitus ære repulsa dabunt.

Ab his tamen mitiori benignitate excipiuntur hi semimares, vel semiuiri quàm a Catullo; hic namque cum Cybellico Numini impensiùs se profiteretur addictum, illius tamen Sacerdotes per summum contemptum, fęminas, non Gallos, sed Gallas vocitando, perstringat. Audiamus quæ modulatus sit ode 64. in laudem Berencynthiæ, quæ est Cybelles.

Agite, ite ad alta Gallæ, Cybeles nemora simul,
Simul ite Dindymenæ dominæ vaga pecora

Et vlterius eodem in Idilio prosequitur

Rapida ducem sequuntur Gallę pede propero,
Itaque vt domum Cybele tetigere lassulæ
Nimio e labore somnum capiunt sine Cerere.

Sine Cerere ait hos ire dormitum, idest sine pane. Miserrimi namque Sacerdotes illi stultissima quadam superstitione à pane abstinebant. Galli igitur dicebantur isti Euirati.

In his tamen adnotandum hanc vocem, Gallus, neque apud Phrygios eorum proprio, & naturali idiomate Eunuchum, seù euiratum significare, ac ideò non omnes euiratos homines Gallos appellatos; Sed hac voce Sacerdotes Cybeles tantummodò indigitabant, qui cum essent euirati factum est vt omnes virilibus secti Galli dicerentur. Verùm, vt innuimus; huiusmodi significatio nec propria est, nec immediata; vel, vt loquerentur Scholastici, formalis, sed materialis, mediata, & accidentalis. Ex quo deducendum duximus, Sacerdotes illos, si ex genitalium sectione Galli minimè dicti sunt, à primitiuo ergò alio, & originario nomine appellationem hanc Galli traxisse, quod vtique aliud non est nisi Phrygiæ fluuius, qui Gallus dicebatur. Id docuit Ouidius lib. supracit. Sic enim ipse vt à Musis edoceatur petit.

Cur igitur Gallos, qui se excidere vocamus
Cum tantum à Phrygia Gallica distet humus?

Tale fingit habuisse responsum.

Inter ait viridem Cybelem, altasque Calenas
Amnis it insana nomine Gallus aqua;
Qui bibit indè furit.

Innuit Vates in Phrygia flumen reperiri nomine Gallus, cuius epotæ aquæ bibentes ad insaniam adigunt. Et quia, vt se dementarent, aquas illas sorbebant illi (vtique & ante furentem insaniam stultissimi) Sacerdotes, priusquam Religionis ministerio Cybelisque cultu initiarentur; sicque ab alienati (quod vtique integra mente non fuissent passuri) euirantium ferrum subibant. Ab eo igitur summæ stultitiæ actu bibendi aquas, a quibus mens absorberetur, Galli vocabantur. Etiam Claudianus inuectiua secunda contra Eutropium amnem hunc commemorat, & Gallum appellat,

aitque aquas suas immittere in Sangarium flumen, quod è Dindymeorum montium iugo delabitur, & in Euxino mari ad Orientalem plagam fluctus suos vndis commiscet, quo in loco belligeræ olim Amazones regalem habuere sedem. Audiamus suauissimum Vatem

Dindyma fundunt
Sangarium, vitrei puro qui gurgite Galli
Auctus Amazonij deferunt ad hostia Ponti.

Et hæc de quarta nominis Galli significatione sufficere arbitramur. Accedamus ad vltimam, ex qua eliciemus quam appositè Sancto Patriarchæ Noemo inditum fuerit.

Vltima huius nominis Galli significatio est Inundatus, vel super vndas transgressus, vel euasus a fluctibus, & his similes. Verùm aduertendum nomen hoc iuxta talem significationem, neque latinum, neque græcum esse, ac ideò vllo in Lexicone, seu dictionario, huius, vel illius idiomatis, reperiri, sed priscum Arameorum esse, quod sæpiùs diximus Hebræis, & Chaldæis commune; idque nec contemnendis inductionibus probauit Annius. Iuxta verò tale idioma pronunciandum esset Gallym. Et vndam, vel inundationem significat, cum autem supradictum sit, & inferiùs ad argumenta Cani repetemus, Gentium colonias, quas primùm post diluuium habuit Italia, ea ab Armeniæ ora, in qua salutis nauigium quieuerat, discessisse, eòque ductas, siue a Noemo, siue á filijs, vel nepotibus eiusdem in Armenia enutritis; recta ideò consecutione infertur; Aramæorum eloquium omnium primum Italo in solo auditum, & quos illi primò propagarunt populos, Authorum omnium consensu, Hetruscos, & Vmbros, Aramæo vt naturali, & ab vberibus hausto vsos fuisse eloquio. De Hetruscis vtique scimus Liuij, Plinij, aliorumque testimonio, proprium idioma, peculiariaque litterarum elementa habuisse, ab ipsis firmissimè custodita quoad vsque, amisso Regno, Romanorum subiugo, vna cum seruitute, litteras quoque, & linguam ab Imperantibus suscipere, connaturali prorsus amandata, sunt compulsi.

Vniuersa hæc testimonijs nec vltimæ notæ Authorum comprobare, ac stabilire valemus asserta. Quod namque Hetrusci proprium habuerint idioma, peculiaresque litteras ex Varrone colligimus in lib. linguæ Latinæ; cum enim in

eo ad trutinam reuocet, diligentique examine Latinorum voces discutiat, per plures ait ex eis primæu a sua institutione non Latinas, sed esse Hetrutruscas, & à Latinis posteà vsu receptas. Id etiam confirmatur ex Liuio lib. 9. primæ Decadis, ibi enim refert prioris sęculi Romanos filios suos in litteris, & Thuscorum sermone instruendos tradidisse: eodem quo pacto posteà vt Græcas addiscerent curarunt. Verba textus exscribimus. *Habeo Authores, vulgo tùm Romanos pueros, sicut nùnc Græcis, ità & Hetrusci litteris erudiri solitos.* Et occasione capta narrat ex his in Hetruscorum lingua eruditis QuintumFabiumConsulem plures misisse vt penitiora eorumdem gesta, & consilia explorarent, dum aduersus eos bellum ebuliret.

Romano ferro expugnatis Hetruscis, & cum cæteris Italię gentibus in subiectionem redactis, ad dediscendam etiàm proauorum linguam compulsi fuere. Id tamen diù dilatum, quod ipsi omni conatu, & contentione reluctarentur. Per Cecinnam tandem inter Hetruriæ Principes plurima authoritate clarissimum, Romanisque impensiùs addictum & suasum, eloquium, & litterarum elementa inducta. Cecinna Mecęnatis proauus inter celebres recensetur à Plinio lib. 8. Magister namque erat quadrigarum, & augurum Princeps. Si rectè verò supputabimus circiter Cæsaris, & Ciceronis tempora Hetruscorum lingua profligata est. Nec tamen vnico ictu plenè interijt; ad huc enim ab aliquibus agnoscebatur, & plura in eorum sermone permixtim insonabant Thuscia verba. Hinc narrat Suetonius in vita Augusti, quod cum fulmen marmoream Augusti inscriptionem percusisset, à verbo Cæsar in lapide inciso, primam tantùm litteram, nempè E ademerat, vt legeretur Æsar. Augures sunt interpretati, Monarcham post centum dies ex hominibus sublatum Deorum numero fore inserendum: littera namque C. centum innuebat, Æsar verò vox Hetrusca erat sonans Deum; sicque euentus ille portendebat, Cęsarem centum post dies Æsarem futurum, hoc est Octauianum Deum euasurum.

Alterius pariter vocis afferemus exemplum, quod cum acceptetur a Vossio, vtique nec ab vltramontanæ eruditioni addictis respuetur. Sit hęc vox *Lemures*. De qua Vossius hæc protulit lib. p. cap. 11. Theologię Gentilium. *Lemures sine dubio*

bio vox Tusca. Idque tanta certitudine tenet, vt nec Ouidio contradicere dubitarit. Ille namque Fast. 5. ita cecinit,

Romulus obsequitur, lucemque Remulia dixit.
Illam, qua positis iusta feruntur auis:
Aspera mutata est in lenem, tempore longo,
Littera, qua toto nomine prima fuit.
Mox etiam Lemures animas dixere silentum,
Hic sensus verbis. Vis ea vocis erat.

Arbitratus est ergo Ouidius eam vocem Latinam ex immutatione huius vocis. *Remulia*. qua funerum anniuersaria significabantur, per Romulum in honorem perempti fratris Remi instituta.

Cum igitur tanta pateat euidentia primæui sæculi Thuscos proprio idiomate à Latinorum sermone dissiso fuisse locutos, expiscandum remanet quale nam fuerit illud. Non vtique ab eo, quo primi eorum progenitores vsi sunt, diuersum. Verum illi Aramæi fuere; ex Armenia namque Iano, siuè Noemo ductore, vel mittente, omnium primi Italas occuparunt sedes, quod supra ostensum est, & inferiùs latiùs ostendemus. Aramæum igitur fuit antiquorum Hetruscorum idioma, & vt sæpius repetitum est, à Chaldæo, Hebræo, Armeno, & Phænicio quantum ad substantiam minime discriminatum. Hinc enucleandum venit an hæc vox, Gallus, Aramæa sit, si ea antiquitùs vsi sunt Aramęi, vt inundatum, vel ab vndis illæsum indigitarent: ac tandem quem hoc nomine appellauerint.

Modò hic subsistendum, vt exactiori huius testimonij disquisitione verum, ac legitimum verborum sensum enucleamus. Certum est eo in capite Authorem agere de prima Populorum Italiæ originem, id enim est illius capitis argumentum, & materia: loquens verò de vmbris (quæ atiquissima est populatio à vetustissimis scriptoribus recensita, & quã à suis exordijs semper Italiæ indigenã agnouerũt; nec tamen, nimia eiusdem antiquitate, veluti densa detenti caligine introspicere potuerunt, quibus ab oris, vel quo tempore ad Italiæ solum incolendum venerit) de vmbris igitur tradit, eos antiquissimè à Gallis propagatos, sic enim nos illud intelligimus: *Gallorum veterem propaginem*. Id que magis per ea, quæ subiungit, euincit, eos nempè vniuersali cataclysmo fuisse superstites, ac id eò vetustioris antiquitatis esse nequeunt.

Ve-

Verùm quinám fuere illi Galli Italis in regionibus peruetustæ adeò antiquitatis, vt in eis commorati antiquissimam aliam nationem, Vmbros scilicèt, propagauerint? Non vtique Galli Celtæ, de his namque nec vllum extat testimonium, vel fuisse, vel in Italiam aduenisse, nisi post tempora multa, sub Brenno eorum Duce. Alij ergo fuere Galli, & hi quidem vetustissimi, cum Nationis adeò antiquæ fuerint progenitores. At certè non alij nisi Ianigenæ esse potuerunt; Illi nempe ex ea colonia, quam Ianus secum aduxit; hi enim primi fuere, qui post diluuium Italiam petierunt, & occupato solo ad ripas Tyberis habitationes construxerunt, quo in loco, & vmbri ditionem suam possident: sunt namque finitimi cum Latinis, & Thuscis. Ianigenæ igitur, & cum illis eorum Dux, & caput Ianus Magnus scilicet populorum Patriarcha, Galli appellati fuere, iuxta huius vocis significationem, qua inundatum, vel à diluuio euasum sonat. Nam si Græci ea de causa Vmbros, idest aquosos, vel à submersione illæsos iuxta eorum linguam à Ianigenis procreatos appellarunt, potiori vtique ratione, ac meliùs potuere Hetrusci sibi naturali Aramæorum sermone Vmbrorum progenitores, filios scilicet Noe, adhuc, & ipse Noemus Gallus appellare, cum idem sonet, ac significet.

Quod verò hæc vox Gallus apud Italiæ gentes ab inundatione superstitem, & illæsum significauerit, aliæ voces ab illa promanantes, quæ adhuc nostra tempestate affinitatem aliquam, siuè analogiam ad illam asseruarunt, id nobis satis probabiliter ostendunt. Tale est verbum istud Italicum: *Galleggiare*, quod supernatare, á fluctibus non submergi significat. Hinc etiam Italicè dicimus: *Star à galla: andar à galla*: Pariter etiam nomen nauis, quæ multiplici remigio instruitur, figuræ oblongæ, non admodum ab aquis suo se corpore attollens, & Italicè dicimus: *Galea*; quę vox est integrè Italica, vnquam enim à Latinis vsurpatum nouimus, ipsi namque huiusmodi nauigia, biremes, triremes, quadriremes à remorum ordinibus, quibus erant munitæ; censendum ergo talem vocem superstitem esse inter eas, quæ in Hetruria fuerunt asseruatæ, & originem suam habuisse à voce: *Gallym*, quę sonat non mergi, seù vndis supernatare, vel à fluctibus minimè absorptum, quia verò nauis non ab-

sorbetur, supernatat, & leuiter fluctus percurrit, & quos vehit à naufragio seruat, ideo vnanimi populorum consensu ei nomen impositum fuit, Gallerim, ab his, quibus talis vox erat in vsu, ab Armenis scilicet, qui (ni dubiæ authoritatis esset Annianus Xenophon) eodem pariter nomen vocarunt Noemicam nauim; *Quia ab vndis eum seruauit.*

Verùm in ancipiti plurimùm versamur, an nos quoque vellicaturus sit rigidus censor, quasi quod debiliora nimis fundamenta strauerimus pro tali, ac tanto construendo ædificio, cuius cacumen ferè ipsam fidem transcendit, & ab vniuersali notitia longissimè distat, cum dissertationem hanc de nomine, Gallus, sicut & præcedentem de nomine Ogygius, vnica tantum authoritate suffultam posuerimus. Illam solo Iosephi testimonio roborauimus: hanc verò vnico Polistoris Solini dicto communiuimus.

His tamen occurrimus eodem equidem pacto, quo & illi, qui naufragium passi, circumquaque ab ingruentibus vndis obsessi, vt imminentem mortem propulsent, quodcumque sors arripiendum obiecerit tenent, & spinas, & carduos fortiter stringunt. Nos quoque inter tot tenebrarum caligines, quas vetustissima rerum antiquitas vndequaque diffundit, cum nihil luminis affulgeat, vt ab errorum ruinis nos asseruemus, necessitate ipsa adigente pro nostra, & clientuli salute, quæcumque obuenere arripuimus. Nec equidem vt minimum censendum tanta in caligine Ducem habere, licèt vnicum, classicum tamen Authorem. Maximè quando huius asserta cæterorum scriptis non obstant. Nam si plures vnanimi consensu vnum in aliquo oppugnarent Authorem, temeritati vtique valdè affine arbitraremur, si pluribus illis posthabitis, illi soli adhærere malimus.

Hinc ambigimus quidnam censendum sit à discretis, iudicioque præditis Lectoribus de Vossio, & si inter nostri seculi eruditissimos habeatur, cum cap. 28. celebratissimi sui voluminis de Gentilium Theologia, minime dubia, vel pendula, sed firmissima sententia neget vllam vnquam Semiramidem extitisse, quæ Nini primi Assiriorum Monarchæ vxor fuerit; non alia ratione permotus, nisi quod id negatum reperit in barbaro quodam Scriptore, Philone nempe Bibliense, qui Romæ floruit sub Hadriano Imperatore. Quia verò iste relatus à Stephano, & Hermolao Græcis

Scriptoribus tempore Iustiniani Imperatoris, negat Semiramidem Nini thalamum conscendisse, ideò vniuersali omnium scriptorum placito abiecto, cum loquitur de Semiramide celeberima illa, quę in totius orbis miraculum Babylonem miris cinxerant muris, ità parenetice cunctos ad errorem euitandum salubri monitu aduertit. *Sed caue Semiramidem intelligas Nini vxorem. Nec enim Ninus vxorem eius nominis habuit, vel si sic dicta, alia saltem est, quæ sic à Græcis celebratur.*

At si Vossius textum perpendisset Pœnicij Authoris, nempè Herenij Philonis supra citati, quem Bizantinus, vel Stephanus, vel Hermolaus recenset, a quo id excepit Vossius, suo vtique fęlicissimo acumine palmarem falsitatem deprędisset, ait enim inter vtramque Semiramidem, celebrimam nempè illam, quam tot laudibus, & encomijs Gręci extulere, quod Babylonios muros extruxerit, & aliam (si quæ tamen extitit) Nini vxorem bis mille annorum intercapedinem fuisse. Id verò vllo pacto subsistere valet; totum namque tempus Assiriorum Monarchiæ, à Nino incipiendo ad Sardanapalum, in quo illa interijt, mille tantum, tercentis, & sexaginta annis integrè completur, etiam iuxta ipsius Vossij supputationem in sua chronologica Isagoge cap. 4. Quid tibi de his videtur candide Lector.

Ignoscenda isthæc, an cognoscenda rearis?

Cum Ausonio loquimur: cæterum aliorum esto iudicium; Nos autem quarto Cani argumento occurrimus.

Quartum Cani argumentum. Ad illud responsio. Noe in Italiam venit, populos iuxta Tiberim rexit. §. 54.

IDeó fabellas contexuisse, non historiam Berosum elaborasse noster arbitratus est Cano, quia Noemum ait ad Italiæ littora cum gentibus appulisse, quod vrbem excitauerit, in qua Rex, Pater, ac Magister populos rexerit, artes docuerit, religionis ceremonias, & cultum exactissimè tradiderit, quæ vt diutiùs permanerent, scriptis post se relictis successoribus comendauerit: Sicque regni prima fundamenta iecerit, quod posteà in Hetruriæ Regibus diú permansit.

Ad hæc supra dilucidè satisfecimus. Si enim Noe, & Ianus vnica est persona, quod pluribus Authorũ nec infimæ, vel infirmæ notæ testimonijs cõprobauimus, & ipsũ per Tiberim in Italiã aduenisse, ibiq; habitacula, imò regiã sibi ædificasse; concedẽdũ est; nã citra fluminis ripas Castrũ extruxit, & de suo nomine Ianiculum appellauit; vt expresè cecinit Virgilius Æneid. 8. vbi Euander Troiano hospiti peruetusta, & ferè lollabentia lastella indigitando, alterum vis, aliud trans Tiberim ait.

Hanc Ianus Pater, hanc Saturnus condidit Vrbem:
Ianiculum huic, fuerat illi Saturnia nomen.

Ità pariter plures vrbes, & Castella, vel ædificata, vel ab ipso sunt appellata. Talis est Ianua, & quas numerat Annius; nec Italiæ tantum, verùm & Iudææ, & Palestinę quosque Vrbes à Iani nomine appellationem derumpserunt, ex qua satis euidenter elicitur, quod & illæ nationes Noemum Ianum appellarunt. Minimè enim ambigendum eas gentes vllum alium nouisse Ianum, cui tantos, talesque deferrent honores, vt suo nomini Vrbes extruerent, vel appellarent, nisi Sanctissimum, ac summa semper veneratione suspiciendum earum Patriarcham Noemum. Huius autem nominis Vrbes sunt Ianoe in Palestina sub ditione Præfecturæ Gaze, de qua habetur mentio cap. 16. Iosue 6. & 4. Reg. cap. 15. 29. Ianinea pariter in Palestina ad mare, in qua portus aperiebatur, & illius habitatores appellabantur Ianinei, qui vna cum Patria Vrbe funditus deleti sunt per fortissimum Machabęorum Ducem, vt habetur 2. Machab. 1. 12. si ergo Noe est Ianus, & in Italia fuit.

Equidem ea maiori qua decet reuerentia tanto Viro dignitate, ac Religione clarissimo libentissimè petijssemus; quid incongrui, quid vè difficultatis, quid denique sua in mente conceperit impossibilitatis, á quibus remoratus assentiri minimè passus est, Noemum Italiã petijsse, ac illius incoluisse regiones? Num fortè tercentum, & quinquaginta annorum spatium nimis breue fuit ad tam longum iter perficiendum, vt dissitas adeò regiones viduato in orbe inuiseret? Quid igitur tam diutino temporum curriculo egit, si eodem semper in loco immobilis manens, nec vltra prædium pedem referre ausus est, quasi regionem illam sibi sui exilij limitem districtiùs iniunxisset? Num fortè prouectæ sene-

senectutis lassitudo, & eneruuta virium debilitas ad id exequendum robur ademerant? At quomodo hoc si ea ipsa tempestate natura toto suo conatu, & vires augere studebat, & maiori semper incremento fouere, ac roborare vigorem paucissimis illis ex hominibus, ad id seruatis, vt iterum Orbem repleient? Fortè id non erat sui muneris, nedum qua omnium hominum Pater, vnde naturali amore ipso impellente ad inuisendos filios trahebatur, & Nepotes; verùm etiam qua supremus, ac vniuersalis omnium Princeps, cui ex debito incumbebat subiectos inuisere, nec perfunctoria vestigatione perquirere quanta seruaretur legibus ciuilibus, & sanis reuerentia, an paternæ instructiones vigerent in opere. Suum vtique erat delinquentes corrigere, bonos laudare, solari afflictos, pacem inter ipsos augere, pietatem accendere, ac tandèm cuncta optimi Principis, vigilis Legislatoris, amantissimique Patris munia iustè persoluere.

Verùm id quod pluribus fortè lapsus causa fuit, vt sibi suaderent Noemum totis tercentis, ac quinquaginta annis, quibus post diluuium fuit superstes, nec latum pedem ab Armeniæ confinijs, quæ post Arcæ egressum occupauerat, vnquam se elongasse, ad instar, vel arboris, vel lapidei alicuius simulachri, quibus mutare locum denegatur, seù potiùs ipse nodosa à podagra pedum vsu priuatus, adeò vt

Gumosos posset, ne inde referre posse.

illud inquā fuit, quia Moyses sacra in historia, nec verbū scripsit de suo ab Armenia discessu, vel quod ad alias, prima sede relicta, perrexerit: & hinc firmissimè censent ex suæ vineæ limina pedem nunquam extulisse. Talia sæpè sæpiús sunt argumenta, quæ contra Annium ingerit Cano: Id non asserunt sacræ paginæ ergo non est. At quo in loco Scriptura docet oppositum? Non id assumpserat Sacer Historicus sua in Genesi vniuersali, vt actiones omnes, itinera, labores, cunctaque Noemi opera singilatim recenseret. At si quis rectè perpendat, & adnotet, quæ supra retulimus, maximè verò quod Deus Noemo præceperat vt Orbem repleret, desertasque regiones iterùm popularet; quod vtique rectè perficere nequiuisset, nisi hùc, illùc missis colonijs, alijsque se præstito Duce aliò aduexisset: irrequieti cura, nec firmo pede, benè tamen stabili consilio, & pastorali sollicitudine discurrens, perrexisset, redijsset, vt primordia

vitæ

vitæ ciuilis rudes doceret, politiam firmaret, virtutum semina fęcundiori semper propagine succrescere elaboraret; Maximè verò religionis ædificium in omnium corda solidaret, ac si paululum in aliquibus inclinatum inspexisset repararet; quæ omnia vtique illi, vti totius Orbis Monarchæ ex debito incumbebant.

Minimè dubium ergo est olim quemdam virum nomine Ianum in Italiam venisse secum ductis colonijs, & vt de more primi illius æui regnum instituisse, tunc enim vnaquæque familia regnum erat, cui Pater familias presidebat vt Rex: At cardo totius difficultatis sistit in hoc, an ille Ianus ipse sit, quem nos supra ostendimus fuisse Noemum. Vossius lib. 1. Theologiæ Gentilium negat, nec rationes vllas adducit. Nos asserimus, & testimonijs Ouidij, Macrobij, & aliorum, quos ad id supra retulimus pro responsione ad tertium argumentum Cani, satis apertè comprobauimus. Nempe quod hic Ianus Rex Italiæ primus antiquissimus ab omnibus asseritur omnium Deorum Pater, hoc est Regum, ac Principum omnium: pariter illum totius Vniuersi supremum, ac vniuersalem Monarcham autumant, ac tandem ætate, ac Regia Maiestate in Italia Chamesio, & Saturno præferendū ducūt; isti namque in ea quoque regnarunt, at Chamesius filius, Saturnus verò Nepos Noemi fuit. Saturnus enim, qui ad Italię littora venit, a Iano exceptus, & in societatem Latini Regni assumptus, vtique fuit Sabatius Armenus à Ioue Assirio, Nino scilicet Regno expulsus, & in fugam coniectus, vt infra clarius ostendemus: Modò quis alius Ianus, immò quis alius ex hominibus, annis, & dignitate maior Chamesio, & Saturno, nisi Noe illius Pater, istius verò Proauus? Chamesij nec dubium nomen, nec incerta persona, nemo namque inficias ibit eum filium fuisse Noemi. Non ergò est quid somniando confictum.

Nec Sabbatius est suppositius homo, vel somniatum nomen, sed realis persona, nomenque sincerum: nec in vnico tantum ex antiquis Authoribus legitur. Diodorus namque Siculus lib. 5. Fabulosæ Gręcorum Theogonię adhęrens, eum Iouis filium dicit, ac Proserpinę. Et in Concilio Deorum per Lucianum coacto inter asititia Numina recensetur, Momum namque de eo sic obloquentem inducit. *At qui ò Iuppiter, Attis ille, & Coribas, & Sebazius, vnde nobis*

eandem accersiti veniunt? Et ex alijs quoque? Nec longè abest à verosimili, quin iste Sabatius ille sit Chami Nepos, filius Chutz, de quo habetur Gen. 10. sub nomine Sabatha. Vel fortè fuit vnus ex inquilinis Numinibus in Latio receptis; nam inter cęteras Groterij inscriptiones, quædam legitur latini sermonis, in qua recensetur iste Sebazius, quę talis est. *Nunius Alexander donum dedit Ioui Sabazio*. Firmiùs verò huic sententiæ adhęremus, quòd Cicero secundo de Legibus habet. *Nouos Deos sic Aristophanes vexat, vt apud eum Sabazius, & quidam alij Dij peregrini iudicati e ciuitate eijciantur*. Alij hunc e Phrygia, alij ex Thracia, alij ex Ægypto egressum putarunt; verùm rectiùs, ac verius eos de sua origine opinatos esse arbitramur, qui e Syria profectum autumarunt. At in h s calamum sistamus, cum nobis satis superque abbundè sufficiat eum scisse antiquissimum.

Insuper nostram hanc sententiam validissimo eruditissimi Tertulliani testimonio plurimùm roboramus, hic enim in opere suo apologetico, pro tutanda Fidei nostrę sinceritate, ac Christianorum innocentia, aduersus impiam, & super omnem fidem truculentissimam Paganorum sæuitiem euulgato Romę sub oculis Imperatorum, & Senatus, eo in opusculo doctissimus Afer hunc Latialem Saturnum recensens, & Aduersarijs huius etiam damnabilem esprobrans cultum; Inter selecta Numina namq; eum venerabantur, etiamsi ab Ennio in Deorum Consortium serie minimè adnotetur, in ea enim numerantur tantummodò

Iuno, Vesta, Mineruæ, Ceres, Diana, Venus, Mars,
Mercurius, Iouis, Neptunus, Vulcanus, Apollo:

Eum cariosa adeò antiquitate vetustum proponit, vt exertis verbis asserere minimè dubitauerit. *Ante Saturnum Deus penes vos nullus est. Ab illo census totius, vel potioris, vel notioris Diuinitatis*. Si ergò Saturnus iste adeò antiquus erat, vt Romanorum Deum primus haberetur; quis igitur fuit ille Ianus, qui eum præcessit, & collegam Regni suscepit, nisi primus ille, qui & Noemus? Minimè verò ille secundus, de quo dicit Vossius, pluribus enim sæculis his posterior extitisse fatendum.

At si quis objiciat, non ergo iuxta Tertullianum primus omnium Deorum Ianus, & ideò non est Noemus; minimè namque ambigendum hunc primum cęterorum Numinum

fuisse,

fuisse, Regem scilicet nedum Italiæ, verùm & totius Orbis. Respondemus Tertullianum restrictiuè loeutum de Numinibus Latij, inter quos certum est primum fuisse Saturnum, minimè verò ampliatiuè de totius Italiæ Dijs. Ianus enim propriè non fuit Numen Latij, ea namque regione relicta permisit vt solus Saturnus regnaret, sicque ipse primus Latinorum Rex est habendus, quibus cęteri successere. Et quia primi Reges, quód Regnum fundauerint, ac instituerint à Gentilibus assumpti fuere in Deos, sibique proprios; ideòque Aborigines Latini Saturnum, vt primum eorum Numen sunt venerati. At Ianus ab initio Thuscorum Deus extitit, fuit enim primus illius gentis Author, quam per se ipsum diú moderatus est, & fortè inter eos obijt, & sepulturę traditus ea ipsa in Ciuitate, cui Ianiculum nomen indiderat, seù ab ipso condita, seù illi dicata. Verum sub Romulo ex Thuscia in Latium eiusdem simulacrum translatum est, vt Inquilinum Numen Latij esset, cui Romulus ipse post bellum Sabinum ad radices Capitolij, vbi in planitiem se extendit, & nunc patet Romanum forum, templum extruxit. Hæc tradit Propertius sua in Vertumni elegia, in qua Ianum ipsi sic allocutum venusto lepore confingit,

Tuscus ego Tuscis orior, nec pœnitet inter
Prælia, Volsinos deseruisse focos.
Nec me turba iuuat, nec templo delector eburno,
Romanum satis est posse videre forum.

His assentit Vossius cap. 18, lib. tit. ait enim. *Latini à Tuscis* hoc *Numen acceperunt.* At in his quæ postea subiungit paululum subsistendum, inquit enim Iani Numen Tuscos ab Asiaticis accepisse. Si verbis his talis sit sensus, vt Asiatici primum tale coluerint Numen, ac inde per simulacrum Tusci cultum acceperint, apertissimè detrectamus; iam enim ostendimus primos fuisse Tuscos, qui Noemum sub nomine Iani aris admouerint. Si verò sit sensus, Ianum ipsum ex Asia in Italiam aduenisse, & Tusco in solo inhabitasse, vtique libentissimè subscribimus. Ex eo igitur quod ab initio Ianus nec Latinorum, nec Romanorum Numen fuerat, immò quantum ad cultum Saturno Ianus recentior, ideò sine vllo vetustioris antiquitatis præiudicio, qua absolutè decoratus est Ianus, restrictiuè ad Latinos primas sedes Saturno vltrò concessit doctissimus Tertullianus.

Insu-

Insuper addere possumus, nec fortè ineptè, quod cum Saturnus ante Ianum obijsset, iste in honorem amici defuncti, vt in æternum eiusdem semper floreret memoria, integram regionem illam, in qua regnum habuerat, de sui nomine Saturniam appellari voluit, sic docet Macrobius primo Saturnal. his verbi. *Cum Saturnus subitò non comparuisset, excogitauit Ianus honorum eius augumentum; ac primùm terram omnem ditioni suæ parentem Saturniam nominauit.* Ex hoc igitur quod Saturnus prior diuinitatem, immortalitatem scilicet alterius vitæ conscenderit, nam post ipsum vsque in octauum annum Iani funus dilatum est, ideò quasi Saturnus vetustioris esset Deitatis, vt primum eorum numen sunt venerati.

Suppositis igitur quæ hucusque diximus ex rationibus, & testimonijs allatis, ex quibus integram ferè posuimus certitudinem, ingenuè fatemur prorsus ignorare, quonam pacto doctissimus Cano dicat ea esse fabellantium commenta, & delirantium insomnia, velitque Noëmum cunctarum gentium Patriarcham, & totius orbis Monarcham, quem sub nomine Iani latitantem diximus, & vates eo de se ita allocutum dicit.

Me penes est vnum vasti custodia Mundi,
Et ius vertendi cadines omne meum est.

terram minimè peragrasse, & quas per emissas colonias habitabiles fecerat regiones non inuisisse, cum id sui muneris esset, & ad hoc eum pietas accenderet, inflammaretque suorum affectus, vt perambulando subditos inuiseret, filios, nepotes, & ab his progenitos suo solaretur aduentu, documentis erudiret, saluberimisque monitis magis, ac magis firmaret in bono. Hinc libentissimè opinamur, quod & ab Authoribus non contemnendis traditum accepimus, sub dierum suorum fine eum in Italiam peruenisse, in eaque vltimæ suæ senectutis quietam sedem delectam, tandem obijsse. Eo in solo humari voluit, in qua veri Numinis fides, cuius mira semina sub nube ipse primus religionis cultor iecerat per Orbem, adeò firmas habitura erat radices vlla vnquam humanaui, vel Dæmonum sæuientium robore conuellendas. Etenim, *Nec portæ Inferi præualebunt aduersus eam.* Hoc alibi ostendemus. Interim qui oppositum posse sua-

dere putat, exeat in aciem: *Et erit mihi magnus Apollo*. Et ita quartæ Cani obiectioni credimus satisfactum.

Vnum tantum adnotamus, vt qui fortè hæc nostra attentius perpendens, huic sententiæ adhæserit, in ea nec minimum nutet, quod Ouid. Fast. 4. canat.

Hospes Auentinus armentum pascit in aruis
Clauiger, & tanto est Albula pota Deo.

existimans clauigerum numen esse Ianum, quem idem Vates claues manibus tenentem depinxerat, dum cecinit.

Clauigerum verbis dixerat esse Deum.

Si enim eo in loco loqueretur de Iano, ex his, quæ ibidem narrat de illis, qui colonias in Italia duxerunt, sequeretur adeò serotinum fuisse ad Italiæ oras Iani aduentum, vt post Euandrum, & Herculem venisset, eo igitur in loco vates loquitur de Hercule, quem a claua clauigerum dicit, qua tot per ipsum patrata sunt facinora, minimè verò à clauibus, vt Ianus.

Quintum argumentum Cani; Responsio ad illud. Ninurotus Idolatriæ Author. Qua morte obierit. An à Principibus occisus, & ab his in plebem disseminatum eum raptum à Dijs, sicut de Romulo actum est. An verum sit senes olim præcipites de pontibus eiectos. §. 55.

PAruulum Berosi libellum ab Annio productum quinto argumento proterere insistit Cano, quòd in eo Ninurotus Religioni celebretur addictus, plurimumque Diuinis insistens, ob idque translatus ad astra in Deorum albo conscriptus. Quæ omnia sacer textus falsitatis euincit, in eo namque opposita prorsus figura describitur, fuisse nempe sacrilegum, impium in Deum, á cuius vero cultu omnium primus defecit, & quos omnes per tirannidem sibi subegerat, à vera etiam Religione abstraxit.

His primò respondemus. Huiusmodi laudes, seù enco-

mia vera sint, vel falsa, repugnent, vel conformia sint sacris litteris nihil ad hoc, quo minus & libellus, & sententiæ in eo assertæ Berosi Chaldæi esse possint, stat, Authorem mentitum, pluraque falsa conscripsisse. Id patrio amori indulgēdum. Vt enim nobilioribus condecoraret initijs ad laborauit Assiriorum Monarchiæ institutorem Deum facere. Huiusmodi autem inanium iactationum vanitates, & tempore Liuij communi scriptorum vitio in vsu fuisse depræhensum est, simul ac quempiam de Patria sua contigisset initia, & originem eius conscribere. *At datur hæc venia antiquitati, vt miscendo humana diuinis, primordia Vrbium augustiora faciat, & cuilibet populo liceat origines suas consecrare, & ad Deos referre auctores.* Hæc clementi sua bonitate indulget Romanæ historiæ Parens. Hac permissione anteá vsus est Babylonensis, ac Gentilis Berosus, ideoque Patriæ suæ conditoris dedecora iterùm in lucem prodere, ac de his hominum memoria refricare abstinuit. Berosum minime latuit cunctis cumulatum sceleribus Ninurosum, in Deorum nihilominus numero inuexit, ne fæda primi prauitate cunctos illius regni successores conspurcaret.

Immò nec Berosus huius Ninuroti apotheosis author fuit, ab vniuersali etenim Babylonensium consensu id exceperat; & ipsi pariter cummuni cunctarum Gentium consuetudine, quæ Fundatores suos aris admouere, quem Assiriorum metropolis, ac imperij conditorem agnouerant, Diuorum fasti conscripsere. Hæc adnotauit Vossius cap. 24. lib. 1. Theologiæ Gentilium, & Alexandrinorum Chronicis roborat, illarum textum ex Græco sic Latinum reddidit: *Genitus est alius ex Chami semine nomine Chus Ethiops, qui genuit Nembrod gigantem Babyloniæ conditorem, quem Persæ aiunt in Deos relatum, in que astris constitutum appellant Oriona.* Perpende quæso eruditissime Lector, Nùm fortè hoc Ninutoti agnomen nescio quid congruentiæ, affinitatis, vel allusionis retineat cum his, quæ Sacer Chronista de illo scripsit in Genesi: Ninurotam namque describit robustum venatorem, ac bellacem. Orion pariter, quem per Poetas inter Stellarum agmina micantem scimus, celebrem fuisse venatorem tradidere: talemque suo in Asterismo repræsentant Astrologi; immò vt tyrannidis eius violentam sæuitiem exprimerent, & quomodo primis illis adhùc libe-

ris gentibus armorum vi seruitutis iugum imposuerit, armatum posuere, Sic Sulmonensis Vates Fast. 4. ensiferum appellat.

Ante tamen qui summa dies spectacula sistat,
Ensifer Orion æquore mersus erit.

Insuper addimus, vt a Beroso falsarij maculam amandemus, quod si recta, legitimaque interpretatione allata Ninurosi encomia velimus expendere, in illius vituperationem potiùs quàm in laudem cuncta cedere inueniemus. Eum namque sacrilego Deorum cultu addictum dicit, sicque nec valdè discriminatur à Moyse, qui per metaphoram eiusdem scelera recensuit, cum dixit: *Erat robustus venator corā Domino.* Quo violentam illius tyrannidem, voluit innuere, vaframque eiusdem sagacitatem, fraudes, & technas, quibus vt homines à rectę religionis cultu auerteret, ab eoque conficta Numina venerarentur, vtebatur. Ità communiter exponunt Interpraetes sacri, & nos quoque aptiori nacta occasione luculentiùs infrà ostendemus.

Nec prætermittendum, quod Berosus non ait, verum coluisse Numen, sed Deos plurali numero, his verbis: *Studuit paci, & religioni Deorum.* Quod vtique falsæ illius religionis apertissimum est testimonium. Verum pax illa, cui studuit, non illa est ex virtutum choro, quæ iustitiam respicit, vt commune, & spirituale totius communitatis bonum: non illa inquam, pro qua supplex orat Ecclesia: *Quam mundus dare non potest pacem.* (Antiposi vtor, Grammaticos moneo, ne ferulis, deterioriuè ictu, linguæ gladio in me lanienam agant) sed illi paci Ninurotus studuit, qua scelesti, omni summoto dissidio, ad patranda facinora optimè conueniunt. De qua exponendus est Psalmista cum ait: *Zelaui super iniquos pacem peccatorum videns.* Omnem mouit lapidem, nihil intentatum reliquit, Babylonensis tyrannidis Author, vt in vitijs, & impietate sibi gentes omnes associaret, vt que in omnium mentes tranquillam securitatem induceret, cum enim pro pattatis sceleribus pauido semper corde contremiscerent, ne iterum per tumescentes fluctus delerentur, turrim excitare suasit, cuius cacumen nubes ipsas transcendens, intra illius latibula tutissimo veluti in asylo recepti, irati numinis imbres, & fluctus deluderent.

Ad illud verò, quod addit de illius translatione ad sydera, scilicet: *Post quinquaginta annos Regni sui non comparuit translatus à Dijs*. Primò dicimus cum Annio nomine Deorum Berosum minimè intellexisse cęlestia Numina, sed Principes, qui communiter appellabantur Dij, nedum à gentibus primi sæculi, verum etiam à diuinis Sacræ paginæ oraculis, vt supra latè ostendimus: quasi ergò Berosi sensus sit: Ninurotum translatum, idest sublatum de medio, & ab æquissimis Principibus inreremptum, cum eius impiegatas omnem iam tollerantiam fatigasset, eorumque zelum coegisset ad vltionem.

Secundò dicimus, quod & si concedamus Berosum de Numinibus cęlestibus propriè locutum, adhuc iuxta ipsum non est ita accipiendum, vt verè ad astra conscenderit, sed ex populorum opinione: Principes enim eo clanculum interempto, membra illius occultissima quoque distractione sustulere; vtque effręnes plebis tumultus auerterent, irrupissent namque in vindictam; quòd nimia licentia, ac infędissima quæque procaci libertate, omnes sibi viuens, amicissimè deuinxerat; solerti studio, callidaque diligentia, & dexteritate sparserunt in vulgus, raptumà Dijs in cęlum euolasse: Nec difficile suasu, cum nec viuum cernerent, nec corporis exuuias intuerentur. Leuissimi autem cordis, decurtatæque mentis plebs ignara tam grandia de suo Principe cum audisset, libentissimè credidit. Pari quoque euentu sublati Æneas, & Romulus, ambo namque occisi, & corpora clam vel tumulata, vel combusta, vel discerpta, vulgatum in populos in cęlum sublatos; illum verò in Numen mutatum Indigetem, cui per apostrophen sic alloquitur Tibullus elegia quinta.

Illic sanctus eris cum te veneranda Numici
Vnda Deum cęlo miserit Indigetem.

Eodem pariter nomine eumdē appellat Ouidius Metam. 14. Primus fuit ea in serie Deorum, quibus Latini diuinitatem elargiri cępere; Indigetesque appellabant, quasi indigitatos, seù publica sanctione Deos indicatos. Romulus verò in Deum Quirinum euasit. Sic idem Vates in secundo.

Proxima lux vacua est, at tertia dicta Quirino:
Qui tenet hoc nomen Romulus ante fuit.

Si Berosi commentariolum excipiamus nulla superest historia,

storia,

ſtoria, in qua vel minimum quid de morte Ninuroti habeatur, ideoque cuncta ambiguitatis, & incertitudinis plena. Ioannes tamen Bodenus cap. 7. Methodi hiſtoricæ certò ſibi, & cęteris tradere voluit, quod Ninurotus: *Senio fractus de Imperio, quaſi de ponte, à filio Belo deiectus fuit*. Fortè Vir eruditiſsimus iufatigabili ſuo, nec vnquàm intermiſſo ſtudio id ex aliquo ſibi tantúm peruio Authore excerpſit: Verum libentiùs autumamus ſua id ex mente depromptum; nam fabellam tradiderunt Veteres, per filium Iouem Saturnum e ſolio deiectum, vt enim infra dicemus, Ninurotus fuit Saturnus, Belus verò Aſsiriorum Iupiter, & de hoc etiam luculentiùs in operis progreſſu.

Id verò quod innuit de ſceleſtiſsima illa conſuetudine (ſi vnquàm tamen fuit) vt ſexagenarij ſenes à priſcis latinis præcipites darentur de pontibus; vtique libentiſsimè introſpiceremus num id verum ſit, at retrahîmur, ne frequentioribus nimiùm digreſsionibus Lectorem tędio afficiamus; ſat erit vnico verbo placitum noſtrum promere, his qui negant adhæremus; vllo namque pacto tantum ſcelus genti illi impingere valemus, maximè eo in æuo cum virtutes, & præcipuè manſuetudo, & pietas apud illos plurimùm vigerent. Quæ enim truculentior ſæuities, quàm in Genitores nulla labe infectos tã immaniter debacchari? Quæ efferatior barbaries, quàm virium eneruem debilitatem, & impotentiam execrando punire præcipitio; cum vtique in his non perſona, ſed natura labentium annorum curriculo obnoxia culpanda foret? Nihilominùs Aurelius Prudentius, an prudenter, iudicent alij, id tanquam verum promit, & vt execrabile Romuleæ gentis facinus omnium ſæculorum, ac gentium memoria deteſtabile, gentili Symmacho ad turpiſſimum ſui pudorem exprobrat in faciem, ſic libro ſecundo inuectus;

Præcipites Scythica iuuenis pietate, vietum
Votino de ponte Patrem; ſic mos fuit olim.

Nec ipſum tamen doctiſsimum æquè, ac in priſcorum eruditionibus verſatiſsimum, poeſeoſque ſtudioſiſsimum non latuerit, quid in Faſtis cecinerit Ouidius, cum Iudicis perſona aſſumpta, quæſtionem hanc vt dirimeret; decernit; iniurium nimis antiquorum latinorum Patrum pietati, ſceleſtiſſimam hanc conſuetudinem, ferißimis quoque Leſtrigoni-

bus ipsis detestabilem, impingere.

Corpora post decies senum qui credidit annos
Missa neci, sceleris crimine damnat auos.
Cum putat, vt ferrent iuuenes suffragia soli
Pontibus infirmos præcipitasse senes.

Sextum Cani argumentum. Ad idem responso Assirius, qui Niniuem condidit, & Assiriorum Monarchiam fundauit, ipse est Ninus Babylonensis.

§. 56.

SExto iterùm ictu Annianum Berosum infringere conatur Cano, quòd falsò scribat Ninurotum illum fuisse, per quem vnà cùm Colonijs Assirius, Medus, & Magogus in Asiam missi sunt, vt Medorum, & Assiriorum imperijs, Magogicoque regno prima iacerent fundamenta. Huius falsitas apertissimè habetur ex his, quæ cap. 10. Gen. traduntur. Tres etenim modò recensiti viri ex filijs, & Nepotibus Iapeti erant; ideoque rationi magis consentaneum, illos missos à Patre Iapeto, seù ab auo Noemo, minimè verò à Ninuroto, ab illius namque potestate, & imperio erant exempti, vtpotè alterius familiæ.

Hoc tamen sæpiùs allata responsione primò diluimus: Nempè probare Annij Berosum Moysi contradicere, non esse (quod vtique suum foret) ostendere tale opusculum perperám Beroso inscribi. Quidem ex argumento infertur Berosum contradicere his quæ in Sacra Scriptura traduntur per Moysen, quod quidem nos minimè detrectamus.

Insuper secundo respondemus, nihil dissonum esse, quin missiones illæ per Ninurotum factæ fuerint, licet qui missi sunt alterius essent familiæ, Iapeti scilicet, & non Chami, neque Ninuroti. Fortè qui tales missiones subierunt vltrò illi se se dederant, vt sibi scelesta illa conscientiæ libertate viuere liceret, vtque comparticipes fierent in extruenda percelebri illa totius humanæ superbiæ fastigium turri, ac vrbe initianda. Constat enim non solius Ninuroti, suæuè

fa-

familiæ, ac stirpis opera, & ope tantum opus aggressum; sed indiscriminatim complures ex alijs familijs dedisse manus. Hinc Sacer textur id recensens ait: *Dixit alter ad proximum suum*. Rectè sub nomine proximi illi intelliguntur, qui & si familijs discriminenrur, sanguinis tamen cognatione sunt coniuncti: cuiusmodi erant primi illius sæculi gentes, omnes namque ad inuicem intra secundum, & tertium consanguinitatis gradum colligebantur, paucissimi vltra quartum distabant ab alijs.

Tertiò dicimus falsum esse quod supponit Cano, Asirium scilicet ex filijs fuisse Iapeti. Si totum. 1. cap. Gen., in quo vniuersa Patriarcharum progenies recensetur. perlegamus, vllum tali nomine recensetur. Vtique in Semi sobolem vnus tali nomine refertur, & est illius secundogenitus filius. Verùm non est ille Assur, quem Ninurotus misit in Asiam, & qui vnà cū Asiriorum appellatione Monarchię initia dedit. Licèt Vossius id asserat lib. secundo; Assur enim ille Semi filius Colonias suas potiùs in Ægyptū duxit, ibique fixa habitatione, de suo nomine gentē, & illius Regni vrbem denominauit, vt opinatus est Annius, qui & ad id interpræatur verba Isaię cap. 52. *In Ægyptum descendit populus meus à principio, vt colonus esset ibi, & Assur sine causa calumniatus est eum.* Plura seditionis, ac scelerum probra ei apud Pharaonem imponens, quare in illum desæuiens omninò delere conatus est.

Quartò dicimus Assur ille, à quo nomen, & Monarchię initia habuere Asirij ex Babylone fuit, & ex descendentibus Ninuroti, fuit namque eiusdem Nepos Ninus, qui & Beli filius. De eo expresè loquitur Scriptura Sacra Gen. cap. 10. & docet ex vicinijs Babyloniæ egressum, amplissimam vrbem Niniuem totius Asiriæ Metropolim condidisse, in quo longa annorum serie regale domicilium habuere illius gentis Monarchæ. *De terra illa* (loquitur de Babylonensi solo sacer textus) *egressus est Assur, & ædificauit Niniuem, & plateas Ciuitatis*.

Assur verò Niniuis conditorem Ninum Babylonium fuisse, & nomen ipsum vrbi inditum satis apertè ostendit, fert enim consuetudo, vt de sui conditoris nomine Ciuitates appellentur; & insuper communis Sacrorum Interpretum assensus id validissimè euincit. Ac tandem Xenophon in libello de æquiuocis, seù quisquis Author fuerit, exertis

verbis hoc idem affirmat: *Qui proprio nomine Assirius vocabatur, à quo Assirij dicti sunt; hunc Ninum, ideſt Iouem cognominarunt, & ab hoc cognomine Vrbs Ninus dicta eſt*. Loquitur verò Author expreſsè de Nino Babylonio, quem Scriptores omnes primum Iouem appellarunt, Cretenſe longè antiquiorem. Sacer igitur Author cum Aſſur dicit Aſſirium ſcilicet proprio ſuo nomine vocat. Prophani verò Scriptores Ninum dicunt cum Aſſiriorum Iouem recenſent; idque rationibus infra adducendis. Ex quibus omnibus prudentiſſimus Lector perpendat, quis nam ſacris litteris ſit conformior, Cano, licèt excultiſſimus, Annianus ne Beroſus, quamuis multiplici verborum barbarie infuſcatus. Iudicent qui legerint.

Septimum Cani argumentum. Ad id reſp. Semiramides non condidit, ſed Babylonem ampliauit. §. 57.

SEptimo ſuo argumento Reuerendiſſimus Cano contendit Annianum Beroſum nouo mendacio paginas conſpurcaſſe, quod dixerit (vt ipſi tamen videtur) Semiramidem Babylonem ædificaſſe. Negotium hoc publico legentium omnium iudicio vltrò committimus, qualecunque futurum ſit placitum ſubſcribemus. Neminem namque vel e ſola tabella elementaria ſublatum ignorare putamus, quid de Babylone cōſtruxerit coronata Virago. Nulla enim in hiſtoria, & fortè vllo in libello reticetur inter ſeptem Orbis admirabilia primum Męnia Babylonis fuiſſe, quæ celeberrima illa Mulier totius fęminei ſexus viuens, ac ſpirans miraculum profuſis expenſis, ſumptuoſiſſimoque faſtu in regiæ ſuę ciuitatis munimen conſurgere iuſſit. Nec a communi ſententia, vel latum vnguem recedit Beroſus, ait enim: *Ipſa hanc Vrbem maximam ex Opido fecit, vt magis dici poſſit illam ædificaſſe, quàm ampliaſſe*. Cur quæſo pro eodem gratis accipere vult ſcientiſſimus vir, hoc ampliare, & ſumptuoſa excitare ædificia, vt ferè dici poſſit ex integro condidiſſe, ac ſi diceret vlla abſque reſtrictione à fundamentis erexiſſe? Mirum dictù! quanto niſu, minutiora quæque ſe-

ctetur, & vt communi cum proloquio dicam, nodum querat in scirpo, vt Annium oppugnet.

Nec ab Anniano Flauianus discrepat Berosus, vti perperàm opinatus est Cano, nam & loco citato, & p. contra Apionem, arguit tantùm Græcos Scriptores, quòd assererent à primis initijs Semiramidem Babylonis fundamenta iecisse; non verò quod tantùm ampliauerit, seu mœnijs ingyrum munierit. Non pigeat verba Iosephi perpendere loquitur de Beroso his verbis. *In libro suo Chaldaicorum culpat conscriptores Grecos, quasi vanè arbitratos à Semiramide Assiria Babylonem ædificatam, & mira opera ab illa circa eam fuisse constructa*. Quibus ex verbis legenti patet, Berosum non carpsisse Græciæ Scriptores, quod dixerint Semiramidem plura, ac mira in Babylonis gyrum ædificia construxisse, hęc enim non culpasset, vtpoté vera, sed coarguit scripsisse eam à primis initijs ex integro excitasse, quod veritati est dissonum.

Et ne eiusdem furfuris inspersos latinos quoque Authores insimulemus, nempè Semiramidi prima Babylonis initia tribuisse, sensu modò explanato eorum dicta intelligenda arbitramur: vt est illud Propertij Eleg. 9. lib. 3.

Persarum statuit Babylona Semiramis Vrbem
Vt solidum cocto tolleret aggere opus.
Et duo in aduersum missi per mœnia currus
Ne possent tacto stringere ab axe latus.

Propertio occinit Claudianus lib. p. in Eutrop.

Creditur & centum portis Babylona superbam
Fœmineus struxisse labor.

Accuratiori tamen expresione protulit quid sentiret Ouidius, ait enim Vrbis ambitum propugnaculis communitum, non ex integro, á primo vè lapide vrbem excitatam, ideòque Metamorph. 4. Pirami, ac Thisbes infęlices amores describens, eosdemque Babylonios, ac domestico domicilio coniunctos referens, ait

Contiguas habuere domos, vbi dicitur altam
Coctilibus muris cinxisse Semiramis Vrbem.

Hoc eodem sensu cecinere duo nuper citati Vates, omnesque quotquot de his ædificijs aliquid attigere Scriptores. Id enim vnum verum, Assiriorum Heroinam muros ædificasse per Vrbis circuitum, turres extulisse, ac in ipsa tur-

rium celsitudine adytus portarum aperuisse. Alijsque compluribus magnificentissimis ædificijs amplissimam Vrbem illustrauit, inter quæ instar Solis minutiorum syderum agminibus septi, regale suum excellebat domicilium procerrima, ac venustissima concinnitate in arcem assurgens, rutilo profusi auri splendore intuentium acies perstringens. Ità geographico suo in poemate refert Dionysius Africanus.

At partes Austri est Babylon, quàm mœnibus olim
Mirandis posuit, firmisque Semiramis Vrbem,
Cuius in arce domum splendentem fecerat auro,
Quam simul argentum variè decorauit, eburque.

Octauum Cani argumentum Ad idem resp. Annianus Berosus perperam exagitatus, eo quod scripserit Regem Aegypti in Arabico sinu submersum.

§. 58.

OCtauo suo argumento probat Cano Annianum Berosum Flauianum omninò non esse, quod Ægyptiorum Regis, quem illius gentis Authores Acencerem appellant, Hebræi Pharaonem, iuxta morem illorum Regum, vt pluribus insignirentur nominibus, extremum in vndis vitæ periculum fecisse prodit, de quo tamen nec verbum habet Flauianus. Quam autem verum sit legitimum Berosum qualis est ille, quo vsus est Iosephus nihil de naufragio illo retulisse ex eo euincere conatur Cano, quod nunquam Hebręorum historicus tale testimonium Apioni, contra quem stylum acerrimè ad defensionem intorquebat, obiecit. Cum enim vt antiquissimum suę Gentis progeniem ineluctabili argumento euinceret, longum exterarum gentium, ac Nationum Authorum, penes quos quidpiam de Hebræorum gestis recensetur, congerat agmen, & in horum serie Berosi quoque Assiriorum historici plura fragmenta referat, vtiq; si quid de celeberrima illa submersione in eis reperisset, ab eo fuisse posthabitum quis vnquam poterit rationabiliter suadere? plurimum namque ad vetustissimam Proauorum

 anti-

antiquitatem ostendendam, quam Alexandrinorum grammaticus toto conatu inficiabatur, conducebat.

Bone Deus quousque perdurabunt innoxium lacessere toties repetitæ negatiuæ authoritates? Flauius Iosephus hoc non refert, ergo neque Chaldæus Berosus id scripsit? Vah quæ consecutio! Sapientissimus Antistes adeò profundè Theologica omnia arguendi loca discutit, & aperit, nec vnquàm tamen locum hoc ab authoritate negatiua in præceptis commiscet. Cur igitur tam spissa consimilium argumentorum tela in Annium eiaculat. Nimio quasi videtur zelo accensus in fratrem suum. His addimus rectæ rationi minimè repugnare Berosum fortè vno in commentario id conscripsisse, præterijsse in alio. Vel etiam in libris, quibus est Flauius id præstitisse, quod tamen in apologetico recensere, vt iam Ægyptijs omnibus, ex quorum natione erat Apion, notissimum æquè ac vulgatissimum, post habuerit.

Nonum Cani argumentum Responsio. Cur Annianus Berosus Abrahamum præterijt.

§. 59.

NEc in nonò argumento à sibi consneta arguendi forma recedit Cano, sed insistit Annianum Berosum, minime illum esse, quem toties citat Flauius, cum Annianus omninò Abrahamum silentio obuoluat, Flauianus verò eiusdem mentionem fecerit, teste ipso Iosepho asserente primo Antiq. *Meminit autem Patris nostri Abrahami Berosus quoque.*

Eueruato poplite istud quoque plurimum claudicat argumentum, nihilominus respondemus: Annianum Berosum gesta, nomenque siluisse Abrahami, tum quià compendiosam conficiebat narrationem, ideòque plurima ex voluminosa sua Chaldæorum historia intacta reliquit. Tum quia deflorationem Græcis scribebat, quibus nihil intererat scire de Abrahamo, Isaaco, vel Melchisedecco, & de quibusque alijs Hebræos tantum spectantibus, cum quibus vllum vnquam intercesserat commercium, ac propterea in Hebræorum gestis penes insciј ferme cæcutiebant.

Decimum

Decimum Cani argumentum. Responsio. Cur in Anniano Beroso non fiat mentio de Sennacherib. §. 60.

DEcimo verò pariter negatiuo argumento vires suas roborare nititur Cano, quia noster secùs ac Flauianus res Sennacherib recensere prætererit, qui vnus ex Chaldæis regibus fuit, postquam disruputm iam, ac in frusta discerptum immensum illud Monarchiæ corpus, magna ex parte sub Medorum sceptro venerat. Hinc ergo vult elicere Canariensium Antistes non eiusdem esse Authoris opus, euulgatum ab Annio, & à Iosepho toties citatum, ideoque commentarium illud quod propungandum assumpsimus falsum esse, cum extra omnem dubietatis aleam verissimum sit Flauianum.

Huic vires hebetamus, aciemque retundimus, ne vel cutem ipsam intentatam vulnus aperiat, dum dicimus, si pari passu scriptionem suam extendisset Berosos in libello deflorationis, ac ingenti in volumine vniuersalis Chaldæorum historiæ, nedum Sennacheribum nominasset: verùm Nabulassarum, Merodacum, Nabuchdonosorum, ceterosque eiusdem successores vsque ad Balthassarum, cuius in funere Chaldæorum pariter, & Assiriorum imperium tandem esse desijt: de his enim omnibus in historijs à Iosepho citatis mentionem fecit. Verùm decurtato hoc, ac veluti contracto deflorationis volumine in Ascaltide sistit, si Manethoni in Annianis fragmentis credimus; Ipse namque in initio huius epitomes Chronicorum Regum Ægypti cum proposuisset prosequi velle Regum suorum historiam vnà cum illa Assiriorum ab eo loco, in quo substiterat Berosus: propositum posteà suum exordiens, Assiriorum Regum res incipit à Beloco secundo, qui Ascaltidi nuperimè laudati immediatè successit. Patet ergo Berosum suæ historiæ finem imposuisse cum Ascaltidis regno.

Vndecimum Cani argumentum. Responsio. Ad inuicem conciliantur Metasthenes, Manethon, & Berosus. §. 61.

HAc vndecima oppugnatione Annium pœnitus obtritum, ac exanimen arbitratur Cano, cum suis ipsius armis eũ confodiat. Anniano namq; Metasthene Annianum Berosum, & Annium ipsum perstringit. Notat enim Cano Metasthenem asserere Berosum de Monarchis Assrij historiam contexuisse vsque ad Tonosconcolerum (procul longissime amandat Iosephus Scaliger nomen hoc, vt potè supra omnem barbariem horrisonum, ac ferum, ideoque confictum censet, quamuis Eusebius in Chronicis vt verum, ac legitimum reponat) quem Latini, atque Græci Sardanapalum appellarunt. Ille quidem solo suo vitio notus, & sola infamia celeberimus. Ille qui tanta decidia vitam transegit, vt id vnum toto dierum suorum decursu laude dignum gesserit, quod sibi vitam ademit. Tunc solum suspiciendus cum scelestissimam vitiorum seriem, vitali sibi filo intercisso, disrupit: non ergo in Ascaltede historiam suam absoluit legitimus Berosus vt in Anniano legitur.

De his pariter agens Ioannes Franciscus Tintus Veronensis lib. 1. de Veronæ nobilitate, originem antiquissimę Vrbis euoluens, omnia Annij volumina damnat, & contra singula peculiares eiaculat obiectiones, quæ tamen omnes id vnum collimant, ea minimè esse talium Authorum legitima opera, quod contractæ sint molis, ac nimiùm decurtatæ breuitatis. Verùm cuncta hæc supra diluimus obiecta, cum singillatim euulgata omnia Annij volumina euentilauimus, & contra impugnantem Vossium pro viribus vindicias egimus. At contra Berosum duo peculiaria conficit argumenta. Primum quod iste Berosus nihil habet ex his, quę ex vero, & legitimo Beroso refert Iosephus in lib. suis contra Apionem. Et præcipuè quod Annianus subsistit in Ascaltede, Flauianus verò ad Nabuchdonorum vsquè, immò, & ad Cyrum prosequitur. Secundum, quod vtique militat etiam contra Annianum Manethonem est. Nam Annianus Manethon asserit Berosum conscripsisse tantùm

vsque

vſque ad tempora belli Troiani, cum tamèn teſtimonio Ioſephi habeamus ipſum narrationem ſuam elongaſſe ad regnum vſque Cyri.

Ad primum reſpondemus non ſatis apertè conſtare an Metaſthenes, cum dixit Beroſum ad Sardanapalum vſq; conſcripſiſſe, loquatur de Defloratione, an verò de perfectis, ac integris eiuſdem Chaldæorum annalibus. Nam ſi volumus eum locutum de Defloratione, ità quod in ea conſcribenda ad Sardanapalum vſque peruenerit, neceſſe eſt dicere volumen ab Annio traditum eſſe detruncatum, vel quod ad Annij manus integrum minimè peruenerit, vel quod non euulgauerit: Ab Aſcaltede namque ad Sardanapalum decem & octo Monarchæ interuixere: ſic ergo Deflorationum opus vltra medietatem mutilatum haberemus; cum & nos ſupra dixerimus decem & octo in volumine, quod tradidit Annius, contentos eſſe Monarchas. Aduerterat hoc Ioannes Bodenus ideoque cautè proceſſit, & librum hunc Beroſi fragmenta appellauit. Verùm & ſi volumen adeò detruncatum habuerit, nihilominùs minime iuit inficias, quin legitimum eſſet Beroſi opus, nec adeò validè paſſus eſt à ſcrupulis animum ſuum extimulari, ſi genuinum admitteret, veluti doctiſſimus noſter Canarienſium Antiſtes.

Si verò locutum volumus Metaſthenem de integro annalium opere, ita quod ſit ſenſus, Beroſum in eo ſcripſiſſe ad Sardanapalum vſque; tali quidem pacto perfectum habebimus Deflorationum librum, licet in Aſcaltede ſiſtat, ſed modus omnis nobis adimitur conciliandi Metaſthenem cum Ioſepho, à quo habemus Beroſum ſua Chaldæorum in hiſtoria Aſſirios omnes, & Chadæos reges complexum vſque ad Balthaſſarum, immò ad Cyrum, vt ſupra viſum eſt.

Pœnes eruditum Lectorem ſit, ex binis hiſce interpretationibus quam libuerit eligere. Si Deflorationem perfectam velimus contradicentem Manethonem ſuſtinebimus, cuius teſtimonio Beroſus ad initium tantum belli Troiani deflorationem duxit, & in eo narrationis filum ſuccidit, & hoc quidem coincidit cum tempore regni Aſcaltedes: at ſi cum Manethone Deflorationem in Aſcaltede abſolutam dicamus, Metaſthenem aduerſantem audiemus, ad Sardanapalum tantùm protra&am Beroſi hiſtoriam. Cui ſi dicamus Metaſthenem non intellexiſſe de Defloratione, ſed de

integro historiarum opere, Flauius se se obijcit asserendo Berosum Chaldæorum Monarchiæ historias conscripsisse ad finem vsque illius, & fortè vlterius prosequutum, & hoc est quod secundo suo in argumento opposuit Tintus contra Annianum Berosum.

Si placuerit secunda hæc sententia, vt integram, completamque demus, qualem quinque libris digestam conscripsit Berosus, deflorationem, huic oppositioni satisfacere possumus dicendo, Metasthenis sensum non esse, Berosum sua Chaldæorum in historia ad Sardanapalum tantum peruenisse, vt solum quod ad illum vsque locum eum sibi Ducem præstituere intendebat, vel quod de facto vestigijs illius inhæserat in sua Persarum historia, quod vllo ab alio autenticbas, certasque rerum gestarum ad Sardanapalum vsque notitias potuerit excipere, nisi à solo Beroso; quippè qui publica authoritate, & approbata fide sua conscripserat annalia; cuncta enim excerpserat ex authenticorum scriptis, in Chaldæorum bibliothecis, ac templi integra fidelitate, ac diligentia asseruatis: cum e contra Susianis in bibliothecis, in quibus annalia, Persarumque gesta custodiebantur, tam vetustæ antiquitatis notitiæ non extabant. Verùm cum ad subsequentium Regum tum Assiriorum, tum Medorum, tum etiam Persarum, à Sardanapalo nempe vsque ad Balthassarum gesta conscribenda peruenisset, Berosi lumine amplius non indiguit, nec ei opus erat authenticas ex ipso notitias excerpere, has enim omnes probatiores habebat Susianis ex bibliothecis, in quibus Persarum sacerdotes exemplis Assiriorum edocti, quos armis subegerant, ex regum præscripto, & publica authoritate gestorum acta inscriptis redigebant, peruigili custodia indè asseruanda.

Post obitum namque deiectissimi Sardanapali, cui viriliter agere per summam ignauiam vnquam licuit, nisi cum supposita ingenti aromatum strue seipsum vnà cum thesauris suis flammis donatum redegit in cineres: Execrandam omnium memorijs vitam traduxerat, mortem cunctis extollendam oppetijt, sic nãque vltrici rogo in se solo vitia cuncta damnauit. Mortuo igitur abiectissimo Rege, vastissimum illud Assiriorum Regnum in partes discerptum est. Medi Arbacis valore potissimam partem occuparunt: reliquum per Belocum secundum Chaldæis asseruatum. Sicque Medi

rebus

rebus Monarchiæ, ipso sub exordio fluctuantibus, optimè compositi, celeberrimoque sibi comparato nomine, subiectorum optimum institutum de publicis instituendis archiuis, ne cum hominibus præclara quæque ab eis gesta interirent, saluberimo consilio amplexarunt. Ab his ergo ait Metasthenes subsequentes excerpsisse notitias, ac imposterum suos velle Authores sectari Medos scilicet, & Persas; nec ampliùs à Chaldæis mendicare, vel Berosum deinceps, nec cæteros à Persis exteros sequi velle scriptores.

Hanc legitimam esse Metasthenis intelligentiam ex ipsius contextibus optimè perpensis euincimus. Metasthenes enim initio sui voluminis cū Berosū probatissimæ fidei Authorē de rebus Assirijs proposuisset, ideòque dignum vt illius inhæreret vestigijs, posteà subiungit. *Omne tempus Assiriorum digessit ex antiquorum annalibus, quem solum, & vnum sequimur Persæ.* En quam apertè Metasthenem locutum de integro, ac voluminoso Annalium opere, dum ait, in eo distinctè omne tempus Assiriorum Monarcharum digessisse, quod vtique in defloratione minimè fecit, dato etiàm eam ad Sardanapalum vsque duxisset; nam inter hunc, & primum Assiriorum Monarcham Ninurotum, non omne tempus Assiriorum Regum perstringitur, longè namque vlterius excurrit vsque ad Balthasarum, in quo Monarchia illa tandem interijt, & per Cyrum ad Persas migrauit.

Præmisso igitur hoc de firma, & graui Berosi authoritate testimonio, Regum Assiriorum seriem de quibus egit Berosus, prosequitur Metasthenes, nec vltra Sardanapalum procedit, ait namque. *Hucusque Berosus. Nos autem illum imitati nullo alio Authore vsi sumus imposterum quàm publica Susiana bibliotheca, in qua annales Persarum ferunt fuisse Belocum, &c.* Et Regum successionem prosequitur iuxta Persarum annalia, & Susiani archiui, sicque omnia conueniunt, & cunctis satisfactum est.

Ea igitur, quæ hucusque latiùs sumus prosecuti restringendo primò dicimus, Berosi deflorationem hanc non esse integra historiarum volumina, quæ congesserat Author, quorum fragmenta carptim referuntur à Iosepho. Sicque prima Tinti obiectio diluuitur.

Secundò respondemus, Berosum hanc deflorationem vltra Ascaltedem non protraxisse, huius autem ratio esse

potest; quia Græcis deflorationem scripsit, quibus cuncta ante belli Troiani gesta incerta, obscuritatis, & ambiguitatis plena, & insomnijs, ac fabellis immixta fuere. Testis est Diodorus Siculus in proemio suorum librorum. *Ante Troiana bella nihil certi haberi potest*. Idque ex defectu Chronologiæ: non enim apud illos res, & gesta regulari aliqua, & firma temporum supputatione fuerant adnotata, vt post Olympiadum institutionem factum est. Ob id ergo cum Græci de gestis, ac Regibus ante Troianum bellum perperam conscripsissent, & per insc tiam omnia maximis scaterent erroribur, Beroso igitur opus fuit, vt hæc emendaret, illos instrueret, & certis Chaldæorum annalibus cuncta veluti in epitomen excerperet, & veluti temporum breuiarium Regum, Nationum, consimiliumque rerum gestarum notitias, quas Græci, vel non sine errore, vel penitùs ignorabant, perspicua facilitate in compendium redigeret. Hisque secunda Tinti oppositio manet soluta.

Postremò vt & Methastehi consulamus, dicendum; eum non absolutè asserere Berosum ad Sardanapalum tantum vsque conscripsisse, sed quod eum sibi Ducem eo vsque delegerat; & ita omnia componuntur, nec vnum alteri aduersatur, & aduersantium obiectiones disoluuntur. Vnus tamen Cano adhuc in Berosi deflorationem insistit, & noua oppugnatione lacessit.

Vltimum Cani argumentum. Responsio. Berosus corum, quæ scripsit, historiales, verasque notitias habuit. §. 62.

De manibus eruditorum hunc Berosi libellum excutere conatur Cano, quod nulla verisimilitudine fulciatur, & (fortè in animo fuit dicere omni posibilitate carere) Berosum virum Babylonium, & vetustę adeò antiquitatis, tot dissitarum Nationum, variarum Gentium tot peculiaria gesta, resque adeò singulares nouisse, quæ in Anniano volumine continentur.

Vt obiectionem hanc diluamus Lectoris mentem reuocare oportet (si fortè exciderit) ad ea quæ supra luculen-

tiùs disseruimus, quæ hic pariter breuitèr repetemus, vt altiùs memoriæ adhæreant, quibus hæc nostra legere non pigebit, at compendiosa breuitate, ne humanitatem, qua nos prosequuntur, nimium grauemus. Dicebamus ergo ex Diodoro Siculo celebrioris nominis Historicos, & authoritatis, qui de Gentium moribus, regionibus, ac gestis vniuersali historia conscribere voluerunt, antequàm ad tabulas stylum conuerterent, & carthis calamum admonerent, primùm diú orbem peragrasse, plurimasque Nationes diligentissima vestigatione inuisisse, vt ipsi non ab emendicatis, ac plerumque incertæ fidei testimonijs conscribenda colligerent, sed per se ipsos, proprio intuitu, & certa scientia res omnes proprijs haurirent e fontibus. Immò Sanctus Alexandrinorũ Patriarcha lib.p. cõtra Iulianum Apostatam addit. *Habebant Scriptores pro decore magno si nihil, quod factum erat in suis libris silentio præteriissent: quapropter omnem peruagabant terram, semper aliquod discere volentes.* In his libenti animo sisteremus, vt celeri gressu ad optatum huius dissertationis finem conuolaremus, sed prohibet Pater Antonius Posseuinus nouas proprio marte molitus difficultates & pedem sistere cogit: ait enim Annij Berosum minimè Flauianum esse, cum (teste Iosepho) Berosus tribus libris Chaldæorum historias complexus fuerit, iste verò vnico cuncta claudit.

Huic primò respondemus Annianum Berosum nedum vno, vel tribus, sed quinque libris per eum conscripta absoluisse.

Secundo dicimus Annianum breuiarium esse, siue epitome, & compendium maioris operis, nosque contendere quidem eumdem esse Authorem, minimè verò eumdem librum.

Tertiò dicimus, Nos in Posseuino exactiorem desiderare diligentiam, ne, quod ad iniuriam verti posit, fidelitatem dicamus, in reponendis, quę ex Hebręorum historico colligit lib. I. contra Apionem. (Sic locum citat Posseuiuus) Berosum scilicet tribus tantum libris historiam conscripsisse *de rebus Chaldaicis*. Nec enim ibi, alioue in loco habet Iosephus quot de his conscripserit libros. Verùm quidem citat ipse tertium Berosi librum, at expresè non habet, hunc tertium vltimum fuisse, nec plures edidisse: etiam si hoc

ex contextu colligi posit. Eo enim libro contra Apionem refert Berosum generationes contexuisse serie nūquàm interrupta á Noemo ad Nabulassarum vsque Magni Nabuchdonosoris patrem. Et paulò inferiùs dum librum citat, in quo de his Regibus agit, tertium fuisse dicit. Hinc prouenit Clementem Alexandrinum, & Tatianum scripsisse, Berosum tribus libris suas omnes de rebus Chaldæorum historias compræhendisse.

Verúm si quis attentiùs Iosephi textus perpendet, equidem deprælhendet eum dixisse, Berosum Chaldaica sua historia seriem descendentium à Noemo ad Nabulassarum vsque elongasse, minimè verò reperiet asserere illum annualia sua vlteriús non protraxisse. Immò ex ipsius Iosephi citatis testimonijs euincitur longiùs à dicto Rege historiam deduxisse, cum de Nabuchdonosoro, Eluelmarodocco, Niriglissoroore, Laborosardocco, & Nabonido, omnes Nabolassari successores conscripserit, & ad Cyrum vsque suam narrationem perduxerit. Non igitur adeò apertè, ac dilucidè (vt in Annij dedecus suadere intendebat Posseuinus) ex Iosepho habetur tres tantum esse Berosi libros.

Annianus Berosus antiquarum eruditionum studiosis plurimùm vtilis. Falsitatis eum nemo conuincere potest. In reconditis, ac minimè peruijs notitijs concordat cum Authoribus certissimæ fidei, ac celebrioris nominis. Dardanus Troiani Regni institutor Italus fuit, id refert Berosus, quod & Virgilius dixit. §. 63.

BINA alia Posseuini argumenta, cum ab vndecima Cani obiectione iam diluta, nouam non ingerant difficultatem, ne crambem recoctam iterùm reponamus, illis posthabitis, ad finem nostræ huius Apologiæ properamus; quam in conficienda nedum nostram consuluimus indigentiam, vt proposueramus ab initio, verum etiam studiosorum vtilitatem, ac comodum, vt sic iam impauidè, ac fine vlla

hæsitatione clientuli nostri libro vtantur, siue Berosianus sit, siue Annianus, seù quilibet alius illius fuerit Author. Nam & si Apocryphus, & dubiæ sit originis, non tamen contemnendum, & blattis escam relinquendum censemus: immò maximè vtilissimum fore arbitramur pro vetustis antiquorum notitijs comparandis. Nec quis vnquam, vel apertæ falsitatis, vel notorij mendacij eum poterit redarguerè: quinimmò in his omnibus, quę per Authores indubiæ fidei, ac magni uominis probari, & reperiri possunt, constat nec latum vnguem à veritatis semita se vnquam elongasse. Nec, vt supra ostensum est Sacrę contradicit Scripturæ, immò in historijs plurimùm conformem depræhendimus.

Cum Tacito consentit in asignandis Germanorum progenitoribus, eos namque fuisse, ait, Tuisconem, & eiusdem filium Manum. Quoad Reges Asirios cum Eusebio in Chronicis conuenit, pariter, & quoad Ægyptios, & alios, vt Dionysius Gotofredus, *Vir clarissimus*, cuius in encomijs se Vossius effundit, & validissimè, æquè ac doctissimè pro Annio decertauit, verosque, legitimos, ac sinceros esse libros, quoscumque in maiorem eruditorum profectum euulgauit, solidissimis rationibus defendit; & contra proteruientes impugnatores præcipuè scriptum reliquit. *Quod si morosè, ac pertinaciter in istis Authoribus recusandis manserint, eodem per me licet loculamento in bibliothecis suis Berosum, & alios asseruent, quo Herodotum, quo denique priores Dionysij Halicarnassei, ac maximè Plinij historici libros*. Ingenua igitur libertate fatetur eruditissimus vir, ni in Annium, & euulgatos ab eodem libros malignè proteruire velint, seque non veritatis amore, sed efferati odij affectu duci, & agitari fateantur, vt eadem saltem existimatione hos omnes habeant, parique pretio expendant, quo Herodotum, Halicarnasseum, Plinium, consimilesque rerum antiquarum Scriptores: nec enim vt inferiori ab his honoris subsellio detrudatur vllo pacto sunt promeriti. Cęterùm Vossius amarulento risu comparationem hanc illudit, aitque id esse comparare. *Noctuam Aquilæ, Picam Lusciniæ, Culicem Elephanto*. At nos plurimùm vrgemur ne de illo sileamus, tale effatum satis superque arrogantiæ, ac temeritatis olere, dum tam longè amendato debitæ modestiæ pudore tot vi-

ros in historiarum studijs, & in antiquorum eruditionibus, nec ipsi postponendos, sed dignissimè æquiparandos carpat, vellicet, & pessumdet, quasi obtusi fuerint iudicij, menteq; hebetati. Nec enim solus modó laudatus Dionysius, sed& alij complures Scriptores, ex quo hinc indè huiusmodi quęstio euentilatur, vt legitimos recepere Annij libros, plurimisque encomiorum laudibus pro vigili sua diligentia, & eruditione scientissimum virum cumularunt.

Vnum ex his selegimus, quod & ipse celeberrimi sit nominis, & satis illustri encomio Annium exornauerit, Celius scilicet Curionus doctissimus, ac eruditissimus vir, in commentandis Tullij orationibus nemini certè secundus: hic laudatissimus Author ad nonam Philippicam Antiquarij nostri eruditiones ad sui propositum assumens, ait: *Antiquitatum studiosissimum, ac scientissimum*.

Insuper concordat noster Annius cum Lactantio Firmiano in suo libro de errorum origine, & iste cum textu sacræ Paginæ ad cap. 14. Sapientiæ, dum Ninum primum Idolorum inuentorem assignat; idololatriam namque ipse erga defunctos viros instituit, sicut Ninurotus eiusdem Auus erga corpora cęlestia, & elementa inuexerat. Et conuenit cum Virgilio, vbi canit:

Primus ab æthereo venit Saturnus Olympo
Arma Iouis fugiens, & regnis exul ademptis.

Pariter & cum Ouidio, qui Ianum ita alloquentem inducit.

Hac ego tellure (memini) Saturna recepi
Cælitibus regnis ab Ioue pulsus erat.

Et cum Macrobio primo Saturnal., in quo Saturni aduentum in Latium narrat. Declarat enim Berosus noster hunc Poetarum Saturnum Sabazium fuisse Armenum, regno expulsum à Nino, quem supra ostendimus, & infrà repetemus, Iouem fuisse Assirium.

Verúm si Berosi nostri loca omnia, in quibus cum celebrioris notæ Authoribus vnisonus est, adduceremus, plurimùm vtique dissonantiæ præ nimia prolixitate in legentium auribus perstreperet, eorumque patientiam nimiùm fatigaremus. Quos tamen percurrere non tędet, monemus, vt eiusdem Annij commentaria perlegant, & apertissimè depræhendent, cuncta Berosiani textus asserta testimonijs pariter comprobari Diodori Siculi, Strabonis, Taciti

Trogi, Melæ, Plinij, Solini, Tolomæi, Eusebij, Firmiani, Varronis, Virgilij, Ouidij, Propertij, omnium denique historicorum, Poetarum, ac Geographorum selectioris notæ, & insignioris famæ. In hisque pręcipuè reperient pęnitiora gesta, resque minùs peruias, abstrutiores, ac veluti inter latibula antiquitatis delitescentes per clasſicos Authores comprobari. Vnum, vel alterum hìc subijciemus exemplum vt cęteris fidem astruamus. Primum sit. Berosus prope finem lib. 5. ait. Dardanum primi Regni Troiani institutorem, & à quo integra illa Prouincia Dardania est appellata, ex stirpe Hetruriæ Regum ortum; hic enim Italia secedens, & regione illa Asiaticę Phrygię occupata ad latus Montis Idæ castrum extruxit, quod de sui nomine Dardanum dictum. Hęc historia, quòd remotior sit ab hominum notitia, & vetustisſima sua antiquitate veluti exesa, nec à Scriptoribus recensita, & quod etiam à Gręcis pluribus immixtis fabellis fuerit immutata, inter insomnia, & anilia deliramenta computatur: quam tamen diligentisſimus antiquitatum vestigator Annius Principis Poetarum testimonio Æneid. 7. confirmat. Vates verò testimonium à traditionibus seniorum Aruncæ excerpsit; Regemque Latinum Troianorum oratoribus sic alloquentem inducit.

Atque equidem memini (fama est obscuaior annis)
Aruncos ita ferre Senes: his ortus vt agris
Dardanus Idæas Phrygiæ penetrauit ad vrbes,
Treiciamque Sammum, quæ nunc Samothratia fertur,
Hinc illum Coriti Tyrrena absede profectum.

Idemque per Vatem ab Oratore Ilioneo confirmatum apud Latinū Regem legatū agente pro Ænea, his verbis astruitur:

Hinc Dardanus ortus,
Hùc repetit.

Idem dicit octauo, dum Regi Euandro Ænæam Dardani genealogiam recensentem inducit, quæ vtique nihil à Berosiana discrepat hoc cantu.

Dardanus Iliacæ primus pater Vrbis, & Auctor
Electra, vt Graij perhibent, Atlantide satus,
Aduehitur Teucros: Electram maximus Atlas
Edidit &c.

Huiusmodi verò apertisſima Virgilij testimonia minimè contemnenda veniunt quasi Poetę fabulantis fuerint deli-

ramenta, sunt namque veræ, ac legitimæ historiæ narrationes, quas Romanorum omnium primus, ac eruditissimus Monarcha, Octauianus Augustus, sua authoritate roborauit: minimè namque Æneidum libros flammis permisit, vt Author testatum reliquerat, nedum ob venustissimum carminis leporem, iucundissimumque, ac grauissimum stylum, verùm maximè vt in his superstites asseruarentur antiquarum Gentium Latij historiæ. Id sulpitius Cathaginensium Vates cecinit, quem refert Donatus in vita Virgilij, hisce Elegiacis, quos Augusto inscripsit.

Iusserat hæc rapidis aboleri carmina flammis
Virgilius, Phygium quæ cecinere Ducem.
Tua vetat, Variusque simul: tu maxime Cæsar,
Non sinis, & Latiæ consulis historiæ.

Narrat Berosus Latinorum Saturnum, Sabazium nempè, Sabum filium suum in Sabinorum Regem instituisse, & ab eo Sabinos vocatos, quod à Sillio, & Virgilio comprobatur. Vndè ortus fuerit error, Romæ fuisse Simoni Mago statuam erectam. Quis fuerit Phorcus, quasque colonias in Sardiniam duxerit, quodque nomen eidem imposuerit. §. 64.

SIt in secundum exemplum illud Berosi assertum lib. 4. de tempore quo regnauerit Semiramis, Sebazium nempè Armenum, (quem Gentiles à Ioue regno expulsum fabulantur, quodque ventus ad Italiæ ora à Iano receptus, & in partem sceptri admissus fuerit) in Sabinorum Regem Sabum filium suum instituisse, à quo populi illi Sabini dicti sunt: Id non solum vulgaribus in historijs ignotum erat, verùm & aduersatur his, quæ Plinius Græcis scriptoribus inhærens, (Cap. xi lib. 3.) scripsit turgido enim quodam factu illi totius orbis nationes Atticam duxisse originem somniarunt. Capite namque 11. lib. 3. ait denominationem sumpsisse à græco verbo *Senome* quod deuotum, & diuino cultui mancipatum significat, vndè

Seuini appellabantur, quam vocem vſus inde in Sabinos cõmutauit. Verùm Annius noſter ſui Beroſi impiger aſſertor eiuſdem ſententiam Silly Italici teſtimonio roborauit. Ille enim lib. 8. de bello Punico loquens de Sabinis ita cecinit.

Hinc Amiterna cohors, & Bactris nomina ducens
Caſperula, & pars lati ſanctum voce canebant
Auctorem gentis, pars laudes ore ferebant,
Sabe tuas, qui de patrio nomine primus
Dixiſti populos magna ditione Sabinos.

Immò integro nomine, Sabinum ſcilicet, appellatum cenſemus ipſum Sabinum auctorem, idque teſtimonio Virgilij ſuadetur 7. Æneidum: eo enim loci recenſens antiquorum Heroas, priſcoſque Aboriginum Latij Patres, quorum effigies, & ſimulacra ſacra in æde Pici cernebantur, in qua Rex Latinus, eiuſdem nepos, ac ſucceſſor, Troianorum Legatos excepit, tali carmine pandit.

Quin etiam veterum effigies ex ordine auorum
Antiqua ex cedro, Italuſque, Paterque Sabinus,
Vitiſator, curuam ſeruans ſub imagine falcem,
Saturnuſque ſenex, Ianique bifrontis imago
Veſtibulo adſtabant &c.

ni fortè vim habeat adiectiui, ſic quod Sabinum Patrem dixerit, hoc eſt Sabinorum Pater.

Pater igitur, Author ſcilicet, & Sabinorum propagator Sabus Saga appellabatur; tale autem agnomen traxerat à Patre, quem Sabazium Sagam vocarunt: hoc eſt verbum aramæum, & Sanctum ſignificat. Hinc Latini adnominis ſignificationem intenti Sabum Sanctum appellarunt. Verùm quidem non eadem apud omnes interpætatio: quidam enim Sanctum vertunt; quidam cum Plinio lib. 8., & D. Aug. lib. 18. de ciu. Dei cap. 9. Sangum dixerunt: ait namque Hipponenſium Epiſcopus: *Sabini etiam regem ſuum Sangum dixerunt, ſiuè etiam vt aliqui appellant Sanctum, retulerunt in Deos*. Seú tamen Sanctus, ſiue Sangus, vel Sancus dicatur idem eſt; & apud illos tanta veneratione proſequebatur, vt ſub eius nominis inuocatione ſanctiora promerent iuramenta, & ab hoc etiam Fidius dicebatur, vt habetur ex Ouid. Faſt. vlt.

Querebam nonas Sancto Fidio ne referrem,
An tibi Semo Pater; tunc mihi Sanctus ait:

Cuicumque ex istis dederis, ego munus habebo
Numina terna fero: sic voluere Cures.

Ex quibus habetur vnum fuisse Numen, Sanctum, Fidium, & Semonem; & fortè hoc tertium agnomen fuit Sabo inditum. Hinc irrepsit error, quem refert Sanctus Philosophus, & martyr Iustinus secunda sua apologia pro Christianis: Simoni nempe Mago, qui de miraculorum gloria cum Apostolorum Principe ausus est contendere, Romæ simulachrum ereſtũ fuisse, hac inscriptione. *Semoni Deo magno.* In quo plures tanti Viri authoritate permoti prolapsi sunt Scriptores, inter quos Sixtus Senensis lib. secundo suæ Bibliothecæ Sacræ. Nunquàm Samariæ præstigiatori huiusmodi honores sunt collati, sed Sabinorum Patri, cui Semon cognomen erat.

Hunc etenim veteres donarunt ade Sabini
Inque Quirinali constituere iugo.

Adnotandum etiam circa hoc nomen Semon, illud non fuisse proprium, seù personale alicuius Numinis, sed pluribus commune, estque nomen quorumdam Deorum minorum, qua in classe, ac serie quicumque sunt recensiti, Semones appellantur: sicut & nomen Indigetis, quod semideus interpræatur, Bino namque in ordine sua numina secernebant, in primo maiores, & principaliores Dij numerabantur, Hi etiam Consentes, Selecti, & *Dij maiorum gentium* dicebantur. Altera in classe Heroas reposuere, Deosque minorum gentium, Indigetes, Semones, & Semideos appellabant, tales fuere Liber, Esculapius, Hercules, & alij.

Indigetesque Dei, Faunusque, Satorque Quirinus;
Alternusque anima mutato Castore Pollux.

Hi à Sillio Italico lib. 9. recensentur. Et huius ordinis erat Sabus Sanctus, & antonomasticè forsan Semon dicebatur, quod illa in classe fuerit primus; sicuti & Æneas absolute, & sine adiecto Indigetes est appellatus, quia eo in ordine omnium primus. Perpende quæso humanissime Lector quot, & quàm varia de abditissimo antiquarum eruditionũ penu in euulgatis libellis per doctissimum Antiquarium tradantur, & vix vllum sit quod ad lydium lapidem Scriptorum scilicet doctrina, & nomine insigniorum non reuocetur.

Verùm quia nimium peruetusta eorum antiquitate ab omnium ferè notitia se subtrahunt, nec in peruijs Authorum

volu-

voluminibus passim prostant, ideò quicumque ea raptim excurrit, fabellas arbitratur, & Authorem irridet. At qui fixa mentis acie attentius immoratur, & cuncta diligenti examine trutinat, & perpendit, veritati etiám consona, & ab Authorum proceribus confirmata depræhendit. Equidem his accedendum affectione sincerà, nec minimè præoccupato animo à minus recta illa sententia, quod Anniana sint figmenta, aniles fabulæ, deliramenta, mendacia: quæcumque enim consimilium demittas in stomacho, omnia acescent, vertentur in bilem, & palato non sano nauseam concitabunt. Ipsi de nobis fatemur, cum adhuc per assiduum studium non innotesceret Author, in communem trahebamur de illo sententiam, plurimúm suspecta erat illius fides: cum verò amandato liuore, sincero affectu mentes his applicuimus, nihil in eo offendimus, quantum vis insolens, & inauditum, ac prima facie à verisimili deficiens, quin post maturam pensitationem, & cum certioribus testimonijs collatum, & verum, & firmum non inuenerimus.

Vnum in plurium exemplum adducemus. Voluebamus ab initio cæterorum more, hoc est parum sincero affectu Annij Berosum, & cum legissemus: *Porcus Cadostene insulam compleuit Vetulonijs colonijs*. Id illicò vnum ex tot quibus scatebat mendacijs, fuimus arbitrati: & ad irrisionem, & iocum similia peruoluebamus. Qualis quæso, & quantus fuit porcus iste? Grunnitus tubarum locum occuparunt cum sub tam fædo ductore Viterbenses Coloniæ Codossene insulam petiere: quàm belle, quamue dignis honoribus patriam suam cumulat: quanto decore conciues illustrat si, vt antiquissimos asserat, brutorum omnium fædissimum inter Principes suos erigit. Hinc à textu ad commentaria conuertimus aciem, vt quid de Porco, de Codostene disserer et; & ingenti animi nostri voluptate selectissimas hasce eruditiones hausimus.

Porcus iste, Seruij testimonio, cui fauet Varronis authoritas, quam refert ad 5. Æneid. vnus fuit ex antiquorum Proceribus, quos Heroas dixerunt, creditus est Neptuni filius, frater Lestrigonis, & Medusæ, cæterarumque Gorgonidum genitor: Corsica, & Sardinia in regem habuere, nauali prælio ab Atlante rege Mauritaniæ victus, ac submersus in vndis occubuit: Inde iuxta Paganorum Apotheo-

ses in Deorum consortio ascitus, inter maris Numina colebatur. Cæterùm Latini Seripores vt fædissimũ æquiuocum declinarẽt, addita aspiratione H. scripsere Phorcus; ità legimus 5. Æneidum, vbi Vates inter maritima Numina eum quoq; recenset tali serie.

Et senior Glauci chorus, Inòusque Palæmon
Tritonesque citi, Phorcique exercitus omnis.

Insula verò Cadossene, docet Annius, est Sardinia sic à primis Hetruscis colonis est appellata, voce quidem sui; olim tumulati idiomatis, & Latinis sonat *Sacra crepida*. Grȩcis: *Sandaliothin*. Italis: *Sagra pianella*. Id verò non tantum propter formam suam, qua crepidam repræsentat, vt scribit Plinius cap. 7. lib. 3. ex authoritate Timæi Siculi, *Qui Sardiniam ipsam Sandaliothim appellauit ab effigie soleæ*. Verum & vt in sui nomine perpetua seruaretur memoria, primum pedem sacris, regalibus scilicet sandalijs vestitum in signum possessionis, & dominij in ea posuisse Hetruscorum Regẽ, quorum proprie talium calceamentorum erat vsus, ideoque *Tyrrhena crepida* dicebantur, vt docet Seruius ad 8. Æneid. vbi de Euandro ait Vates

Et tyrrhena pedum circumdat vincula plantis.

explicat Commentator. *Tyrrhena vincula, Tusca calceamenta, & crepidas, quas primò habuere Senatores, post equites Romani, nunc milites*. Immò testimonio Festi, quem refert Vossius lib. 4. cap. 5. eis vsi sunt Albanorum Reges. Hincque satis probatur tale calceamentorum genus ab initio, vt ait Annius, regale extitisse Regum Tusciæ indumentum, & quod Phorcus, qui iuxta vsum eis indutus, possessionem sui dominij Sardiniæ cæpit, & ab ipsis nomen indidit insulæ, Hetruscus erat.

Nec leuitatis causandæ sunt huiusmodi probationes, quod ex coniecturis procedant, vt tantæ antiquitatis gesta suadeant; hoc idem namquȩ litterarum, ac eruditionum Proceres, & primipili fecerunt in huiusmodi eruendis, ac stabiliendis, sic Macrobius primo Saturnal. vt verum astrueret, quod canit Ouid. Fast. p.

At bona posteritas puppim signauit in ære
Hospitis aduentum significata Dei.

Nempè quod Ianus in honorem hospitis sui Saturni monetas cudere iussit, in quibus, ex vna parte, sua, & illius re-

presentabatur effigies, ex altera verò nauis, quæ illum vexerat in Latium. Fundamentum suę probationis innititur puerili cuidam lusui, in quo sui temporis sursum proijciendo denarium, socios inuitabant, vt diuinarent an in descensu caput, vel nauis esset apparitura; & licet tunc in monetis aliæ effigies esēt insculptæ, nihilominus ex inueterata lusus illius cōsuetudine, adhuc appellationes earū audiebantur superstites. *Æs ità fuisse signatum, hodièque intelligitur in aleæ vsu, cum pueri denarios in sublime iactantes, capita, aut nauim, lusu teste vetustatis, exclamant.* Cum ergò Annius noster tantæ authoritatis testimonijs hęc comprobet de Phorco, cęteraque sua de antiquitatibus monumenta consimilibus argumentis ex coniecturis, ex ethimologia, ex locorum appellationibus, & huiusmodi desumptis firma reddere contendat, qua ratione, qnaue æquitate repræhensionibus sit subijciendum non satis inspicimus; immò qua fronte tantis excipiatur execrationibus, & ludibrijs omninò ignoramus.

Et verè quis vnquam prudens decernat puerorum ludum efficaciùs suadere, vtriusque Numinis, Iani scilicèt, & Saturni effigiem, nauimque ex aduerso primis in denarijs cusas fuisse; infirmioris verò roboris esse ad confirmandum, & Phorcum, & Colonias per ipsum in Sardiniam aduectas ex Hetruria extitisse, ipsum crepidæ sacræ nomen Insulæ inditum, quæ suo subdebatur imperio, ex regio calceamentorum genere depromptum argumentum? cum tamen eruditioribus iam satis innotescat, sandalia hæc propria ab initio fuisse Regum Hetruriæ, ab ipsis in partem pompatici ornatus primùm inuenta.

Vt vero peregrinarum eruditionum amatoribus consulamus his addimus, has Tusciæ crepidas punicei, siue rubei fuisse coloris, ideoque a Romanis *calces Mulli* appellatæ: quod vtique nomen penes plures Italiæ gentes adhuc superstes viget, crepidas namque dicunt *Mulle*. D. Isidorus lib. 19. Ethimolog. cap. 30. à pisce mullo, quòd coloris sit rubei desumptum docet: *Mullei dicti sunt à colore rubro, qualis est mulli piscis.* Verùm in his Hispalensium Sanctus Antistes discrepat a Plinio, hic namque ex opposito lib. 9. cap. 17. Fenestellæ authoritate, ait: *Nomen his piscibus, teste Fenestella à colore mulleorum calceamentorum datum putatur.* At quomodolibet res se habeat, ex Scriptoribus iam certò con-

constat: & crepidas calceamentorum genus, & pisces mullos rubri coloris fuisse. De his piscibus Ouidius quoque hoc in Emystichio cecinit.

tenui suffusus sanguine mullus.

De crepidis Dion loco supracitato agens de Iulio Cęsare, ait: *Calceamentis rubris more eorum qui Alba regnassent quondam vsus.*

Qualis autem esset piscis iste mullns, ex Plinij descriptione possumus elicere, à labro inferiori binas pendulas habuisse barbulas, ac ideò, nec perperàm fortè, arbitramur eum fuisse, quem nunc Barbum, seu barbatum dicimus. At certè hac nostra ætate istiusmodi pisces incõparabiliter viluerunt; nam & si octo nunc mille reperirentur Celeres Asinij, gulosi, delicati, diuites, qualis describitur antiquus ille, a quo Romæ sub Claudio octo mille nummis emptus est mullus, hoc est ducentis, & quadraginta florenis; vllus certè ex illis adeò ingenti prętio gulæ delitias hasce emptas vellet: nec sex millia sestertia impenderet, centum nempè, & octoginta floreni, quanti olim emit delicatissimus helluo Crispinus, meritò à Iuuenali vellicatus Sat. 4.

Mullum sex millibus emit
Æquantem sanè paribus sestertia libris

Et si, vt per eumdem Satyricum inuectiua quinta innotuit.

Ille esset Domino, quem misit Corsica, vel quem
Tauromitanæ rupes.

tamen quod mullos plurimi facerent antiquì, studiosissima eorumdem in viuarijs asseruatio suadet, vtque viuos adhùc, & natantes Romam comportarent in vasibus aqua maris repletis includebant: nihilominus guloso Martiali non admodum sapida fuere palati irritamenta, vt xenio suo septuagesimo nono innuisse videtur.

Spirat in aduecto, sed iam piger æquore mullus
Languescit? Viuum de mare, fortis erat.

Cęterùm culinam egrediamur, ne Annij mastiges in nos quoque calamum distringant.

Vt quibus in solo viuendi causa palato est.

Vel de me credant, & dicant

Quod mullum cupiam, cum sit mihi gobio tantum
In loculis.

Annij

Annij ſtudium laborioſum: Illius volumina Reipublicæ litterariæ admodum vtilia; at inuiſus, & ingratiſſimè exceptus. §. 65.

SI æqualance Antiquarij noſtri perpetuum in euoluendis, ac elucidandis exeſæ vetuſtatis voluminibus ſtudium pẽſemus, ſi eiuſdem vigilias, ac labores in expiſcandis cæco priſci æui antiquitatum ſinu, ac veluti è tenebris, ac latebris eruendis rerum notitijs, vt ſtudioſæ vniuerſitati prodeſſet, expendamus, equidem iure merito Auſonij elogium illud, inter Burdegalenſium grammaticorum epitaphia ſecundo loco repoſitum, pro Victorino eiuſdem cum Annio profeſſionis, ac ſtudij, veſtigandis ſcilicèt antiquitatibus, aptabimus, & ipſi.

Anni ſtudioſe memor celer ignoratis
Aſſiduè in libris, & diú operta legens
Exeſas tineis, opicaſque euoluere chartas.

Verùm malè actũ eſt cũ eo, & vnde plauſus, benedictiones, encomnia, quòd plurimum hiſtorias, & antiquorum eruditiones illuſtrauerit, promerebatur, vellicationes, ſcommata, ludibria, improperia, calumniarum denique genera cuncta retributa: & quod pluribus ſcandalum ingerit, hæc maximè ab his, quibus potius ex communi profeſsionis, & habitus ſocietate incumbebat, ab exterorum calumnijs vendicare; ſaltemque vel id vnum á ludibrijs auertere debuiſſet; quòd ſua ætate multiplici rerum omnium eruditione, ac ſcientia ſuſpiciendus, ſacraque dignitate inter ſplendidiora ſui ordinis ſidera emicans venerabilis ſemper extiterit. At neſcio quo liuore, vel nimium ebullienti zelo reuerentiæ omni limite effracto, eiuſdem ordinis Frater falſitatis, mendacij, temeritatis, impoſturæ, euolaticæ memoriæ, ingenij, iudicijque hebetudinis turpioribus notis tantum magiſtrum fædiſsimè ſugillauit. Antonius Poſſeuinus, & ipſe religioſa ex ſocietate, doctrina, pietate, ac eruditione inſignis, & de republica litteraria optimè meritus, pari elogiorum fæditate Annium noſtrum conſpurcauit: adeò namque rabidiori ſtylo laceſsitum excepit, vt quoties eum appellare contige-

rit,

rit, toties solùm ex turpissimo suo illo loquendi modo, intimum cordis, ac animi sui contemptum, ac ludibrium lectores agnoscerent, vnaque omnes pariter cum eo abiectissimè de Annio sentire compelleret. Audiri communis appellandi modus: *Annius iste*: quasi fædissimum, ac cænosissimum terrę propudium foret appellandum: vel de abiectissimo sordidioris plebeculę homuncione sermo esset institutus.

At dicite, amabò, ingenua vestra animi libertate, vos alloquor bonarum artium, selectiorisue eruditionis professores, quæ mala patratus est Annius? Quæ damna per Viterbensem Antiquarium in Rempublicam litterariam illata sunt. Vt adeò internecinis odijs secum agatis? Fortè euersa gymnasia, quia tot, tantaque scitu dignissima, & diù intra vetustatis caligines inuoluta detexit? Num academiarum subsellia diruta, & incensa, quia plura eruditissimorum volumina, quæ per tot sæcula in abditis Musæorum detrita, aranearum, ac tinearum ludibria, & escæ computruerunt, doctissimis insuper suis illustrata sudoribus, euulgauit? Nonne ab vtriusque affluentes suppeditantur eruditionum copiæ, quibus ingenij vestri lucubrationes exornatæ maiori semper lumine fulgeant?

Ità plane: (ad aures insusurrantem audio) sed cuncta fallacia sunt, omnia insomnijs, commentis, delirationibus, ac denique fabellis referta. Berosus supposititius, apochryphus. Quis tanta suggerit? Melchior Cano, Episcopali dignitate fulgens, vir pietate, doctrina, religione, scientia, & eruditione celeberrimus; ideoque cum testimonium sit omni exceptione maius, quæ obijciuntur etiam sine hæsitatione tenenda:

Concesso quod sint apocrypha adhùc tamen sunt vtilia. Melchior Cano non integræ affectionis in Annium; idem esto iudicium de Posseuino. §. 64.

TAndem vt vnico verbo contentiones omnes funditus dirimantur, concedamus Annianum Berosum minimè legitimum: Demus volumen hoc, de quo hucusque disserui-

mus,

mus, & propugnauimus non esse historiarum Berosi Deflorationem; sit apocryphus, & incerti Authoris liber, quid inde? ergo cuncta in eo contenta sunt falsa, ideoque exilio mulctandus? tenebris addicendus? flammis vltricibus deuouendus? Num fortè apocrypha omnia vstulantur? Num omnia incerti Authoris volumina execrantur? Quot, quot, Bone Deus, huiusmodi recipiuntur ab ipsa Catholica Ecclesia, tollerantur, & insuper pro Christi fidelium instructione, morum correctione, ac etiam ad authoritatem argumentis conciliandam vtilissimè euoluuntur? Tradidit fortè Annius Berosum suum vt vnum ex sacris Bibliorum libris, seù vt Athanasij symbolum? minimè certè; sed qualem reperit euulgauit: nec eumdem inficias in pluribus non esse proficuum, & apprimè vtilissimum.

De authoritatis autem pondere, quo ex dignitate, scientia, pietate, ac eruditione Cani obiecta in Annium roborantur, silendum censuimus, ne obloquamur. Fatemur Canariensium Antistitem doctissimum, eruditione celebrem, prudentia, & authoritate plurimùm suspiciendum; at fortassis in reijciendis Annij libellis nimio efferbuit zelo, & calore contentionis paululum à fraternæ charitatis affectu declinauit. Non leue specimen huius sit: Scriptores omnes, quos Annius celebrat, contemnit Cano, respuit Berosum, & Annium minimè honorificis notis sugillat: pluribus namq; cum Scriptoribus, Anniano Beroso longè infirmioris fidei, mitiùs agit. Herodotum ipsum vndique mendacijs exundantem, & quem historici omnes, etiam Græci (teste Iosepho lib. p. contra Apionem) tamquàm fabulosum irrident, & vt mendacem contemnunt, Cano tamen lib. 11. cap. 6. benignè excusat, & defendit. Ait enim (à Viues, lib. 5. de modo tradendi scientias excepit) Herodotum, non vt deciperet, sed Poetarum more vt oblectaret, fabellas immiscuisse; ideoque de Musarum nomine libros quoque suos appellauit. *Quibu fabulæ interdum concessa sunt, vt audientium animos iucundius & suauiùs allectent, quod seueritate narrationis non perindè assequeretur.* Eadem ipsius verba exscripsimus.

Pater verò Posseuinus Cano humanitatem in Herodotum æmulatum, magniloquentiam superauit; vt enim Herodoti vindicias ageret apologiam contexuit, quam tamen magis ad regulas eruditionis, & venustatis comptam perpoliuit,

 quam

quàm ad veritatis normam castigatam concinnauit. Vniuersale litterarij Orbis nil veritus iudicium, quo vt somniorum confictor exsibillatur, vt fabellarum, ac mendaciorum compositor contemnitur, & irridetur.

Herodotus perperam à Cano, & Posseuino defenditur. Ferè omnes Authores Græci, & Latini fabulosum dixerunt: Posseuinus animosa satis hyperbole Herodotum laudat. §. 67.

LOngum nimis esset, si omnium Authorum, ex Græcis etiam, Elenchum conficeremus, à quibus falsitatis, ac mendacij accusatur Herodotus. Digniores tamen, nè omninò sicco calamo id pertranseamus, selegimus. Omnium primus fuit Thucidides Atheniensis, qui paucis elapsis annis post ipsum historias conscripsit, & in quo ille desierat, iste initium Græcorum historiæ sumpsit, nempè à turpissima fuga, quam rebus in Gręcia infelicissimè gestis, Xerses arripuit. Xenophon pariter Atheniensis sua in Cyropedia eumdem impugnat, & præ omnium oculos subijcit cuncta, quæ de Persis scripserat, esse falsa. Elius Arpocration, quem refert Suida, peculiari ad hoc composito libello, euidentissimè ostendit: *Ementitam esse Herodoti historiam*. Strabo lib. vlt. de situ orbis eiusdem historiam mithistoriam appellat, hoc est fabulosam. Plutarchus opusculum pariter edidit hac inscriptione: *De malignitate Herodoti*. Lucianus Atheus ea in historia, in qua sub fabularum cortice vera delitescunt, fingit apud Inferos Herodotum vna cum Ctesia vidisse, tormentis omnibus subiectos, quibus mendaces, ac falsi plectuntur, hęc verò inter diras tartari pęnas omnium grauissima esse depręhendit, ait enim. *Maxima omnium pęna eos imminebat*. Manethon tandem, ortu Ægyptius, stylo Græcus, qui testimonio Iosephi, *Frequenter eum arguit in Ægyptiacis ignoratione mentitum*. Et supra indicauimus Hæbræorum Historicum testatum reliquisse. *Cuncti alij historici ostendunt Herodotum esse mendacem*.

De Latinis quid dicemus? Notiores sunt, quàm nos promere valeamus, irrisiones & sannę, quibus decima sua inuectiua in eum debacchatur Iuuenalis. Carpit, vellicat, & illudit dementissimam illam, meritò exsufflandam hyperbolem, quam de innumera copiarum Xersis multitudine mendax historicus refert, ait enim si iactabundum fabellatorem attendamus.

creditur olim
Velificatus Athos, constructum classibus ijsdem
Suppositumque rotis solidum mare: creditur altos
Defecisse amnes, epotaque flumina Medo.

& ex Herodoti mendaciorum strue voluit Satyricus Vates fuisse

quicquid Gręcia mendax
Audet in historia.

Optimè autem nouit qui Legum Ciceronis libros legit, innumerabiles apud Herodotum esse fabulas. Conatur tamen Posseuinus in benigniorem partem Tullij sententiam interpræ tari, & sub eloquentissimi Senatoris patrocinio suũ Herodotum sistere; qui à Tullius ipse pariter primo de Legibus, & alibi per summam humanitatem immeritum virum Patrem historiæ appellauerit, cum veriús dixisset mendacij. Verùm ingeniosissimus Encomiastes distinguere detrectauit, in historia Herodoti ab Arpinate Consule exornata, substantiam ab accidentibus, accessorium à principali, materiem à phrasi, & denique malum à bono secernere. Equidem Cicero suo in Oratore Herodotum celebrat, quod stylum habuerit elegantem, planum, fluidum, dulcem, & armonico concentu iucundissimum. *Sine salebris, quasi sedatum amnem fluentem*. Quo pariter encomio eiusdem stylum commendauit conterraneus eius Dionysius, & post ipsum Quintilianus, & postremò eruditissimus AldusManutius: at verò nullus ex his vt veridicum, vel sincerum approbauit. Eloquentiam suspexere, falsitates damnarunt, nec enim à communi censura dissentiunt. Lib. 1.

At qui folijs magis quàm fructibus delectantur, & qui propensioris animi sunt, in elegantiarum flosculis, ac in soliditate veritatis, quos auersatus Lucretius vellicat.

qui magis admirantur, amantque
Inuersis, quę sub verbis latitantia cernunt,

Veraque constituunt, quę bellè tangere possunt
Aures, & lepido quę sunt fucata colore.

Hi Herodotum, quasi Euangelistam, cui cælitùs denegatum sit falsa profari; Prophetamque fidelissimum omne auersantem mendacium, suspiciunt, & celebrant. Faxit autem Deus, ne penes eos sit *Plusquam Propheta*. Nec fortè longiús ab eorum mente aberrauimus. Religiosum namque Posseuinum in mendacissimi huius Scriptoris laudes effusum, impium fabellatorem, somniorum confictorem cum Sanctis Hebræorum Prophetis, & altissimæ indeffectibilis veritatis oraculo conferre, & æquiparare non puduit. In quo quidem cordatos homines plurimùm offendit; piorumque auribus scandalum ingessit. Patiatur igitur nimius Encomiastes, vt cum Sancto Vate Pontio Paulino irreligiosam comparationem, & ausum redarguamus:

Si confers fulicas Cycnis, & Ædone parrhæ:
Castaneis corylos aquas; & viburna cupressis:
Hunc vatibus confer (Diuorum pectora) Sanctis.

Et verè quis non obstupescet Virum doctrina, & eruditione præclarum, sanctissimi, æqué ac prudentissimi instituti Professorem, sacris ministerijs addictum, tanta sacrorum, immò & Diuinorum Scriptorum iniuria, adeò prolapsum, vt in prophani, immò Idololatræ, ac mendacissimi Authoris encomio asserere non erubuerit: Herodoti historias pernecessarias ad ea, quæ per sacrorum Prophetarum oracula nobis traduntur, percipiēda; eo quòd (en ratio nescio, an stolidior, an absurdior) & ipse idolorum cultor stylo Prophetarum scripserit: quasi per Spiritum Sanctum eidem Sacrorum communicata fuerint mysteriorum arcana, quæ per Isaiam, Hieremiam, & Amos in populis voluit prædicari. Quàm perperam Ecclesiæ fuisset consultum! Si his, qui sacrarum litterarum studijs erant instruendi, Historiarum Herodoti methodum, ac phrasim assidua meditatione, ac peruigili labore euoluere minimè fuerit iniunctum, cum per Posseuinum ab harum notitia illarum quoque intelligentia necessario glutino pendet? Fæliciùs tamen actum pro Herodoto, quod ei non contigerit ab Annio euulgari, loco namque tot encomiorum vituperationibus plurimis, ac improperijs spurij, falsarij, & impostoris oneratum dimisisset Posseuinus.

Errant Viues, & Cano existimantes Herodotum ex Musarum nominibus sua inscripsisse volumina. Superba simul, & vana Cephaleonis Historici iactantia, pariter & Marcelli Pallingenij ampullosa nomina suis libris imponentes. Quænam fuerit vera Patria, & nomen Homeri iuxta Lucianum. Epistolæ, & libri Eschinis oratoris Musarum, & Gratiarum nominibus Inscripti fuere. §. 68.

SEd Posseuino relicto redeamus ad Cano, Herodotum intra Musarum pænitiori sacello inferente, fortè vt vel sic legitimum fabellatorem ostendat. Attamen deceptus est, & vt Itali proloqunutur Cancros manu depræhendit vnà cum duce suo Viues, dum asserunt Herodotum libris suis nomina imposuisse Musarum, sicque suo in Museo nouum erexisse Parnasum; non adeò elatè mentem sustulit Herodotus; maiori modestia, quam ipsi arbitrentur, se compositum præbuit; magis ac fuerit Bion ille, de quo Laertius in eius vita refert, nouem libris suis Musarum nomina indidisse. Et quidam Cephaleon historicus, de quo Eusebius in Chronologia ait Æneæ aduentum in Italiam conscripsisse, qui adeò iactabundus, & gloriolæ vagus extitit, vt cum ad epitomen redegisset vniuersalem quamdam historiam à Nino ad magnum vsque Alexandrum, librum nouem tomis distinxit, & singulis Musarum nomina indidit. Iste in libris suis nuncupandis Græcorum Prothohistoricum imitatus, in Patria sua occultanda pariter Prothopoetam sequutus est. Verùm id nũquam alicui cordi fuit; nulli & reperti sunt Ciues, qui vt suum quisque faceret, dimicarent, quod olim pro asserendo sibi Homero ad sanguinem vsque septem digladiarunt Ciuitates, quarum nomina hoc vnico disticho circumferuntur:

Septem depugnant Vrbes ciuem consciscere Homerum,
Smirna, Rhodos, Salamin, Colophon, Chios, Argos, Athena.

Recẽsitis tamẽ omnibus æquè negat tale decus Lucianus, seriò si loquitur, & Babyloniũ facit, cui nomẽ Tigranes; cũq;

yenis-

venisset in Græciam priori amandato, (inquit ipse) Homeri nomen assumpsit, & modó in vna, nunc altera in vrbe cum degeret, ansam præbuit, vt de illius Patria plures dubitarint. *Id tamen valeat quantum valere potest*. Ambigimus enim num seriò, vel ioci causa id asserat, quod inter fabellas reposuerit, eo scilicet in libro, cui inscriptio de vera historia, plures concinna venustate ab eo confictas.

Consimili gloriola, vt illa Bionis, & Cephalonei, euanidum caput titilauit Marcelli Palingenij Poetæ superioris sæculi damnatę memoriæ; stultissimum namque miscellaneorum poema ediderat, vllo absque ordine digestum plurimis vndique adeò scatens erroribus, vt per singulas fere paginas mille depræhenderentur errata; at quod omni abiectissimi styli elocutione peius est, plura Catholicæ veritati aduersabantur, & fidelium pietati offendicula ingerebant. Immemor enim communis proloquij, nec sutor vltra crepidam, Philosophum, ac Theologum agere præsumpsit, cum vix Grammaticorum subsellia sufficienter inuisisset. Ob id etiam rigidam passus est censuram à Scaligero Poetarum omniũ Aristarcus seù mastix. Duodecim breuioribus tomis infelicissimum poema illud secreuit, & singula signorum zodiaci nomina singulis imposuit, at tali, ac tanta ineptiendi stoliditate, vt meritò Scaligerum expertus sit obiurgantem: *Hominem non ignarum bonarum litterarum, sed leuis ingenij, & plusquam poetam fuisse suspicor, quique extra omnem Zodiaci ambitum millies in hora auferri, rapique solitus fuerit*. Vt sic ventosum caput, lunaticumque versificatorem exprimeret.

At Herodotus intrà modestiæ sepes tanta vanitate, talique arrogantia extra se vnquam est actus, vt adeò tumentia nomina operibus suis imponeret: & Lucianus, qui Cano, & Viues faciliús id nosce potuerat, libro suo cui titulus Herodotus id ità contigisse iudicat. *Cum Herodotus in solemni quodam Græcorum pro ludis Olympicis conuentu suas recitasset historias, tanto omnium plausu excepta sunt vt honoris gratia, cum nouem libris essent discriminata, singulis Musarum nomina imposuerint*. Id fortè antiquus illeq, & ignotus Græcus Vates innuit sequenti epigrammate, à Posseuino latinitate donato

Hospitio Herodotus Musas excepit, at illi

Li-

Librum vnum , hospitis nomine quæque dedit .

Et testimonio Photij Patriarchæ Bizantini , vt refert Vossius , nouem epistolæ , tresque Eschinis oratoris Atheniensis Demosthenis ęmulus orationes pari splendore condecoratæ fuerunt, illæ scilicet Musarum , hæ Gratiarum nominibus dignatæ.

Antiquitas libris ab Annio euulgatis vllum inferre debet præiudicium . Tempore Horatij doctiores Romanorum antiquos modernis Authoribus præferebant . §. 69.

NIMIAM antiquitatem, exesam vetustatem opponunt (quam longiùs dimisimus Annij defensionem repetamus) tot sæculorum (inquiunt) carie detritum, tabidaque senecta computrescentem , marcido vndequaque mucrore fætere Annianum Berosum : vetustissimum sui ortus tempus memorabilia cuncta longissimè antecedens, cum adamantina quæque absumat , vllam illius reliqnit effigiem , vt pro legitimo Chaldæorum historici fætu agnoscere valeamus & faciei lineamenta iam tumulata interiere , nec vllum superest primi decoris vestigium, vt tanti artificis opus esse deprehændatur; ac tandem tamdiù omnibus omninò ignotum latuit vt ineptire arbitrentur eruditi, si ex inopinato rediuiuo operi fidem præbeant , infatuatique iudicij verentur Scriptores insimulari ab eruditis, si eiusdem testimonijs sua inspeserint volumina ; si vt legitimum Authorem Annianum Berosum suscipiant

Siccinè de honoris throno eruditissimum Berosum deturbatis ? modestiam vestram appello : humanitatem vestram exposco eruditissimi omnes . Tam fædè passi estis venerabilem antiquitatem excipere ? Sua ipsorum vetustas Authoribus illis probrum erit ? oh quam longè aliter de antiquorum voluminibus sensere Latini , dum adhuc Venusinus Vates floreret ; quod quidem cum ille genio suo indulgens nouorum cupido, ægrè plurimùm ferret , in epistola sua ad Augustum sæculum illud amarore quodam vellicat , quòd anti-

antiquorum volumina auidiùs euoluerent, quasi id vnum sufficeret ad existimationis auxesim vt plurium sæculorum vetustate redolerent Authores. Sic igitur ebulliente indignatione præferuidè scripsit.

Nauius in manibus non est, & mentibus heret
Penè recens: Adeò sanctum est vetus omne poema.

Benignioris iudicij fuit in antiquos Iunior Scaliger in omni librorum genere apprimè versatus, & inter diligentiores, rigidosque eorumdem censores fortè nedum nostri, vel præteriti sæculi, verùm & quotquot præcessere omnium primus, & certò nemini secundus: Eruditissimus iste acerrimi iudicij vir pugnans ex opposito cum Georgio Sincello idest Coadiutore Tarasij Patriarchæ, Chronologico octaui sæculi Scriptore eo, quod Berosum, simul & Manethonem fabulosos, ac mendaces conclamaret in hęc verba. *Berosus, & Manethon, tamquàm ex compacto ab eodem fabulosorum Regum suorum initia fuerunt exorsi.* Summa styli modestia in annotationibus suis ad græcas reliquias canonum Eusebij, sic respondet. *Quamquàm hic in dubium reuocari possint propter prodigiosa vetustatis, & longissimi temporis curricula, tam Chaldaica Berosi, quam Ægyptiaca Manethonis; tamèn non solùm retinenda sunt, sed etiam in pratio habenda*(ne prętereas Lector) *propter reuerentiam vetustatis.* Et Dionysius Gothofredus superius laudatus, ned ùm legitima censuit nostrorū Berosi, Manethonis, ac Methastenis opera ab Annio euulgata; verùm etiam historiarum professoribus vt admodum vtilia plurimùm comendat, & Antiquarijs omnibus sedulò euoluenda proponit in sua præfatione de Authoribus antiquissimæ historiæ. Tale certè esse debet de his iudicium, benignaque in antiquos Scriptores propensio. Sicut discretè admitterent eruditi, humaniter exciperent, & eorum testimonijs præuio iudicij examine vterentur: neq; eos temerè explodere, inclementer exagitare, & per summam inhumanitatem in imò improperiorum omnium conijcere deceret, vti hucusq; fecisse vidimus, quicūque in Annium nostrum sunt debacchati; adeò vt contemptibiliora ea esse voluerint, quæ edidit Antiquarius, annalibus ipsis Volusianis, de quibus fætida appellatione locutus est Catullus epigrammate trigesimo septimo.

Annales Volusij cacata charta.

Indè amarulento scommate flammis addixit, vt votum persolueret, quod Amasia Veneri fecerat, si Catullus ipse

si bi restitutus esset
Desissetque truces vibrare iambos
Se electissima pessimi poetæ
Scripta tardipedi Deo daturam,
Infalicibus vstulanda lignis.

& nonagesimo sexto epigrammate Volusij annalia Smirnæ Cinnæ conferens ad salitos conuestiendos pisces destinauit, Cinnę namque laudes prosequens postquam dixit

Smyrna cauas Atracis penitùs mittetur ad vndas
Smyrnam incana diù sæcula peruoluent.

in annalium vituperationem subiungit.

At Volusij annales aquam porgentur ad ipsum
Et laxas scombris sæpè dabunt tunicas.

Ex consimilibus irrisionibus, scommatibus, iniurijs, vexationibus per summam indignitatem Annius lacessitus à pluribus, quæ omnia ab eruditulis, & sciolis nostræ quoque ętatis summo plausu auidissimè excepta sunt, factum est vt eiusdem opera neglecta iaceant.

Religiosorum Autorum libri à sæcularium litterarum professoribus tumido supercilio excepti, & cum ipsis contumeliosè actum. Refertur quàm inurbanè se gesserit cum Patre Magistro Ioanne Baptista Spada quidam ex his. Recensetur quàm inurbanè, simul & ingratè egerint in Annium Ioannes Chrisostomus Zanchius, & alij. §. 70.

QVod Annius ex cętu degentium in claustris extiterit, plurimùm contulit, vt à sęculi professoribus malè exciperetur: solum namque nominis appellationem auersantur, execrantur, pessumdant. Flagitij loco habetur sub cucullo degere: Cum in librorum vestibulo Fratris nomen offenderint, non secus ac si quid eis horrificum occurrisset,

risset, refugiunt, abominantur. Sola operis inscriptione vnico intuitu delibata vlteriùs aciem figere detrectant. Quæ in libro sint exarata, quo stylo, quo ordine, quaue scientia, & eruditione ab Authore sint conscripta, non perlegunt, non scrutantur, & tamen contemnunt, & irrident. Bone Deus, quę forma iudicij sine iudicio? Nos aliquando huiusmodi inclementiæ specimen sub oculis habuimus, nec sine ingenti animi nostri admiratione, ac dolore iniuriam iniustissimè illa tam vorauimus. In quadam ex pręcipuis Italię Vrbibus, cuius nomen iustis de causis supprimendum duximus, vnus ex sciolis, de cuius eruditione ingentia illa in Patria efferebantur, non quòd euanido illo in capite semiunce iudicium Prudentiores, vel possent suspicari, sed quia constans rumor increbuerat eius in arcis ingentem auri vim asseruatam diligentissimè custodiret; sicque per summam adulationem oratorem eloquentissimum, hi quibus linguæ blanditiæ prouentum faciunt, in omnium aures euulgabant.

Scilicet eloquium regina pecunia donat
Et bene nummatum decorat Suadela, Venusque.

seriò aiebat Horatius.

Contigit dum in eiusdem domo essemus, cum altero ex nostris, tale quid secum peracturo, vt famulus ei librum deferret, quem de recenti soluto publici pedagij prætio suo iussu à telonearijs redemerat: eruditissimum erat opus Patris Ioannis Baptistæ Spada de Poetarum Epitethis, ab Authore in obsequij pignus dono missum. At turgidulus ille vix titulum, & Authoris nomen attigerat, vt quasi in scorpium, vel cerastem offendisset, statim inhorruit, & naribus in rictum elatis, fronte corrugato, fusco supercilio, Patri, quem associabamus, ore in speciem nauseantis, simul, & contemnentis aptato, languidulis verbis ait; Cape, tuus sit liber, eum tecum defer, ex tuo cętu Frater lucubratus est. Obstupuimus adeò indigna intuentes, diúque expectauimus, vt qui omni humanitate amandata gestibus trucescebat, quod & truculentiori licentia verbis virus euomeret, & vna cum Martiali effutiret.

Sit nigram citò raptus ad culinam
Exortum vndè suum attrahit pudendum:
Cordillas madida tegat papyro
Vel thuris, piperisque sit cucullus.

Sed

Sed flocci pendebat eruditiones omnes vanissimi homuncionis turgidula mens suorum affectuum mancipium

Et mille Anticyrę nusquàm sananda meracis.

integrè absorpta vt nouas aucuparetur elocutiones, amęnioresque phrases, & quæ nullis insonuissent auribus verba; eaque à licitatoribus magno prætio comparabat, vt his florido sermone domestica conscriberet otia, oblectamenta, amores cæterasque leuium mentium nugas; pro quibus tandem tanto pudore suffusus est, cum sericis abiectis, lanea sub tunica nouum hominem induit: tùnc enim cælitus lumen recepit, vt deprehęderet quam futilia fuissent, in quibus se totum implicauerat, & pro quibus intumuerat. Nos tamèn ne omninò impunis euaderet, in illum secretò eiaculauimus quod Martialis scripserat in Liuidum.

Qui ducis vultus, & non legis ista libenter
Omnibus inuideas, liuide, nemo tibi.

ne violentiā pateremur tacito murmure hęc nobiscum mussitabamus; nam Iuuenalis salubre monitum insusurabat ad aures.

digito compelle labellum.
Illud ne tangus; nam tada lucebis in illa
Qua stantes ardent, qui fixo gutture fumant.
Et latum media sulcum deduxit arena.

monebat, & Perseus vt linguam coerceremus concinendo:

Qui recolis teneras mordaci radere vero
Auriculas. Vide-sis, ne maiorum tibi fortè
Limina frigescant.

& tertiò ab Horatio accepimus:

ò puer vt sis
Vitalis metuo, & maiorum ne quis amicus
Frigore te feriat.

Inter hęc monita, metus ipse menti obiecerat quid Nęuio Poetæ triste acciderit, cum licentiùs vellicasset Metellos, aculeato hoc iambo:

Fato Romæ fiunt Metelli Consules.

Qui nedum iambi pungentem acim minaci alterius iambi acumine retudêre.

Dabunt malum Metelli Næuio Poetæ.

Verùm post tonitrua fulmina sequuta, à verborum minis ventum ad sæua facta; compedibus namque, & multiplici

catenarum pondere onustum, diutino, ac fętido carcere mancipatum, pœnas audaciæ luit. Idem innuit Plautus sua in comædia de milite iactatore, monet enim.

Nam os columnatum poetæ in esse audiui barbaro
Quoi bini custodes semper totis horis accubant.

Cuius sensus est: cum iaceret in carcerem binis à custodibus irrequieta diligentia in eum actas excubias, & dum meditaretur conscribenda, brachium instar columnæ mentum suffulciebat. Id verò de Næuio dixisse ad huc superstites cum Plautus comædiam composuit, tradit Gellius lib. 3. Hęc ex Procerum vellicationibus emolumenta reportantur eadem in nos pertimescentes linguam compescuimus, nec contra ventosum eruditulum pro comprofessore, de humanioris, ac amęnioris litterarum studijs optime meritò vindicias egimus.

Verùm ille, de quò loquimur, cum mutata veste, ac conditione ad studium, & praxim sacrarum litterarum accessisset, quas in sęculo irreligiosa derisione Fratrum litteras appellauerat, experimento didicit, quam captu, & vsu difficiliores forēt; multiplicique sui dedecore tandē agnouit longè magis arduum theologicum conscendere callem, quam poeseos floridas obambulare semitas: magisque, ac magis pertimescendum sacro e suggestu spissis auditorum turmis concionari, quam academicorum e subsellijs raro auditore perpolitas, & omnibus rethorum lenocinijs apprimè excultas venustulas orationes recitare. Nec semel, namque à fidei Censoribus publicè palinodia canere iussus fuit, & errores, in quibus concionando fuerat prolapsus coram toto aduentantium cętu publica recantione damnare: quod vtique nunquam passus erat pro tumidioribus academica in oratione inspersis hyperbolis. Propterea multiplici suo periculo edoctus vltrò fassus est, Euangelici præconis munus gnauiter obire longè diuersum, magisque difficile, deductum ad praxim, quàm secum ipse reputasset, cum de se turgida existimatione superbè sentiens facillimi expendebat esse negotij, & censorio supercilio aliorum nęuos notabat, ac de re vsu sibi integrè ignota olim iactauerat plurimis se prębiturum magistrum; ideoque ardentiori desiderio flagrabat, eo in cætu co aptari, cui Verbum Dei sedulò propagare onus incumbit. Res iuxta votum cessit, at vsu expertus quam

verè

verè scripserit Horatius

Optat ephippia bos piger, optat arare caballus
Quam scit vterque libens, dicet cum exerceat artem

Nam concionatorum Catagelasium se ingemuit, si anteà eorumdem Calophanta, & Momus extiterat.

Et si tamen Erasmiani, Agrippistæ, & Euphormiani palam carpant, irrideant, flocci pendant, quosque prodeunt è claustris libros, secretò nihilominus sussurantur conceptus, & eorum doctrinis proficiunt. Ingratè quidem Authores silentio premunt, & veluti suo ex penu demproptas res ablatas euulgant. Quod quidem inurbanitatis genus detestatur Plinius in preliminaribus ad historiam naturalem, sic contra clandestinos fures declamans. *Benignum est, plenumque ingenui pudoris fateri per quos profeceris: sic obnoxij contra animi, & infelicis ingenijs est deprahendi in furto malle, quàm mutuum reddere.* In nostratum libros eo pacto agunt, quo ab aliquibus poemata excipiebantur Horatij, de quibus ita cum Mecenate conquerebatur. Epist. pe- nuit. lib. p[...]

Scire velis, cur mea ingratus opuscula Lector
Laudet, ametque domi, premat extra limen iniquus.

Auersus animus, venenata inuidia in causa sunt, Isti hederę non absimiles, quę à pariete suffulta, contortis namque, & debilibus plantis nisi fortiori innixu subsistere nequit, iniqua vndequaque serpens frondibus occulit totum, vt vel sic non introspicientibus suadeat suo proprio robore stare.

Turpisimè hac inquinatum pice Chrisostomum Zanchiũ Bergomensem deprehendimus, elucubrato namque opusculo de Cenomanorum origine, quęcunque selectiora, & solida immiscuit, cuncta ab Annio in Antiquitatum commentarijs mutuatus est; nec tamen vel semel eiusdem nomen recensere dignatus est: & quod fædisimè turpitudinem auget, si quid reconditum, vel abditioris eruditionis singulare profert in medium, tunc effronti securitate iactat id vllo peregrino ex fonte mutuatum, cum tamen de verbo ad verbum ex Annio transcripserit.

Vnum tantum sit pro mille in exemplum, quod lib. 2. vt abditissimum, vllique vnquam peruium tradit eruditionis arcanum, Osiridem scilicet Chamesij filium eumdem fuisse cum Mezraimo, quem Sanctus Moyses recensuit, & ampullosa hac parenthesi Lectores in ingenij sui admirationem

trahere

trahere conatur. *Quamuis nondum quisquam, qui sciam, id aperté dixerit, scriptumque reliquerèt*. At siste, siste volatum, collige pennas. Vtique dixit, & rotundiori caractere scriptum reliquit Frater Ioannes Annius Viterbiensis Ordinis Prædicatorum in commentarijs ad librum Berosi Chaldęi; excribimus verba. *Osirim, quem Ægyptij, & Aramæi proferunt Osri, Moyses vocat Mizraim, & ab eo Ægyptum Mizraim dicunt, idest confinia facientem, vt Thalmudistę exponunt*. Nec ambigendum an ea legerit Canonicus ille recenrendus cum integra fidelitate transcripserit, licet contra Iustitiæ canones, quibus vnicuique suum tribuere indicitur, Domino denegauerit, & vt propria legentibus vendita re sit ausus. Fortè arbitratus est, quòd Annij opera, vt parùm sint euulgata, & à pluribus contempta, & paucissimis nota, nullum vnquam futurum, á quo & sua detegerentur latrocinia, & qui contra latrunculos conclamaret. Martialem sibi allocutum censuit eo in epigrammate, quo carminum suorum direptori consulit, vt scilicet libros non passim peruios, & omnibus notos, sed quos abdita tenent legeret, sibique ad aurem insusurasse arbitratus.

Secreta quere carmina, & rudes curas,
Quas nouit vnus, scrinioque signatas,
Custodit ipse virginis pater chartę
Quę trita duro non inhorruit mento.

Verùm salubriùs sibi consultum, si aliud eiusdem Martialis consilium excepisset, quo Vates nedum plagiarium suum, sed & totam latrucularię huius professionis turmam, cui & Zanchium associatum reperimus seriò admonet. Tunc scilicet eorum, qui aliena volumina expilant, latrocinium occultissimum fore, eosque ab omni dedecore immunes futuros, cum à Bibliopolis nedum Authorum opera, verum & ab omnium gentium linguis silentium comparassent.

Aliena quisquis recitat, & querit famam
Non emere librum, sed silentium debet.

Consilium respuit Zanchius, ideò latrunculi nota inuritur cum deprehensus sit in crimine. Sit igitur ipse, alterue quicunque ei similis plagiarius ab Horatio

Epist. 3. *Monitus, multumque monendus*
Priuatos ne quærat opes, & tangere vitet
Scripta, Palatinus quæcunque recepit Apollo:

Ne,

Ne, si fortè suas repetitum venerit olim
Grex auium plumas: moueat cornicula risum
Furtiuis nudata coloribus.

At hunc relinquamus, vt vindicias suas meditetur, ne lege plagiaria mulctandus veniat, nec enim, vt Annij assertores simus, eruditiones omnes, quibus a plurimis expoliatus est vendicandas assumpsimus; nimiùm namque in nos excrescerent hostium turmæ. Oh quot hac nota sugillare possemus, quos tamen vt fama illustres, scientia celebres, & de Republica litteraria optimè meritos veneramur. Nihilominus: *Dederunt hanc maculam in gloria sua.* Vt nedum à libris per Annium euulgatis plura desumpserint, verum & peculiaribus ipsius eruditionibus suas condecorarunt lucubrationes; nec tamen (Vah quam iniustum, quam inhumanum!) vel semel Annij nomen, cuius auxilio plurimum habuere decoris, in eorum scriptis recensere dignati sunt.

Torellus Saraina, & Ioannes Bodenus (hos notanter dicimus, quod ipsos præ cęteris plurimum faciamus) cum vnico eruditissimi calami excursu Annij splendorem suo potuissent lumine augere, & Antiquarij fidem plurimum sua authoritate roborare, ignoramus quo fato noluerint. Cum tamen vterque plura ab Annio desumere non abnuerint. Ioannes namque Bodenus in sua Methodo historica maximè 7. & 8. capite Berosum, Metasthenem, & Catonem præ manibus habet, quorum in operibus ni ab Annio fuissent euulgata minus profecisset: Insuper & sparsim in lucubrationibus suis ea inspergit, quę solus tradidit Annius. Torellus verò Saraina integrum ferè primum librum Veronensis historię ex primis Antiquarij eruditionibus confarcinatum edidit; ab vllo namque alio eas mutuari poterit. Vterque tamen (quàm inclementer) nomen edicere illius *per quem profecerunt* detrectarunt.

Id tamen æquiori animo tollerandum, nam si encomia denegarunt, improperia non addidere; at quis iniquissimam inclementiam vorabit, qua illi ipsi qui, vel suis, vel aliorum quos tradidit, Auctorũ eruditionibus profecerunt, nec solum nomen abiecere, verum nec nisi per summum contemptum, propudiosumque ludibrium nominarunt? Eminet in his Magnus Vossius, scimus quidem his plures non assensuros, sed ex contentis in eiusdem eruditissimi viri operibus, euidentissime

ſimè veritas elucefcet. Viterbienſis eruditiones, haſque ſelectiores aſſumere non erubuit Voſsius, ſed nomen pari ſemper odio execratus, ſic vt nunquam ſine ſcommatibus, & iurgijs paſſus eſt, vel ſemel recenſere. Iuſtiſsimi huius lamentationis in teſtes aduocamus, quę tradidit ille cap. 14. lib. p. de Gentilium Theologia, in quo aſſerit Reges, ac Principes priſcarum Gentium omnes Ioues appellatos cap. 17. eorumdem Regum, ac Principum thalami ſocias dictas Iunones cap. 27. Oſiridem fuiſſe Mizraim filium Chameſij, vt 10. Gen. diuinus appellauit hiſtoricus. Et alibi pariter perplura obſoleta, priſca, & imperuia ex Antiquario deſumpta interſerit: cumque, contra quod ſolitet vllum citet Authorem, & tamen in recenſendis à quibus acceperit, frequentiſsimus ſit, nil aliud reſtat nobis ſuſpicandum, niſi ab Antiquarij fonte illa quidem hauſiſſe, verùm eiuſdem nomen vtpotè inuiſum ſuis inſpergere libris omninò detrectaſſe.

Verum vt Authorem noſtrum promeritis proſequantur honoribus, & magis, ac magis inconcuſſam illius fidem, ſinceritatem, & authoritatem aſtruamus, quam labefactare conglomerata aduerſariornm agmina niſa ſunt, id ex eruditiſsimi, celebrioriſque nominis Aduerſarij ſui operibus efficere non dubitauimus. Perpendas quęſo animi minimè pręoccupati, ac humaniſsimi Lector primum, & ſecundum Theologiæ Gentilium Voſsij libros, & vt tecum quo præſtas iudicij acumine reuoces ad trutinam enixè petimus, nec tantillum namque ambigimus, quin depręhendas, tantum conſenſionis, integręque ſimilitudinis cum Antiquarij noſtri libris habere, vt ex eadem maſſa compactos eſſe cognoſces: toti namque ſunt in antiquitatibus Troianam cladem præcedentibus aſſerendis, in primis populorum Numinibus recenſendi:, Gentium originibus, Vrbium conditoribus aperiendis, in Principatuum inſtitutionibus, Regum ſucceſſionibus ordinandis, hiſque ſimilibus pęnitioris eruditionis notitijs tradendis: Et ſicut in materiem, ac librorum ſubiectum non diſtinguuntur, ità in argumentis, & probationibus quoque recentior ab antiquiori non diſcriminatur. Ambo namque iiſdem vtitur antiquiſsimorum Scriptorum teſtimonijs: Vterque ſuo indiſcurſu nominum ethimologias, coniecturas, & veriſimilitudines adhibet. Verum quidem

integra

integra ingenuitate fatemur Vossij scripta, vtpotè à celeberrimo eloquentiæ professore, ac Magistro Rethoricorum excellentissimo edita, super omnem comperationem elegantiora, venustioraque esse: quidem ordine, distinctione, affluenti eruditionum copia, facundissima styli maiestate vltra omnem laudem excellere; at rerum substantia est omninò eadem, ac ideò non incomptè Annij opera dici possunt embrionem, ex quo perfectissimum, omnibus numeris absolutissimum operis sui corpus Vossius diligentissimè elaborau t. Vossio Annius prælusit; Annius a Vossio reformatus est: sæpè sepius tamen mordacissimis suis censuris eumdem turpissimè deformauit. Vtrumque tamèn pro nunc suo, quo detinentur loco, sinamus celsissimo, ac infallibili sub Dei iudicio. Id vnum pro coronide huius addimus, neminem posse primum, & secundũ Vossij probare libros, qui nõ & Annij commentaria recipiat, licèt hucusque vt fabulosa, & falsa vltimo fuerint destinata propudio, à quibus vel tumida superbiæ elatione contemnuntur, vel inuidiæ liuore ingratissimè occultantur.

Ab huius malignitatis furfure minimè inquinari passus est Franciscus Siluius Ambianus, vir sua in professione cum preclarissimis recensendus, in commentarijs namque ad Tullij orationes in Verrem plura ex Antiquarij opere mutuatus honorifico hocce encomio: *Magnæ eruditionis virum, & egregiè doctum*; prosequutus est.

Qua verò de causa cæteri, quos supra diximus, honores denegauerint, ignorare volumus ex consilio; ne publicare cogamur. Certè id eos fecisse, (verbis vtor Plinij sua in nuncupatoria ad Traianum) *Non illa Virgiliana virtute, vt certarent, non Ciceroniana simplicitate non putamus*. Qua verò alia affectione id egerint, viderint ipsi, cæteri dicant: at non interpellent Horatium, satyrica namque sua libertate responsurum arbitramur.

Hic nigræ succus loliginis, hæc est
Ærugo mala: quod vitium procul ab fore chartis
Exopto nostris, animoque prius.



Franciſcus Tintus Veronenſis omnes Annij libros falſitatis damnat, ſumma tamen modeſtia. Diluuntur eiuſdem oppoſitiones. Mirſilus Annij non aduerſatur Mirſilo ab Alicarnaſſeo citato. Tyrrheni minimè ab Oenotris, Pelaſgis, neque Mæonijs originem habuere, nec ab vlla alia Græciæ colonia, in quo Annij ſententia probabiliori fundamento cæteris omnibus innititur §. 71.

VIrtutis amor ſuauiſſima ſua in animo allicit, & trahit, vt Franciſci Tinti modeſtia congruis celebremus encomijs. Hic ſiquidem Sabellici, Volaterani, iunioris Scaligeri, Panuinij, & Riccoboni placita ſequutus, falſitatis nota libros omnes, & ſingulos ab Annio productus inurit; ſic tamen eorum ſententiam eſt amplexatus, vt modeſtiam, & humanitatem vnquam exuerit. Non enim cum illis, probris; & conuitijs innoxium petit Authorem; adeò namque exacte intra limites litterarij certaminis ſe continuit, vt dum reijcit, ne vel leuiter virum Religioſum infuſcaret, & ipſum nomen ſemper ſubticuit. Ægrè tulimus, non niſi cum integrum iam hoc impreſſores abſoluiſſent opuſculum, eiuſdem librum ad manus noſtras perueniſſe; ſi namque ab initio datum eſſet inuiſere, vtique vbi ſingillatim opuſcula omnia controuerſa ad vnguem expendimus, & humaniſſimo aduerſario ſatisfacere ſtuduiſſemus, quod verò prius nequiuimus, nunc in calce, quaſi pro coronide aggredimur peragendum.

Satis eruditus Author igitur omnibus ſimul, & ſingulis ſeorſim Annianis voluminibus opponit. Dubitat de omnibus quòd Authores illi pro maiori parte Græci fuere, ideoque eo ipſo in idiomate paritèr conſcripſiſſe æquum eſt arbitrari, nec tamen narratur per quos fuerint latinitati donati, nec vnus ex illis reperitur, qui extet naturali ſua phraſi conſcriptus, & hinc elicere intendit omnes vnius eſſe opus Authoris, quod etiam euidentiſſimè elucet, omnes

nam-

namque ſunt eiuſdem ſtyli, & omnes eadem redolent phraſi ideòque vnius tantum capitis, & calami fuere labor, & opus. Opponit inſuper perexiguam eorum breuitatem, vt vix omnes ſimul mediocre compleant volumen; non igitur ſuaderi poteſt vt opera ſint Authorum, quorum ſub nomine circumferuntur, cum ab his certò ſciamus perfecta, & ingentia edita fuiſſe volumina.

Ad vltimum ex his reſpondemus, iuxta quæ ſupradiximus. Hæc vtique nec integra, nec perfecta eſſe Authorum opera ſed fragmenta, & minutiora quædam ab aliquo Collectore ſimul adunata, id tamen minimè ab Annio, dicit enim, ipſe à quibus acceperit.

Ad primum dicimus noſtri non eſſe inſtituti, nec enim id ab initio aſſumpſimus, vt authores omnes authenticos demonſtremus, ſed tantùm vt à calumnijs, & impoſturis Annium vendicemus; ideoque omni ſtudio, & contentione in id vnum cuncta direximus, Viterbenſem Antiquarium minimè vel elaboraſſe, vel inſcripſiſſe illa opuſcula, quod & adeptum arbitramur dum oſtendimus Beroſi deflorationem à Patribos Armenis, cæterorum fragmenta ex collectaneis Magiſtri Guilielmi Mantuani accepiſſe. Sint ergo vera, vel falſa, ſint apocrypha, vel authentica, ſpuria, vel legitima Annius nihil de ſuo repoſuit, ſed qualia acceperat edidit. Verùm quia ſaltem nimia facilitate, ſeù ſtolida potius ſupinitate in his peccaſſe alicui videri poteſt; ſui namque muneris erat omnia, & ſingula ſumma diligentia ad examen reuocare, & antequàm prælo ſubijceret, in horum ſtudio nec ſemel emungere lychnum, & rodere vngues; hac enim præcipiti, & incauta ſua credulitate omnes ferè litterarijs orbis viros in ſe acerbiſſimè concitauit. Hac igitur de cauſa peculiares Tinti abiectiones quibus ſingillatim libros omnes oppugnat diluendas eſſe noſtrum iudicauimus. Quæ Beroſum arietant iam ſupra diluimus; vt autem cæteras quoque ſoluamus eiuſdem afferendæ ſunt oppoſitiones. Contendit Tintus Manethonis opuſculum ſuppoſititium eſſe, quòd in eo citatur Beroſus, quem tamen longè ante illum floruiſſe ex apertiſſimis Chroniſtarum teſtimonijs habetur.

Quæ afferit in argumento veritati non cohærent, nec pariter ſuorum Chroniſtarum teſtimonia; hi namque (ſi qui ſunt) hac in Chronologia grauiter aberrarunt. Voſſium aduoca-

uocamus in vestigatione de Historicorum tempore, quo vixerint, & floruerint apprimè diligentissimum, in cap. namque decimo quarto lib. p. ait ille. *Manethos Sebenita Diospolitanus, qui Beroso iam sene adolescens fuisse, ac post eum superfuisse videtur, eum saltem iuniorem facit Georgius Syncellus*.

Contra Metasthenem opponit huius nominis Scriptorem in rerum natura vnquam fuisse, à quo Persarum historię fuerint conscriptæ: vtique quidam Megasthenes extitit Græcus qui de Indis plura scripta reliquit.

Ex his, quæ supra dicta sunt soluta manet oppositio, dum Metasthenem vindicauimus, ipse namque Annius admonet Metasthenem alium esse à Magasthene, ille Persa, iste Gręcus: non ergo ignorauit Megasthenem Antiquarius, vt vel sic os illorum obstruatur, qui nec illius historici nomen attigisse cæco ausu effutiere.

Contra Sempronium argumentatur, quod eo in fragmento Marcus Antonius, & Augustus recensentur, qui tamen plura post illius tempora vixere.

Ex ipsa Sempronij lectione habetur huius argumenti solutio. Nos enim vsque decies, vt nostrum erat, Caium Sempronium Annianum diligentissimè euoluimus, nec vnquam contigit in eo hæc nomina legere, cum tamen exemplar nostrum ex illis sit, quæ Author ipse prælo supposuit Romæ anno 1497. ideòque prothotypæ impressionis. Si verò Tintus legit in suo (de quo tamen oculorum certitudinem exoptamus) non aliunde venit hoc exemplarium discrimen, nisi ex fraudulenta alicuius intrusione, vt vel sic calumnijs contra Annium firmiorem fidem astrueret.

Catonis fragmentum negat ob styli ruditatem, insulsumque sermonem, plurimùm (vt ille ait) ab antquæ latinitatis elegantia dissonum, præcipuè verò à propria Catonis politissima phrasi discriminatur.

Tintos hæc volumus indulgere, fortè namque non legit quid Cicero, quidue alij plurimę authoritatis scriptores de Catonis phrasi iudicauerint: nos verò legimus, & superius ad propositum attulimus. Lapsus est igitur quia de antiquorum latino stylo, Catonianaque elocutione iudicium protulit; de re scilicet illi omninò ignota.

Insuper vrget Annianum Catonem sibimet contradicere,

vt citatur à Plinio lib. 3. cap. 19. Annianus namque asserit Venetos à Phaætonte Græco, cum Athenis in Italiam appulisset, originem ducere. Plinius verò è contra testatur Catonis sententiam esse, Venetos a Troianis initia habuisse.

Verùm pace sua dixerimus, Catonem Annianum minimè nec per somnium asserere Phaætontem Venetorum Patrem Græcum fuisse, textum exscripsimus. *Veneris cunctis prima origo Phaætontæa est, quæ Græcis occasionem mentiendi de Phaætonte, & Eridano præbuit*, Nec pariter negat Annianus Cato Troianis Venetæ stirpis propagationem; immò asserit, quod cum superuenissent Troiani sub Antenore duce inuicem se cum primis commiscuerint, istique Venetorum generationem plurimum auxerint, en verba textus immediatè post nuper recensita. *Posterius mixta his nobilis stirps Troiana, à quibus Patauium, suo conditore inclytum*. Et si ergo Plinianus Cato diceret Venetos à Troianis propagatos, nec tamen Anniano aduersaretur. Verum & id quoque falsum, saltem loco citato à Tinto, omninò namque eo in capite decimo nono lib. 3. hæc leguntur; immò nec cap. 17. in quo expressè veluti propria in sede de Venetorum regione agit. Capite tamen subsequenti id asserit, dum de Liburnorum regione disserit, verum id Anniano non contradicere ex ipso textu satis palmari certitudine ostendimus.

Mirsilum tandem reijcit eo quod alteri opponitur Mirsilo, quem citat Dionysius Halicarnasseus in primo de antiquitatibus Romanorum. Nam ex isto habetur Pelasgos, & Tirrenos vnam eamdemque gentem fuisse, alijs ex regionibus in Italiam aduentam. At ille contendit diuersos extitisse populos, Tirrenosque sua origine Italos esse, nec aliunde aduenisse.

In his de Mirsilo consimili, vt in pręcedenti argumento, errore detinetur. Verum cum sermo veniat de Tyrrenorum origine, qui Hetrurij, nunc Thusci, de quibus fama percrebuit, omnium primos post diluuium Italiæ indigenas esse, quod vt ostenderet, & propugnaret Annius totus fuit; hacque etiam de causa antiquorum opera euulgauit, pro quibus tot conuitiorum, & execrationum Myriades illi obuenere; hinc humanissimi lectoris nostri venia latiorem de his sermonem præstat instituere; nedum vt euidentiùs tam malè lacessiti Antiquarij eluceat innocentia, verum vt nobilis-

bilissimæ huic Nationi tale præbeamus obsequium, maximè Inclytæ vrbi Viterbensi, quæ olim totius Hetruriæ prima, & metropolis, nunc Ecclesiastici Patrimonij assurgit in caput, vt vel sic sibi proprium, ac congenitum semper habuisse Principatum innotesceret: Patriam hanc summe dilectam vt honoribus decoraret, encomijs attollere, incredibile dictu quot vorauerit Annius labores, quantasque sit perpessus iniurias, ac ludibria; nec longa, binis fere euolutis sæculis, tot annorum series inuidorum maledicentiam fatigare potuit.

Perspicua igitur claritate hic exponere aggredimur, quidue vt falsum de Hetrurijs explodere intendat Mirsilus Lesbius, quidue vt verum amplexetur, tum penes Annium, tum penes Halicarnasseum. Inde aduersus Tintum ostendemus quæ ab Annio produntur de Mirsilo non aduersari his, quæ de illo citantur ab Halicarnasseo, ac demùm quàm vera sint quæ de Hetrurium origine Mirsilus, & Annius tradiderunt.

Quantum ad primum adnotandum antiquius iám vetustos inter scriptores de Tyrrhenorum origine disceptatum; alij namque Italiæ indigenas fecere, hoc est non aduenarum more aliundè, sed ab initio eo ipso in solo originatos. Aduenas verò alienigenas appellabant, & conuenas. Illud de Hetrurijs asserebant, cum enim vetustissima, omnemque hominum memoriam eorum super excederet antiquitas, eorumdem in Italia principium omninò ignorabant; nec enim vel quando aduentassent, vel qua ex regione hùc accessissent satis constabat; ideoque iuxta antiquorum de terrigenia sententia, qua putabant homines ex ipsa humo ab initio primum prognatos, idem etiam de Tyrrhenis quod Italo, e solo procreati fuerint, arbitrati sunt. Censuerunt ergo Tirrhenos ab origenes fuisse, sine origine scilicet ab alijs gentibus sed á terra illa cuius erant indigenæ, progenitos. Huic sententiæ adheret Annianus Mirsilus, eamque pluribus rationibus, & authoritatibus, vt infra patebit, roborare nititur.

Alij verò putarunt eos esse alienigenas, & exteros à colonijs deforis accessis propagatos, hi fuere Græcorum historici, qui iuxta tumidæ Nationis genium magnificentiora exarantes, cunctas orbis nationes a Græcis initiatas ampul-

losa iactatione propalarunt. Verum de Hetturium origine mutuis dissidijs inter se digladiantur. Alij namque à Pelasgis ortum habuisse contendunt, & sic historiam, seù meliùs fabulam texunt. Stirpem quamdam fuisse Græcorum, quos Pelasgos à Pelasgio eorum Rege dixere, hi cum ab Arcadia per Arcadum secedere fuissent compulsi, in Thessaliam profugerunt, ibique aliquamdiù commorarunt; at inde etiam á Deucalione eiecti, cum spolijs naues conscensi in Italiam nauigarunt, vt firmas sibi sedes astruerent, cumque per Tyberim Vmbrorum confinia attigissent, quamdam ibi regionem occuparunt, in qua longo iam tempore commorati Tyrrhenos, idest Hetrurios procrearunt. Huius sententiæ est Hellanicus Lesbius, quem refert Dionysius Halicarnasseus lib. primo, non ergo est Mirsili Anniani fabullamentum.

Alij verò a Meonijs, hoc est à lydis minoris Asiæ populis progenitos volunt. Remque sic gestam narrant. Actus Meoniæ Rex duos habuit filios, vno nomen Lydus, alteri Turrenus, qui cum vel nollent, vel nequirent simul habitare nimis namque fortè angusta erant immoderato illorum ambitu, vnius Lydiæ confinia; Pater binis in copijs cunctam regni sui iuuentutem discreuit vni Lydium, alteri Principem præfecit Turrenum, & per sortes consultum cui morari, cuiue proficisci contingeret. Aliò commeandi sors fuit Turreni. Patrio ergo solo relicto suis cum colonijs naui conscensa, & expansis ad Occidentem velis in Italiam venit; vbi aeris temperie, soli fæcunditate allectus, ad sinistram, & Septemtrionalem Tyberis ripam declinauit, & occupatis sedibus, populos propagauit, qui de sui Principis nomine primùm Turreni, indè solius litteræ immutatione, Tirreni dicti sunt; verúm à Romanis Hetruri ab vrbis nomine, quæ totius regionis eorum Metropolis erat, ita testatur Dionysius lib. primo. Huius sententię de Tyrrhenorum origine fuit Herodotus, quem Strabo lib. 5. de situ orbis, & Valerius Maximus lib. 2. sequuti sunt, quibus nos etiam pluribus cum alijs recentioribus Silium Italicum adhæsisse arbitramur lib. 7. de Bello Punico, ob id enim fortè Vetuloniam, olim Tyrrhenorum vrbem præcipuam, quæ nunc est Viterbum, decus Meoniæ gentis appellat, & Consularium fascium inuentricē his carminibus, quæ etiam superiùs causa impellente retulimus.

Meonia decus quondam Vetulonia Gentis
Bis senas hæc prima dedit præcedere fasces,
Et iunxit totidem tacito terrore secures.

Virgilius quoque in hanc propendere videtur sententiam, cum Æneidum octauo Euandrum Ænææ suadentem inducit, vt vicinis ab Hetrurijs bellica subsidia exposcat, quas sic describit.

Haud procul hinc saxo incolitur fundata vetusto
Vrbis Aryllinæ sedes, vbi Lydia quondam
Gens bello præclara, iugis insedet Etruscis.

Idemque repetit lib. x. Lydos eos Tyrrhenos appellans, quos auxiliarios Ænæas habuit, dum contra Turnum, & Maxentium bella gerebat, ità namque cecinit.

Tum libera fatis
Classem conscendit iustis gens Lydia Diuum
Externo commissa Duci.

Vtramque amplexus est Plinius lib. 3. cap. 5. agens de Etruria, sicque illarum gentium aduentum tali serie disponit. *Vmbros indè exegere antiquitus Pelasgi, hos Lydi, à quorum Rege Tirreni, mox à sacrificiorum ritu, lingua Græcorum, Tusci sunt cognominati.*

Neutram ex his sententijs admittit, & vtramque impugnat Mirsylus, cui Dionysius adhæret, & ambo supradicti Xanthi authoritati innituntur, & quidem satis rationabiliter, cum antiquissimus historiarum Auctor sit, & ipsa in Lydia natus, a qua dicuntur aduenisse coloniæ illæ. Vt igitur ostendant falsum esse Pelasgos in Italiam applicuisse, & in ea progenerasse Tyrrhenos Xanthi testimonium proferunt, quo testatur, cum venissent in Italia Pelasgi: *Primo bello, Tusciam, quæ quondam Vmbria dicta est, aggressi, occupauere Crotonem.* Si ergò Tusci omnium primi hostiles Pelasgorum impetus Italiæ oris aduentantium sensere, illa certè in regione fuerant antequam accessissent Pelasgi.

Hoc idem Dionysius sequentibus obseruationibus confirmat. Pelasgi, qui adeò primi in Italiam venerunt, in ea diutius non sunt immorati; eorum namque filij, immò plures ex ipsis, qui aduenerant, quibusdam impellentibus aduersis, quæ ne Lectori grauiori tędio afficeremus, consultè omittenda duximus, discesserunt, & consensis nauigijs iterum in Græciam nauigarunt, vt nouas sibi sedes extruerent,

de his Dionysius, & Mirsillus narrant, quod in re militari, & nautica, ex habita cum Tyrrhenis in vtraque peritissimis consuetudine, summam sibi peritiam comparauerant. Euidentissima ergo illatione infertur Tyrrhenos ante Plasgorum aduentum extitisse. Authoris textum subijcimus ad euidentiorem de his certitudinem, in quo de Pelasgis loquitur. *Erant propter exactam inter bellicosas gentes vitam in re militari excellentissimi, nauticarum quoque rerum periti, propter Tyrrhenum consortium.*

Insuper addit Dionysius, Hos Pelasgos tali ex commercio, & fortè etiam societate cum Tyrrhenis, ex quibus complures, vel magis dicamus, omnes, vnà cum illis piraticam exercebant; vt inferiùs ostendemus, à Græcis appellabantur Tyrrheni. *Quod dixi* (verba sunt Dionysij) *ne quis audiens à Poetis, ac Historicis Pelasgios etiam Tyrrhenos nominari, miretur quomodo ijdem homines vtrumque nomen habuerint.* Iuxta ergò hunc modum loquendi opus est fateri, Italos nomen hoc Tyrrhenorum in Græciam, & Thraciam inuexisse, minimè verò e contra; suumque assertum authoritate Tucididis roborat Dionysius, ille namque de nonnullis Thraciæ habitatoribus aduenis ab Attica, qui bino idiomate, Græco scilicet, & Hetrusco loquebantur, ait, eos fuisse ex Tyrrhenis, qui cum Pelasgis; vel Pelasgiorum sub nomine ex Italia discessi, Athenas cum applicuissent, & Lemnum, nec illis in locis longiùs sedes tenere potuissent, ad Thraciam incolendam perrexerunt. *Sunt ibi* (in Thracia scilicet) *plurimi Pelasgi, ex illis Tyrrhenis, qui olim & Lemnum, & Athenat habitauerunt.* Quod etiam Sophoclis testimonio confirmat. Vates namque quadam sua in tragædia, cui titulus, Inacus, hoc cecinit anapæstos

Inache Pater, Fili fontium, Patris Oceani
Quem colunt Argiua compita
Et agri Iunonij, & Tyrrheni Pelasgi.

Ab hac Pelasgorum cum Tyrrhenis coniunctione penæ incautiores inualuit opinio, Tyrrhenos scilicet à Græcie Pelasgis originem habuisse; Verum si Authorum sensum attentiùs introspexissent, vtique sentirent cum Dionysio, vnam, eamdemque fuisse vtriusque generationem. Italis autem Tyrrhenis, quòd per omnia littora piraticam exercerent, validaque manu, & miro ordine in Græciam pro-

 ce-

cederent, cunctasque illius oras excurrerent, quasi grues, & ciconiæ per aera volitantes, indè Græci desumpta a ciconijs similitudine, non Pelasgiorum, sed Pelargiorum nomen indidere; ciconias namque eorum idiomate ita indigitant. In textibus igitur ex Sophocle, & Tucidide adductis, non Pelasgi, sed Pelargi legendum, ex amanuensium verò inaduertentia vnius litteræ immutatio orta est.

Et forsan erant illi Tyrrheni, de quibus Græci fabulati sunt, in delphinos fuisse immutatos, isti namque Ionium, & Ægeum mare, immò cunctas mediterranei oras excurrendo, plura depopulantes, multa sibi subigentes loca, & modò húc, modò illùc colonias deducentes, ac si natantium delphinorum specimen, prædamque inhiantium inexplebilem voracitatem imitarentur. Ex descriptione, quam de his texuit Ouidius Metamorph. 3. euidentissimè euincitur, hos ex Hetrurijs nostris fuisse, de illorum namque numero ponit quemdam nomine Lycabam Thuscum exulem ab Hetruria Thusca, quæ est Italica, sic audimus:

furit audacissimus omni
De numero Lycabas, qui Thusca pulsus ab vrbe
Exilium diræ pænam pro cede luebat.

Et hoc idem est quod tradit Dionysius, cuius sensum perperam attigit Tintus, vult namque Mirsilum, Helanici conciuis sui sententiã sequutũ, docuisse Pelasgos e Græcia in Italiam aduenisse, & per eos Tyrrhenorum gentem progenitam. Verùm longè aliter sensit Mirsilus, meliusque arbitramur sensum eius aucupatum Dionysium quàm Tintum; ille verò ex opposito de mente Mirsili expressis verbis docet; Pelasgos Græciam circumuagantes ab auibus huius nominis dictos Pelargos. Textum subijcimus ex p. lib. c. 3., in quo recensita Hellanici sententia, Pelasgos scilicet e Græcia in Italiam venisse, & ab his Tyrrhenorum propaginem exortam, sequitur: *Mirsilus contra dissentiens ab Hellanico, Tyrrhenos ait post relictam patriam passim vagabundos mutato nomine dictos Pelargos, quadam altum Pelargorum, hoc est ciconiarum similitudine, quòd agminatim oberrarent per Græcas regiones, atque barbaras.* His dictis propriam adducit Dionysius sententiam in hæc verba: *Mihi videtur omnes errare, qui credunt vnam, & eamdem gentem esse Tyrrhenicam, & Pelasgicam.* Errorem arbitratur sustinere Hetrurios,

rios, seù Tyrrhenos vnam esse gentem cum Pelasgis Græcis, ostendit enim eos omninò ad inuicem discriminari, Tyrrhenosque in Græciam profectos, & vlteriùs euagatos dictos Pelargos, non verò Pelasgos; verùm obleuissimum inter vtrumque nomen discrimen, dicti tandem fuere Pelasgi, & hoc ansam præbuit, vt cum Græcis Pelasgis confunderentur, hincque exorta sententia à Græcis Pelasgis ortos Tyrrhenos.

Verum nec prætereundum existimauimus Lectorem admonere, vt seriùs consideret quantum à sincera, debitaque fidelitate in referenda Dionysij sententia defecerit Tintus, vt Anuianum Mirsilum damnaret, quasi ab illo toto cęlo dissentientem. Ita loquitur Tintus Italo quo scripsit idiomate. *Mirsilo nel suo vero libro* (hic verò per Tintum est, quem citat Dionysius) *Scrisse i Tirreni, ed' i Pelasgi essere vn' istessa cosa, ed' essere venuti altronde in Italia; in questo consentendo ad Hellanico suo Compatriota, &c. e questa recitata opinione del vero Mirsilo riferisce tolta dal suo testo Dionisio Alicarnasseo nel primo libro dell' Antichità Romana.* Attende benignissime Lector quam bene consonent verus Mirsilus, quem scilicet Dionysius ex Hellanico conciue suo circa Pelasgos, & Tyrrhenos. & istud Tinti assertum. Voces suas repetemus, vt altiùs, & euidentius pateat veri Mirsili sensus. *Mirsilus cõtra dissentiẽs* (vides ne consẽsum, quem sibi cõfinxit Tintus?) *ab Hellanico, Tyrrhenos ait post relictam Patriam, &c.* Hæc ne Scriptorum fidelitas? Eadem tessera vt plurimum notantur, a quibus Antiquarius infensiùs oppugnatur, irridetur. At nos hisce posthabitis vlterius progredimur, vt rationes astruamus, quibus satis rationabiliter in sententiam illam propendimus, Tyrrhenos scilicet, nec Pelasgorum, nec alia ex Græcorum natione Italiæ incolæ, sobolem fuisse.

Stet igitur pro secunda ratione historicum aliud Dionysij effatum eodem lib. p. in quo Antiochi Syracusani testimonio refert: Exteram omnem ante Nationem extructis ad Tyberis ripas sedibus, Græcorum omnium primos Italiam inhabitasse Oenotrios: Hi verò, vt omnium Scriptorum vnanimi consensu patet, relicta Arcadia sub Rege Oenotrio, ætate decima septima ante bellum Troianum in Italiam venere: quod vtique tempus, cum lustris quinque vnaquæque com-

pleatur ætas, si redigamus ad annos, erant quadringenti, & vigintiquinque. Occupata namque regione illa, quam Aborigines Latij, incolebant, ibi diù morati sunt, & sobolem procrearunt. Hanc Oenotriæ gentis possessionem cecinit Virgilius loco supra citato

Est locus: Hesperiam Gray cognomine dicunt,
Terra antiqua, potens, atque vbere gleba
Oenotrij coluere viri.

Dionysius Oenotriæ gentis Aduentum recensens ait. *Vmbris, qui à Græcis dicti sunt Aborigines à montanis sedibus, Oenotrij partem aliquam sui agri adimunt.* Vmbri ergò ante Oenotrios Italiam incolebant. Et isti: *Erant gens* (sunt verba Dionysij) *cum primis antiqua, & ampla, finitima Aboriginibus.* A quibus Oenotri in Latium admissi sunt. Verùm quos progenitores in Italia habuerint super illorum montium iuga Vmbri, ex Solini testimonio cap. 7. supradiximus: *Gallorum veterem propaginem Vmbros esse.* Nos verò ibi explicuimus Gallos Vmbrorum progenitores Hetrurios fuisse, ethimologicamque huius nominis rationem satis diffusè adduximus, & ostendimus hos Gallos Celtas minimè esse potuisse, vlla enim extat memoria eos in Italiam aduenisse, nisi post plurima ab his, de quibus est sermo, & longissima tempora, cum iam Roma adoleuisset, & regeretur per Consules, eorumque Ducem hac in expeditione fuisse Brennum.

Aduertas tamen prudens Lector, nos in his accipere Italiam iuxta antiqua eius confinia, quibus olim ad occidentem longiores vltra Ariminum non extendebat limites, vt ex Plinio, Liuio, & alijs colligi potest. Stante igitur hac geographica Italiæ descriptione, dicimus Gallos, quos primùm Italiam penetrarunt, Senones fuisse sub Brenno, qui Romam sæuissimè direptam conflagrarunt. Si namque vt modò est, ad alpes vsque protensa Italiam accipiamus, ducentis ante Brennum annis Tarquinio primo Rege, vt refert Liuius lib. 5. sub Bellouiso Duce alij Galli Italiam inuasere, regionemque illam, quæ inter Apeninos, & Alpes extenditur, occuparunt, & appellabantur Galli Celtę, & Cenomani, hi nunquam ad superum mare, idest ad Adriaticū sinum accesserunt, sed pingui, ac fęcunda soli feracitate allecti, firmitatis supra Venetos sedibus, eam incoluerunt partem, quem nunc Lombardiam dicimus, & præcipuè tran-

transpadum; pulsis inde Hetrurijs, qui ad Ræthias alpes confugerunt, nec inde referre pedem compulsi, Rethorum gentem condiderunt. Galli verò Mediolanum, Comum, Brixiam, pluresque alias nobiles Vrbes extruxerunt. Sic habemus ex Liuio loco citato, ex Iustino Trogi abbreuiatore lib. 20. At de his satis, ea namque obiter attigimus, vt lucubrationibus hisce nostris aptiùs consuleremus. Verùm ad Tyrrhenorum antiquitatem calamum conuertamus, & ex iam latiùs expensis concludamus. Si eo tempore longè ante priores Pelasgos Oenotrij ex Grœcia in Italiam venerunt, antiquissimi reperiebantur Vmbri, & Vmbrorum progenitores fuere Galli Hetrurij, qui sunt Tyrrheni, quo nam pacto cohærere potest veritati, Hetrurios, siue Tyrrhenos à Pelasgis, vel Oenotrijs, siue a qualibet alia Græcorum natione fuisse progenitos, si Oenotrij omnium primi fuere, qui ex Græcia gentes in Italiam inuexerint?

Ex his satis superque abbundè posset euinci Hetrurios minimè habuisse progenitores Męones, cum isti cęteris omnibus ex recensitis sint posteriores, ac ideò si Tyrrheni vigebant cum superuenere Pelasgi, & Oenotri, equidem ni funditus deletos, vel in aera sublatos per omnes Orbis partes longissimè dispersos dicamus, vtique & firmas habuisse sedes in Lydorum aduentu cogimur fateri. Verùm vt solidiori fundamento hanc nostram astruamus, oppositamque diluamus sententiam, Scriptoris insuper testimonió firmandam esse duximus, qui cum sit e Lydia, nemo objiciet, vel rerum suarum inscitiam, vel auersi animi erga gentiles suos, seù gloriam imminuere, seù obtegere voluerit. Xanthus igitur Lydius, cuius & supra meminimus suo testimonio ostendit Tyrrhenorum stirpem ex Męonijs non subsistere. Apud Mirsilum namque, & Dionysium narrat ille, Atum, cuius filium diximus fuisse Turrenum illum, qui Lydijs cum colonijs in Italiam venit, Tyrrhenosque propagauit, vllum habuisse huius nominis filium, refert enim Xanthus, duos Atum genuisse filios Lydium scilicet, & Torebum, qui tamen intra Asiæ confinia fuere coloniarum Duces. Hinc igitur patet quam rationabiliter, quantouè cum fundamento noster Mirsilus scripserit, sic nè legitimus, siuè suppositius, Italiæ scilicet Tyrrhenos, neque a Męonijs, nec à Pelasgis, nec (insuper addimus nos) ab Oenotris Græcis

originem

dentissimè innititur. Nam si Mirsili minimè dubij, hoc est originem traxisse, cum pro hac sententia tot stent adeò euidentia testimonia, celeberrimis ex Auctoribus desumpta, ex quibus perspicuè elicitur Hetrurios Italiam incoluisse priusquàm vlla ex recensitis Nationibus accesserit.

Conciliantur Authores circa Tyrrenorum originem. Dionysius Alicarnasseus ostendit vnde ortum habuerit falsa illa opinio, Tyrrhenos scilicet à Pelasgis, & Męonijs fuisse proprogenitos. Virgilij, ac Sillij testimonia ab Annio rectè interpretata. Hetrurium nomina, & eorum significationes. Hetruria nunc Viterbum Vrbs præcipua, & antiquior totius Tusciæ. Priscorum Razenuorum caput, & Regum Hetruriæ sedes: Totius Prouinciæ, & Nationis Metropolis, aliaque plura eiusdem Vrbis decora recensentur. §. 72.

VErùm vt tot aduersæ sententiæ Authores debito prosequamur honore, & ne fronte adeò aperta Poetarum Principi Virgilio, laudatissimoque Sillio aduersari videamur, moderationem ipsam, qua vsus est Mirsilus nos quoque amplexari voluimus. Non igitur absolutè inficias iuimus Oenotrios, Pelasgos, & Męonios in Italiam aduenisse, id enim passim a vetustis Scriptoribus assertum legimus, nec vllum id negantem vidimus; sed illud vnum tantum negamus, quod vtique per citatos quoque Authores firmissimis rationibus stabiliuimus, ab illorum scilicet colonijs Tyrrhenos progenitos, hi sunt Hetrurij, & Thusci. Illæ namque gentes cum primum Italiæ solum attigissent, vel Hetrurium possessiones minimè ingressæ, vel si ad eas accessere, ante illarum aduentum ibi erant Hetrurij, ideòque minimè ab illis fuere progeniti. Hoc quod asserimus est Græcorum colonias Hetrurium sedes nō occupasse, præcipuè de

Pelaſgis,& Oenotris innuitur a Virgilio, primò namque Æneidum Illioneum inducit, aſſerentem Oenotrios eam tenuiſſe regionem, in qua Ænæç ſedes fuerunt repromiſſæ, eam verò patet, Latium fuiſſe non Hetruriam. De Pelaſgis verò idem Maximus Vatum, Æneidum 8., in quo locum ab his occupatum recenſens, ait in extrema Latij parte fuiſſe in confinio fluminis Cęritis; hæc vltima erat Thuſciæ Vrbs, alio nomine Agillina. Sic modulatus eſt Virgilius.

Eſt ingens gelidum lucus propè Cęritis amnem
Religione Patrum latè Sacer, vndique colles
Incluſere caui, & nigra nemus abiete cingunt.
Siluano fama eſt veteres ſacraſſe Pelaſgos
Aruorum, pecoriſque, lucumque, diemque
Qui primi fines aliquando habuere Latinos.

En ergo Oenotrios, & Pelaſgos intra Latij terminos conſtituiſſe, ibique ſua habitacula, & ſtationes firmatas habuiſſe.

De Mæonijs verò quod in Hetruria conſederint, negari non poteſt, niſi quis temerè vniuerſali omnium placito contrahire audeat, maximè verò Virgilio. Conſiſtere inter illos pluresque priſci illius æui Vrbes erexerunt, maximè Vetuloniã, quæ inter partes extitit, ex quibus poſtea tetrapolis Vrbs coaluit nunc Viterbum, hac verò de cauſa modulari potuit Sillius Italicus.

Mæoniæque decus quondam Vetulonia gentis.

Id communiter interpretes exponunt, ac ſi Vatis ſenſus fuerit, Vetoloniam Mæonios ædificaſſe: at noſter Annius concinna expoſitione à communi interpretatione recedit: & vult ipſe Vetuloniam plurimum decoris, & gloriæ Meonijs cõtuliſſe hoc pacto, quia in Vrbe Torebus cum ſocijs fuerit humaniſſimè exceptus, quos inſuper etiam inter ciues ſuos adſciuerit, Ducem verò ipſum prærogatiuis, ac honoribus, quibus præclariſſimi ciues decorantur, cumulauerit. Torebus verò adeò hilari animo hos in ſe collatos ſuſceperit honores, vt pro viribus gratas vices rependens, Turreni cognomẽ aſsũpſerit, totq; pro adepta Patria præclariſſima exltauerit facinora, vt ad eiuſdem Principatus culmẽ demũ cõſcenderit Quemadmodũ poſtea Tarquinius priſcus qui aduena Romanorum, regia nihilominus ſceptra eorumdem cõmeruit.

Hæc Annij expoſitio à ſolidiori probabilitate non deficit, teſtimonijs namque Authorum, quos ſupra retulimus euidentiſſimè innititur; nam ſi Mirſili minimè dubij, hoc eſt

ab Alicarnasseo citati, & ipsius etiam Dionysij placita accipiamus, Hetrurios nempè à Mæonio minimè progenitos, nec à Lydio Turreno Tyrrhenorum appellationem deduxisse: Etsi cum Xàto Lydio sentiamus Mæoniorum Principi nomen fuisse Turebi, aliud verò Turreni agnomen eidem alia de causa fuisse inditum; & tandem cum Hellanico, cui complures assentiuntur, defendamus Turrenum hunc, cum socijs Oenotriam venisse, in qua per ipsum ex Lydijs colonijs plura astruxerit oppida; his ex præmissis omnibus necessariò deducendum Ducem, Męonium Tirrhenis nomē non indidisse, sed quod ab eis potiùs acceperit, veluti nomen adoptionis, cum inter illos adscriptus fuerit, benignissimèque exceptus tantis fuerit cumulatus honoribus, vt tandem ad summum Hetrurię Principatus fastigium eũ aduexerint.

Rectè igitur Mirsilus, licet Annianus, conscripsit, Męonios sub Duce Turebo Italiam appulisse, & á Tyrrhenis pacificè receptos, in eorum dictione vt loca incolerēt admissos fuisse, Turebo insuper facultate concessa vt socijs per colonias distributis nouas conderet vrbes, quo modo illorum temporum consuetudo ferebat, quando exigua quęque tuguriola in vnum coeuntia vrbes dicerentur: ea enim tempestate cũ adhuc rarus esset in Orbe habitator, ideoq; plurima superarant ad culturam agrorum spatia; propterea sique nouæ aduentassent gentes, dummodò tranquille agerent, à primis possessoribus in societatem admittebantur, & mutuo fœdere inito fas erat recentioribus nouas condere sedes, stirpemque latè propagare.

Huius priscæ gentis humanitàtis exemplum in Sacris literis habemus; nam in Genes. cap. 22. legimus à Palestinis exceptum Abraamum, hebraicæ nationis Satorem, aduenam e Siria; eiq; concessum ipsorum in regione cum vniuersa sua familia, quæ plurima erat habitare, atq; oppidum in Bersabee construere, ibiq; Principem liberæ dominationis agere; innito, cum Abimaleco palestino Rege, ac eiusdem regionis olim possessore, & domino, perpetuæ pacis, & amicitiæ fœdere. Tali quoque pacto, vt habemus ex Liuio, Dionysio, alijsque rerum Romanorum scriptoribus, Latij Aborigenes Oenotrios primum, deindè Pelasgos, Arcadas, Argiuos Hercule sub Duce, & tandem Teucros sub Ænæa excepere. Id Virgilius docet in 7. dum cecinit

Regem

Regem Latinum centum Æneę oratores, domicilium suà in ditione exorantes, pro votis annuentem, tali humanissimo responso remisisse.

Dabitur Troiane quod optas;
Munera nec sperno: non vobis, Rege Latino,
Diuitis vber agri Troiæ opulentia deerit

Legationis verò caput Ilioneus vt habuerat in commissis exponens ait in itinere plures vltrò oblatas respuisse sedes.

Multi nos populi, multæ (ne temne quod vltrò
Præferimus manibus vittas, & verba precantum)
Et petiere sibi, & voluere adiungere gentes.

Si ergo suo cum Mirsilo Antiquarius noster scripsit Tyrrhenos benignissima humanitate aduenas admisisse in regno Mæonios, vnà cum eorum Duce Turebo, huncque vt Principem, & generosum Heroem depræhendissent, adeo effusa liberalitate honoribus cumularunt, vt nedum in patritium asciuerint, verùm etiàm ad Principatum euexerint, firmissimis innixus rationibus id fecit, & iuxta ea, quæ nedum à Priscis tradita sunt Authoribus, sed & iuxta morem antiquarum gentium, maximè Italicarum, quæ in hoc humanitatis, ac benignitatis specimine cæteris omnibus pronior depræhenditur. Nuper laudatus Rex Latinus nedum aduenam Æneam benignè suscepit, verum & sui dominij comparticipem fecit, & insuper.

Optauit generum, paribusque in regna vocauit
Auspicijs.

Hinc euidentissimè colligere licet quàm solidis i rationibus suam firmauerit expositionem Annius, simul & quàm rationabiliter negauerit à Mæonijs originem duxisse Hetrurios. Dionysius quoque recensitis in hac quæstione de Tuscorum origine sententijs, & omnium rationibus, qui varijs in partibus diuersimodè distrahuntur, singulisque benè perpensis, suam tandem sententiam aperiens ait: *Quare vereor ne verissimilior sit eorum oratio, qui non aduenam esse hanc gentem, sed indigenam asseuerant*. Idque duabus rationibus firmat, quibus, ni auersi animi durities obnitatur, intellectus satis euincitur. *Quandoquidem peruetusta est, nec cum alia moribus, aut lingua conuenire compertum est*. Et verè cum super omnium memorias suum habuerit in Italia domicilium; cu-

ius longissima vetustas cuiuscumque exteræ Nationis aduentum longo præcedit interuallo: tum etiam, cum & mores, & linguam, leges, Religionem, Numina, cætera denique omnia habeāt toto cælo diuersa à qualibet alia Natione, etiam contermina, & quæ suis vicinijs iungitur, hoc est á Latij Aboriginibus, ab Oenotrijs, á Pelasgis, à Lydijs, ab Arcadis, à tota Græcia simul, vt egregie demonstrat elaboratissimis suis in commentarijs Annius. Hæc omnia certè diuersam ostendunt à cæteris populis, qui post ipsam aduenere.

Indé manifestat ipse Dionysius scaturiginem, ac fontem, à quo error ille promanauerit, Tyrrhenos a Pelasgis, vel Męonijs initia habuisse, hoc pacto. Ab initio, & post etiam per plura tempora, cum Hetrurij cæteros omnes Italiæ populos, numero, potentia, fama longè superarent, ac ideò exteris, & longinquis nationibus super omnes innotescerent contigit, vt Italę gentes omnes, siuè indigenæ, siuè alienigenæ, vt Vmbri, Aborigines, Ausonij, Pelasgi, Męonij, Romani quoque ab exteris nationibus, pręcipuè verò a Gręcis, qui vt propinquiores frequentiùs etiam de his disserebant, sub nomine Hetrurij appellarentur. En Dionysij testimonium. *Fuit aliquando tempus, quo Latini, Vmbri, Ausones, & alij à Græcis Tyrrheni dicebantur, quod propter longitudinem earum gentium difficile esset hac diligenter discernere, adeò vt Romam ipsam Tyrrhenam Vrbem multi Scriptores opinati sunt.* Cum igitur vniuersali hac, & confusa denominatione Gręci nouissent, & Pelasgorum, ac Męoniorum colonias, quæ in Italiam contenderant, Tyrrhenos vocari, rem medullitùs introspicere detrectantes, visum est eis, vt genio gloriolæ aucupandæ plurimùm impenso indulgerent, quo totius Orbis terrarum nationibus exordia dedisse vanissimè iactant, hoc quoque sibi tribuere, Pelasgos, & Męonios in Italiam profectos originem, & cum origine nomen dedisse Tyrrhenis. Sicque mendacia mendacijs infibulantes fucatam quamdam vocum ethymologiam, & nominum deriuationem somniarunt de alitibus Pelargis, & de Turreno Mæonio, qui fortè nec vnquàm tale nomen agnouit, vt supradictum est.

Latini verò Scriptores Græcis nimium fidere, quod vtique Iuuenali plurimùm displicuit, propterea Vmbricium

amicum suum tantam indignitatem auersantem, ideoque Romæ terga vertentem, Patriam ipsam hoc scommate vellicantem inducit.

Non possum ferre Quirites
Græcam Vrbem.

Latij quoque Vates á Græcorum aretologia fabellas excipientes, histo rijs quoque passi sunt duci. Id in causa fuit, vt isti cum illis erronea hac in opinione prolapsi sint, & complures eorum in historijs, & poematibus diligentiori posthabito examine inseruerint: nec vel minimùm aduertentes quantum dedecus inferrent spectabiliori totius Italiæ, Patriæ vtique suæ, Nationi, dum suo quoque testimonio prætiosissimum hoc ei monile adimebant: Italię indigenas scilicet esse,& nec vnquã vel minimum à Græcis, vel qualibet alia noetericorum stirpe initia emendicasse.

Hinc cautiùs procedendum ab illis, qui hisce in commentarijs omni posthabita deuiante passione rectum rationis ductum sequi volunt, ne dum Annio contradicere student in his, quæ de Hetrurium origine tradidit, Poetarum, ac Historicorum testimonijs, quæ supra euentilauimus, plus æquo adhæreant, sed vel prætereant, vtpotè vario fabellantium Græcorum furfure inspersa, & ex fęciosis mendaciorum lacunis deprompta, vel benignè cum Annio interprætata suscipiant: sic nempè vt illud vnum tantum Vates intendant, Męonios cum Hetrurijs habitatione commixtos, reciproca vice, & nomina communicasse, vnde & Tyrrheni, & Męones, & Lydi fuerint appellati. Et tu quoque quisquis es, humanissime Lector, si huic sententiæ, quam tot probabilitatibus communitam intueris, adhærere placet, carmina tum Maronis, tum Sill ij, quæ supra recensuimus, in quibus Vates illi, & gentes, & Tyrrhenorum Vrbes Męonias, & Lydias appellant, hoc eodem pacto intelligas, sicut & alia eorumdem Poetarum testimonia, quæ licet Tyrrhenos, ex Męonijs, vel Lydijs ortos asserere præseferant, hac tamen eadem accomoda interprætatione sunt explicanda. Sic ea quæ Virgilius habet in 8.

O Męonia delecta iuuentus
Flos veterum, , virtusque virum, quos iustus in hostem
Fert dolor, & merita accendit Maxentius ira,

Et ea, quæ in nono:

Nec satis: & extremas Coriti penetrauit ad Vrbes
Lydorumque manum collectos armat agrestes.

Pariter quæ Silius cecinit lib. 5.

Ergo agit arreptis præceps exercitus armis
Lydorum populos, sedemque ab origine prisci
Sacratam Coriti, cunctosque à sanguine auorum
Mæonios Italis permixta stirpe colonos.

In secundo quoque loquens de Trasimene, à quo Lacus Perusij famosa Romanorum clade celebris nomen habuit, eum filium Turreni Lydij asserit

Lydius huic genitor, Tinoli decus, æquore longe
Mæoniam quondam in Latias aduexerat oras
Tyrrhenus pubem, dederatque vocabula terris.

Huic insuper errori, à Græcorum nempè colonijs Tyrrhenos progenitos, plurimum contulit fęcunda nominum indita multiplicitas, nam & Hetrurij, Tyrrheni, Tusci, Tuscani dicti sunt, quorum plura, si non omnia, Græci creduntur idiomatis, ac ideò ab ijsdem vtpote stirpi suæ imposita. At verò quantum propria sua debilitate nutet, ac vacillet hoc argumentum, quis adeò mente cęcutiens non videat? Num fortè repugnat græca nomina, a Græcis etiam imponi, rebus, seù magis regionibus, & populis minimè græcis, nec a græcis progenitis? Sic huic obiectioni occurrit Dionysius lib. p. verba eius excripsimus. *Hoc autem nomine à Græcis appellatos esse nihil vetat, vel propter domicilia turrita*, vel ab *aliquo præpotente Principe*. En aliæ rationes, quibus fortè Tyrrheni Hetrurij dicti sunt, a turritis nempè ædificijs, sic namque sibi domos construebant, vel etiam de nomine alicuius eorum Principis, & si non fuerit Męonius Turebus. Et gratis concesso quod ille fuisset, adhuc cum Annio in commentarijs ad Mirsilum dicimus, Principem ipsum à Tyrrhenis Hetrurijs nomen accepisse, indeque ille suis colonijs indidit, quas secum duxerat, & varijs in Hetruriæ locis disperserat, pluribus constructis oppidulis omnes Tyrrhenos appellari voluit.

Hoc verò nomen Thusci, licèt sua significatione, & deriuatione græcum sit, a voce desumptum *Thuscous*, qua significatur in diuino cultu excellens; nihilominùs inditum creditur a Romanis, ab eis namque Thusci dicebantur, & eorum Regio Thuscia, quòd Sacrificiorum superstitioni-

bus

bus essent plurimùm addicti, & in aruspicijs peritissimi; adeò quod hac in professione celeberrimum erat in regionibus nomen. Quod & à Dionysio accepimus loco citato in hæc verba. *Et ob excellentem Sacrorum, ac diuini cultus peritiam, nunc quidem obscuriùs, olim verò integra voce, quemadmodum Græci, Thuscous Romani vocabant.* Superiùs id etiam attulimus ex Plinio.

Ità pariter ab ijsdem Romanis, vt opinatur Dionysius, dicti sunt Oenotri, siue Hetrurij, vtraque enim vox idem nomen est, ab eorum Vrbe nomine Hetruria desumptum, & illis impositum. *Romani quoque appellarunt Hetruscos ab Hetruria, quam Ciuitatem aliquando ipsi habitauerunt.* Testatur Alicarnasseus. Ex quo licet ratiocinari Vrbem illam antiquiorem, alijsque nobiliorem fuisse, & cęterarum omnium Metropolim, si totam Prouinciam de illius nomine indigitarunt, quæ Italo in solo a Macra flumine, Liguriam ab Hetruria disterminante, ad Tyberim vsque protenditur, & à meridionali latere Apenini ad littora vsque Maris Inferi, quod & Tyrrhenum dicitur, sua extendit confinia. Prouincijs namque de sui nomine appellationem imponere, illis tantū Vrbibus datū, quæ cęteras omnes, antiquitate, diuitijs, ædificiorum structuris, murorum ambitu, mercimonij vltrò, citròque opulentia, populorum numero, nobilium amplitudine, longa manu antecedunt: quales fuere Babylon apud Assirios, Samaria in Syria, Troia in Phrygia, Creta in Cretæ Regno, & aliæ plures, quarum singulæ cum Caput, & Metropolis essent sua quaque in Prouincia, de eorum nomine tota regio est appellata.

Idem censendum de Vrbe Hetruria, quæ omni proculdubio est Viterbum, quod vtique ostendimus simul nectendo quædam Hermolai Barbari, & Plinij secundi dicta. Ille ab Annio relatus quæst. 16. Anniana, ait: *Viterbienses sunt Volturreni habitantes iuxta Minionem, & Volscinos.* Iste verò lib. 3. cap. 5. scripsit. *Volturreni cognomine Hetrusci, & Voluinenses sunt in eadem parte.* Hoc est Volturreni (per Syncopem Volturni) dicti sunt etiam Hetrusci, quod idem est ac Hetrurij, & in eadem siti sunt parte, qua & Volsci; non igitur ambigendum hos esse Volturrenos, de quibus Barbarus etiam dixit, quod habitant in vicinijs Volsciorum. Ex binis hisce contextibus tale conficimus argumentum.

Viterbienses sunt Volturreni, hi autem sunt Hetrurij, ergò Viterbienses sunt Hetrurij: quæ ergò extat Vrbs Viterbium sub prisco nomine antiqua fuit Hetruria. Hæc igitur quia cęteris omnibus Tyrrhenis prior constructa fuit, tum quia ab ipsa emissæ fuere coloniæ, tum quod in ipsa residebat Lartes, totius scilicet Nationis Rex supremus; quia in ipsa generalia comitia celebrabantur; quia celeberrimum illius templum Volturnæ dicatum, vel vti legitur apud Liuium, sed impressorum credo errore, Voltumna, erat totius Hetruriæ curia; quia ad ipsam conueniebant duodecim Lucomones, Principes nempè duodecim populorum Hetruriæ (Huius nominis vestigium mihi apparere videtur eo in nomine, quo Nobilium vestes Lucenses gentilitio idiomate appellant. *Il Lucco*.) Conueniebant ergò isti Lucomones, vt super negotia, tum peculiaria vniuscuiusque Satrapiæ, tum communia totius Tyrrhenorum Reipublicæ, simul consulerent; tum quia demùm ab ipsa donabantur tituli, Regum insignia, priuilegia, exemptiones, omne illud denique, quod authoritatis, vel decoris per dominantium manus principalioribus in Vrbibus populis dispensatur. Nihil igitur dubij remanet quin prisco eo in æuo totius Thusciæ Regina extiterit.

His ergò omnibus modò enumeratis ornamentis, ac fastigijs olim mirificè decorata resplenduit Hetruria Ciuitas, pluribus alijs etiam antiquitùs appellata nominibus, Turrena scilicet, Volturrena, Volturna, Eturtia, Hetruria, Paratussia, Veiutia, Longola, & Vetulonia, ex quibus quædam eadem sunt, eumdemque locum significant, tantumque diuersitate pronunciationis discriminantur: alia verò partes nominant, tunc męniorum quidem ambitu disiunctas minimè verò ciuili gentium communicatione, quæ postea omnes per Desiderium vltimum in Italia ex Longobardorum Regibus vnica murorum sepe colligatæ in vnam Vrbem Viterbium coiuere. Huius rei memoria lapide marmoreo inscripta æternitati consecrata asseruatur, quam etiam ex Annio nos supra retulimus. Quod verò tantis circumdata honoribus, cumulata titulis, dignitatibus insignita, rutilo, & corusco splendore fulserit laudatissima Tetrapolis (Viterbium dicimus) de quampluribus testimonia firmissima nostris hisce in lucubrationibus adduximus, de

omnibus

omnibus verò Antiquarius noster suis in scriptis, maximè in commentarijs ad Xenophontis æquiuoca, eruditissimis rationibus, & Authorum testimonijs cumulatissimè ostendit. Si qui verò Annium veluti tenerrimo Patriæ amore hallucinatum, nos verò vt comprofessori nostro nimio affectu obnubilatos reiecerint, fidemque dictis præstare detrectarint, saltem Petri Marsi testimonium recipere non renuant: hic namque nec recens Scriptor, verum inter eruditiores Sillij Italici commentatores suscipiendus, vllo ab affectu vel deuiari, vel infatuari potuit, æquum igitur de his proferre potest iudicium. Eruditissimus expositor ad illa carmina de secundo bello Carthaginensi, quę supra retulimus.

Mæoniæque decus quondam Vetulonia gentis
Bissenas hæc prima dedit præcedere fasces,
Et iunxit totidem tacito terrore secures.

Illustri calamo hæc addit. *Non sine ratione dicit Vetuloniam dedisse ornamenta, quoniam erat regia Regum Hetruscorum, & illarum Vrbium caput.*

Nęc ab aduersarijs obijci potest hunc quoque stellionis morsu infectum cum cæteris etiam inuitò saltitare adigatur (adeò humaniter Riccobonus vellicat eos, qui ab Annij aranéola) videsne quam honorificè virum sacris addictum excipiat (illaqueari passi sunt). Incassum hæc eiaculantur liuoris spicula in Marsum; nam ante Annium floruit, & eius in Sillium cōmentaria ex typographia Torti prodiere Venetijs an. 1483. quindecim annis prius quam Annij antiquitates Romæ per Eucherium Siberum imprimerentur. Quæcunque igitur Marsus de Regijs Vetuloniæ præminentijs prodidit, nec mutuauit ab Annio, nec ab eiusdem Authoribus, sed à veris, certis, & classicis, qui de antiquitatibus scripserunt, in quibus ipse versatissimus erat. Hos euoluere debuisset Abbas Vghellus, vltimus vsque in hanc diem, vt nobis innotuit, Antiquarij nostri censor, & insectator; sic namque sacra sua in Italia inter Viterbi laudes, quas sicca manu spargit, fæcundissimam encomiorum segetem in regiam vrbem decentius effudisset, nec præclarissimum, & tot meritis cumulatissimum eiusdem Ciuem gerris, & probris infuscasset.

Ex huius Authoris inspectu, adeò indignè Annium excipientis exulcerato, iam dici ab alijs etiam, recentioribus in

eumdem eiaculatis iniurijs animo, parum abfuit, quin recrudeſcerent vulnera, & horum dolore exaſperatus calamus in operis calce iterum primi veſtibuli exordiretur aſperiora verba, & lamenta, contunderetque blaterantium procacitatem laceſſita patientia. Verum dum per encomia, & laudes inclytæ Viterbienſis Vrbis ſtylus libens excurrit, mens vndique ſuauiſſima perfuſa dulcedine, neſcit duriora concipere, cunctaſque animum pertentantes amaritudines longè depellit grata ſuauitas, & omnem, ne altiùs ſubrepat, vim veneni depellit. In his igitur quieſcendum foret, ni mentis quædam exorta perplexitas circa nupèr recenſita Sillij carmina, quæ nec animum quieſcere ſinunt, & arcana vi ad vlteriùs inquirendum compellunt. Impensè namque nos ſcire percupimus, cetæriſque tradere optamus, nec ne Lydiæ Mæonij in Vetuloniæ exordijs, vel incrementis ſiue quolibet alio pacto partem vllam habuerint; nam quãuis ita contigiſſe tantorum Vatum apertiſſimis teſtimonijs confirmatum inſpiciamus, vix tamen ad aſſenſum animum flectere poſſumus. Pelignorum vatis authoritas plurimum retrahit ne vniuerſali ferè omnium placito aſſentiamur. Ille namque Faſtorum 4. docet nullam aliam exteris ab oris Italiæ littoribus applicuiſſe gentem ante Arcadas, quorum dux extitit Euander.

In his verò vni potius Ouidio credendum quàm cæteris Poetis omnibus; iſti namque rem minime ex propoſito euentilarunt, ſed tantùm incidenter, vel vt Vrbes, vel vt Gentes epitethis exornarent, ideoque ſine diligentiori examine communiorem ſequuti ſunt ſententiam, quam Græci ſcriptores (genus in gloriam ſuam effuſiſſimum, vt de illis aiebat Plinius lib. 3. cap. 5.) audaci mendacio inuexerant; quibus vt ſupra oſtendimus, nil magis cordi fuit, quam vt id vnum aſtruerent, Græciam ſcilicet, nedum Italos, verum, & totius Orbis terrarum gentes propagaſſe. At Ouidius in Faſtorum opere illud ſibi ſcopum fecit, vt ſolemnitates, ritus, ſacrorumque cærimonias, ſacrificia, omne denique, quod Gentilium religio Romæ peragebat ab antiquorum ſucceſſibus, & geſtis initia habuiſſe, quod, & expreſsè proteſtatus eſt lib. cit.

Tempore nunc cauſis annalibus eruta priſcis
Lapſaque ſub terras, ortaque ſigna cano.

At ideò ei opus fuit summa diligentia, prudentiorique examine veras adinuenire historias, & a falsis solidiora secernere, ne supra inane fundamentum, nutantemque basim rationes superstrueret, quas de singulis festorum, sacrificiorum solemnium institutionibus assignandas proposuerat. Vni tantùm igitur Ouidio in his historialibus credendum, quippe qui maturo consilio, & data opera quæcumque ad ea spectarent diligentius euentilauerit, & ad vltimam vsque rerum omnium radicem cuncta enucleare, ac intime penetrare studuerit, etiam contra sentientibus cæteris, qui aliud omninò pertractantes, incidenter tantum, vt res exigebat, quæ ad populorum origines spectant attigerant. Sulmonensi igitur inhærendo, neque Meonios, neque Pelasgos, neque Oenotrios vllam ve aliam exterorum nationem, siuè ex Barbaris, siuè ex Græcis ante Arcadam Euandrum, his omnibus recensitis longè posteriorem, in Italiam aduenisse sustinendum; Neque enim Italum Solum, vel gentium propaginibus popularunt, vel extructis vrbibus regnorum ve iactis fundamentis exornarunt, nec demùm minimum quid ex his, quæ sibi arroganter vsurpant, peregerunt. Vatis testimonium est 4. Fastorum, ibi enim rationes adducens cur per Romulum quarto mensi Aprilis nomen inditum fuerit à Venere iuxta Græcam illius appellationem Aphrodisia, nomen a maris spuma deductum, ex qua iuxta fabulas ortum habuit; nam dubium esse poterat an Romulus calleret Græco idiomate. Ergò docere volens Ouidius.

Cur Veneris mensis graio sermone notatus.

ait nulli neque mirum, neque impossibile videri debere, cum ante Romulum, & in Latio, & alijs Italiæ in regionibus, & Græcos, & alias nationes, Græcorum lingua loquẽtes, sedes fixissent; vt ideò ex eorum consuetudine, & Latini, cæterique Itali plures didicerant voces, his verbis Lectorem alloquitur Vates.

Nec tibi sit mirum Græcorum nomine dici
Itala nam tellus Græcia maior erat.

Vt autem ostenderet quantum veritati consentanea esset hæc in sermone Græco Itala commixtio, cunctas Græcorum colonias recenset, eorumque affinium, quę ante Romuli ortum Italię incolę fuerant; tali ordine seriem contexuit.

Venerat Euander plena cum classe suorum
Venerat Alcides, Graius vterque genus.
Dux quoque Neritius: testes Lestrigones extant:
Et quod ad huc Circes nomina littus habet.
Et iam Telegoni, iam mœnia Tyburis vdi
Stabant, Argolicæ quæ posuere manus.
Venerat Atridæ fatis agitatus Halecus,
A quo se dictam terra Phalisca putat.
Adijce Troianæ suasorem Antenora pacis,
Et generum Oeniden, Appule Daune tuum.
Serus ab Iliacis, & post Antenora flammis
Attulit Aeneas in loca nostra Deos.
Huius erat Solymus Phrygia comes vnus ab Ida
A quo Sulmonis mœnia nomen habent.

Quis hinc ostendit nobis recensitos Oenotrios, Pelasgos, Mæonios?

Nec officit ab authoritate negatiua argumentum esse desumptum: nam equidem nos supra huiusmodi vt nulla exsufflauimus, at simul, ibi docuimus tunc talia argumenta valida esse, ac firma, quando debitis circumstantijs construuntur. Tale est argumentum ex Ouidio desumptum. Cum enim Vates eo loci recensendi sibi prouinciam assumpserit quotquot ex Græcis in Italiam venerant, vt congrua inductione thesim hanc probaret.

Itala nam tellus Græcia maior erat.

Hoc est Italiam maiori ex parte Græcis coalescere colonijs; si rectè raciocinandum est, vtique recensita inductione vllam præterire debuisset ex eis, maximè verò adeò celebres, vt fuere Pelasgi, Lydi, atque Oenotri, si verè fuissent. Quænam maior ratio erat, vt illas adduceret, has verò sileret, dum æqualiter eius firmabant assumptum, Græcorum scilicet gentes venisse in Italiam, in qua firmatis habitationibus, Itali Atticum idiomate didicere. Hæc est nostra de Græcorum transmigrationibus sententia. Cæteri quam voluerint eligant; nec enim vlteriùs irrito nisu, vanoque labore quempiam adigendum suscepimus. Quin immò in his calamum otio concedimus, & operi *Telos* imponimus. Opus quidem fatemur sine opere, & ingenio, ideò ingenuo frontis rubore propriæ exilitatis nimium ausæ ab humanissimo Lectore veniam petimus. Maximè si duriusculis aliquando

verbis,

verbis, nec integrę lenitatis vocibus animum eius offendimus. Calamus namque est lingua manus, & vtique nil minus ac oris lingua labilis. Discreta tua humanitate cogita quàm feruidè spiritus succensi intra pectus ebulliant, nihil minus ac ignis bellico in tormento inclusus, vtique violenti conatu ferreum quoque sinum disrumpet, ac lacerabit in frustra, si exitum intentanti viam intercludas, nunquam verò sine fragore, raró sine vulnere egreditur. Perpende opusculum hoc apologeticum esse, quantoque necessitudinis fœdere simul iungantur apologia, & satyra, vt vix sine huius spiculis illa incedere queat. Insuper expende scommata, imposturas, falsationes, dicteria, exibilationes, quibus iniuste in personam carissimi fratris nostri fuimus lacessiti, & vide an gratis succenseamus, ac nimis facilè efferbuerit bilis. Demum inspicias necne id fuerit nostri muneris ab innocente depellere spicula, nam si rectè quartà sua inuectiua censuit Venusinus.

Qui non defendit, alius dum culpat, amicum
Innocuum, hic niger est, hunc tu Romane caueto.

Nonne & nos totius iniquitatis essemus, fortè ac malignitatis piaculo obnoxij, ni pro viribus à calumnijs asserere studuissemus amicum, nec quidem iuxta sæculi affectiones dilectum, sed spirituali dilectione in spiritus vnitate, & professionis, eiusdemque instituti, cuius capitali ex præcepto habere tenemur: *Cor vnum, & animam vnam in Domino*. Quod igitur nostrum erat peregimus, totumque, si quid erat, erogauimus, omnia que simul nostra impendimus; cumque nihil addendendum supersit, hic finem imponimus.

Tecum tantum breuiter alloquor, libelle: patere ne pusillitatem tuã vlterius nouis additionibus extendamus, satis superque spem ipsam, cũ te mente concepimus, grandis factus es: cumque ea quibus coalescis, vndiq; defectibus exundent, te plurimũ timeo tædij, ac nauseæ Lectoribus allaturũ: Perge igitur, & si quis nuditatem, & inconcinnitatẽ tuã carpit, totũ in genitoris tui summam egestatẽ reijce, nec enim plura, vel meliora e penu suo habere licuit, vt cõptior euaderes. Hoc vnũ quod valemus calceos impartimur, vt decentius compareas, & expeditiùs obambules: breuem licet futurum arbitremur itineris tui excursum. Hos à Martiali mutuatos in quarto tibi libentissimè comodamus.

Obe

Ohe iam satis est, ohe libelle
Iam peruenimus vsque ad vmbilicum.
Iam Lector queriturque, deficitque
Iam librarius hoc & ipse dicit.
Ohe iam satis est: ohe libelle.

Hic calamus sistit, hic bilis quiescit.

Ad Franciſcum Sparauerium, plus æquo in Thomam Mazzam excandeſcentem.

PARAENESIS.



Vouſque tandem, Franciſce Sparauerie, exuta feritate ad humanitatem redibis? Nunquàmne conuicijs, & iniurijs finem impones, quibus inſontem hominem, te qui nunquam læſerat, non laceſsiuerat, ſed nec modo vllo prouocauerat, ſemper dilaceraturus inſectari inſtituiſti? Non ne ſatis tibi fuerat, pro indulto tuæ dicacitatis, me impetiuiſſe ſemel? Non ne plus ſatis, etiam pro explendo tuo in me furore, repetitis ijſdem, quæ prius, & addauctis quamplurimis alijs conuiciationibus, in me itidem fuiſſe debaccatum? Et cur tertiò, & ſuper alijs, citràque omnem rationem, & honeſtatem aſperrimè, teterrimè, effrenatiſsimè arripuiſti me, tuis accipitrinis vnguibus diſcerpendum?

Te ipſum aduoco Iudicem ſi iurè, vel iniuriè feciſti, dummodò tamen à turbidis affectionibus mentem dinubiles, quo ſincerè inſpicias, vt rectè dijudices. Quis noſtrum de iniuria, de procacitate, de malignitate, denique de impoſturis, & falſitatibus condemnari mereatur tuum eſto iudicium, à te proferatur ſententia. Ego cum ſcripſi Apologiam pro Annio nunquid te læſi, qui nec cogitatu quidem te, quem nondum ſciebam an eſſes, nominaueram in ipſa? Tu verò, tanquam ſi cauſa tota tua eſſet, in me furibundè inuectus, quantis obtrectationibus, qualibus ſcommatibus, quibus contumelijs, quibuſue iniurijs, vſque ad criminationem, per impoſturas, me obruiſti? At ego ſic malè actus, factus nihilominus: *Sicut homo non habens in ore ſuo redargutionem*, indolebam quidem cum amicis,

querulis vocibus, hoc immeritum infortunium meum; vti cum genuit in *cauerna maceria* timidula columba ab Acipitre insequta. At nondum confugeram ad calamum, pendens diù, an dissimulare satius, an vindicare.

Interim vindicauit, ac defendit me silentem, non rogatus, non inuocatus, Testis mihi Deus, Macedus, ille, quem tu irrisoriè appellas: Cimbalum Muudi, cuius tamen sonitus multorum aures tinnire facit. Beneficium istud á præclarissimo Viro mihi certè non innotuit, nisi ex de latione Amici, tunc, & modò Patauij degentis, qui viderat, monstrante Auctore, gratissimum opusculum. Huius certissimę veritatis id sit inditium quod cum officium tale à nullo sperarem, ego interim, concedens amicorum hortamentis, memet, Marte proprio, meaque Minerua, vtcunque per calamum defendere statueram, atque incœperam. Hoc dixi quatenus inuerterem impactam mihi per te calumniam, quod prece, ac pretio conduxerim Macedum eundem subsidiarium meum.

Processit igitur Macedus, continujt Mazza. Tu verò istum, qui tolerando tacebat, incensior, atque ferocior, tanquam si ipse te instimulasset, repetitis, ac ampliatis iniurijs inuasisti; illo fere dimisso, qui te accerbiore stylo, quam & ego voluissem, irritauerat, ac quodammodò cierat ad conflictum. Quis hæc attendens non dicet te ab aliquo Genio malo in Mazzam solum, vti quondam Saulum in Dauidem incitatum?

Peruenerat ad manus meas feralis liber, quem ob scriptum Macedi condideras; lego titulum: *Castigationes Apologiæ Mazza*. Hui, inquam, recrudescit in me Mastiga meus, flagrum repetit horrisonum, vt me iteratò castiget, & quã ob nouam meam culpã? quid feci, quid commisi in illũ, ob quod tã pertinaciter ipsius vnguibus dilacerari meruerim? Et, quãquam ex superbo isto, tetricoque lemmate commotus, procedebam tamen lectitando condemnationem meam; cumque peruenissem vbi tu, tanquam excusans iniquum factum tui Elenchi, quem ad Apologiam Annianam apponi concesseras, dicebas te illũ non animo propalandi, *sed soli tibi*, & Musis, *ex quodam impetu* nondũ cohibito confecisse, *quo remisso, suppressurus, & coerciturus eras*; sensi tunc in me deferuescere incensam indignationem, & commotione sedata, statuebam

In prolog. 1.

hanc

hanc tuam qualem qualem excusationem pro satisfactione mea suscipere. At cum pergo excurrere librum, & offendo ad secundum Prologomena, prælusionem scilicet tuarum in me inuectiuarum, proprinm titulum! *Ad Thomam Mazzam:* Ad me? En quod dixi: iste homo me posuit signum ad Sagittam, vt me transfodiat; reuaginat gladium, quo iterum me iugulet; rursum furit, rursum ferit, meumque impetit caput, quã ob causam? Nimirũ quia primam nõ repuli incursionẽ quia primas non propulsaui iniurias? Idcircò quia sustinui, quia non repercussi, quia me non commoui, me denuò verberare, & conficere constituit? Ergo patientia, mansuetudo, dissimulatio ad ipsius existimationẽ, est culpa asperrimis mastigationibus castiganda? Quid igitur faciam, si & cum suffero vapulo, & cum taceo plector? Loquar itaque aliquando ne semper silentium meum, & tolerantia mea mihi imputetur ad crimen. En causa reassumendi intermissum calamum, & libellum defensionis meæ, ad huc secretum penes me, & in scriniolo meo latitantem, complendi, & euulgandi.

Tu me renuentem impulisti, Domine, repetitis in secundis scriptis tuis, vituperationibus meis. Acriter eas propulsaui, non diffiteor, at tu id me agere tuo exemplo docuisti. Tu præiuisti, egn secutus sum; per tua vestigia incessi; Te doctorem sum imitatus discipulus; denique paria pro paribus ad talionatum reposui. Memineris tuam esse sententiam, quam etiam Quintiliani auctoritate nisus es fulcire: *Licere, ob patrocinium, conuiciandi aliquandò.* Ergò tibi licuit Elenç. 2. tertiò, in me contumeliarum omnigenarum agmine impulso, ad offensionem conuiciari, & mihi nec semel ob patrociniũ meæ famæ decuit reconuiciari?

Verumtamen & si hoc iustè, ob causam, me fecisse profitear, doleo tamen, & facti pœnitet, & non fecisse vellem, ob scandalum, quod vereor me iutulisse minus perfectis, & à religiosæ mansuetudinis professore clementiora sperantibus. Eo etiam doleo, quod te vltra quam optassem conturbauerim. Hinc perpendeas licet, quam diuersæ sint in nobis ad inuicem affectiones. Tu de vituperationibus, quas in me bis, & iterum regessisti delectaris, & complaces, teque solum pœnitere deieras, quod me semel laudaueris, laudatione, quam nolim; ast ego, quod te verè, ac sincerè lauda-

 nerim

uerim pluries, & gaudeo, & confirmo, conuiciorum tantummodò, quæ ægtè, ac fermè coactus tibi rependi, nunc pœnitens, & pro salute mea non fecisse peropto.

Perpende quoque quam dispari via tu, & ego mutuis in conuicijs incesserimus. Ego semper reuerenter, & cautè, ne te traducerem, processi; tuum vbique nomen subticendo, ac tantum sub efficta Ibidis appellatione notaui; quatenus qui sis non innotescereris, nisi illis, quibus tu Elencum tuum, meam scilicet flagellationem, propalasti, à quibus nullum tuæ famæ periculum erat pertimescendum; nam te qualis sis probè iam sciunt. Ab exteris autem, & ab ijs, qui quod in me scripseris penitus ignorant, quid detrimenti existimationi tuæ potuerit obuenire ego non video, & eo maximè quod credam adiudicari posse, vt quemadmodum nomen, ità personam opponentem affinxerim, quò possem dilucidius asserta mea in Apologia explicare, atque solidius confirmare. Tu verò, heù quam semper pertinaciter insististi, in tribus tuis, quos aduersus me infercijsti libellis infamatorijs, me vbique diffamare, & dedecorare? Tu in illis, & proprium, & gentile nomen meum aperuisti, & tanquam hoc non sufficeret tuæ, qua exæstuabas, libidini me traducendi, addiecisti & titulos, & gradus, & officia, & quidquid me poterat signantius declarare; nil veritus, quod non vni ego Ciuitati, sicut tu soli Patriæ, sed plurimis Italiæ vrbibus, quas vel incolui, vel peragraui, sim cognitus non obscure.

At præcipuè non officiat tuę conscientię, admoneo, postremum hoc, si tamen postremum, sed certè tertium, ac teterrimum scriptum tuum, præ cęteris onustum improperijs, de me excogitatis, quod in me pleno furore, ac atramento prorsus acheronteo, scripsisti; cuius & plurima exemplaria studiosè hùc Genuam transmisisti, quo copia maior, vbi ego inhabito, quam alibi, tuarum diuitiarum, quæ sint dehonestamenta mei, habeatur. Verum quid hoc molimine obtinere sperasti? Nempè vt me in hac Regia Ciuitate, vbi sacro Religionis Magistratu fungor, contemptibilem, seù etiam flagitiosum suaderes; atque bonæ existimationis, qua apud Ciues beneuolos fruor, me expoliares? At scito votum hoc tuum minimè consecuturum optatum; nam prudentissimi, & æquissimi Genuenses, norunt, ac vo-

sunt, non ex alienis relatis, præcipuè maledicis, & conuiciosis, sed ex scientia, & conscientia propria iudicare de moribus. Non itaque maledicta tua, sed benefacta mea, & Genuæ, & vbicunque degero, me qualis sim effigiabunt. Timendum quinimò tibi erat, ne malam famam ex famoso libello tuo tibimet adsciseres, qui in eo tam rabidè, & effrenatè alios infamare exarsisti. Quis enim eum legens non percipiet statim te Virum esse rixosum, & ad iniurias institutissimum? *Loquela tua manifestum te facit*. In te igitur reuersus sis, oro, aliquando tibi ipsi vtilis, propriæ famæ consulendo, nec sis semper alijs infestus, & perniciosus.

Quamuis, vt dicam quod res est, nusquam, nec vnquam vtilior mihi fuisti, quam nunc in hac, super cæteris iam vibratis, infensissima insultatione tua. Etenim cum peroptarem irrequietè sauciatæ, ob contritionem, conscientiæ meæ mederi, quæ me assiduis suis latratibus excitabat, atque monebat euertere scandalum, quod nimium intemperanti meo aucupio intuleram Mundo; orabam ex corde pientissimum Dominum, vt volenti mihi, ac enitenti, alicuius occasionis opportunitatem largiretur, qua possem emendare calamo meliore, quod deteriore peccaueram. En obtinui, permissione sua, & commissione tua, quod meo erat in voto, nempè vt tu amarulentius rescriberes in me, quo & benignius rescribendo ad te: quatenus. *In spiritu lenitatis te saluum faciam*, cum *in spiritu vehementi non potuerim conterere naues Tharsis*: & tibi quo velle decet, & mihi quo possum, & Mundo quò licet, & Deo quò debeo satisfaciam. Id quoque boni ex hac iterata prouocatione tua mihi non cogitanti obuenisse persentio, quod ex industria conquisiuerat sibi Thebanus Crates, qui vt se ipsum exerceret ad perferenda conuicia, conuicijs scorta insequebatur, irritans ad conuiciandum. Ita & ego ab vrgentissimis conuicijs tuis ad perferenda imposterum, quæuis, maledicta me roboratum constitui. Ego equidem pepigi fœdus cum patientia mea ne amodò succenseam ad corruscationem *fulgurantis astæ tuæ*, linguę scilicet a feruore nimię iracundiæ commotę. Tu dixisti de me quod *homo sim acerrimæ bilis, & cui non facilè mota sedatur*; & tamen semel tantum incensa in te bilis, mea; & heu quantis, & quam vrentibus iniuriarum tuarum inflatibus excitata; statim vnius mei defensorij libel-

[Margin: Eccl. 45. / A.Gal. 6. / Psal 47. / Prolog. in Castig.]

li exhalatione euaporata deferbuit, penitusque extincta est; tua verò, & à nullo præter quam à sese concitata, etiamsi tertiò, latissimis caminis, expirata, adhuc ebullit, adhuc fremit, detonat, fulminat, comburit.

Denique vt mansuetudinem, quam tuæ feritati, hic me deuouisse potestatum audisti, tuo de me comprobes experimento, etiam cum tecum congredior: si forte detur vt hac victima lenitudinis placetur asperitas, tuusque furor compescatur; volens, & ad postremas obiectelas tuas, quas infinitis propè exprobrationibus, & contumelijs intermixtas in tuis nuperis papyraceis euulgasti; quo omne fomentum disceptationibus, & conuiciationibus subducatur; ità sobriè, pacatòque respondebo, vt nihil de iniuriosis verbis tuis, tamquam si nusquam essent, attingendo, oppositiones tantummodò, à te recoctas, diluam, tibique in obsequium veritatis satisfaciam.

Ergo incipis me ornare solitis decoramentis tuis à temeri-
Pag. 3 tate, prçconizans me *hominem notissimæ temeritatis*. Vndè me noscis, vndè me facis? nimirū quia ausus sum Anniū vindicare ab impactis sibi *per tot egregios Scriptores* calumnijs planatus? At num hoc ausus sine auctoritate, & exemplo plurimorum
Pag. 9. itidem Scriptorum, quorum recensui plures? Hos tu *literiones appellas*. Qua modestia? Verum credo me temerarium, quia non timui tecum congredi, tamquam Thersites conflictaturus cum Achille. Quæso parce, ignosce, hanc mihi noxam remitte, cedo nunc, & concedo palmam, tu sume anadema.

Inde mihi imputas ad opprobrium quod non nisi per multum temporis, scilicet *septem mensium*, à delatione tui libri e Germania Veronam, euulgauerim meum. Tanquam si & ego degerem Veronæ; vel statim mihi fuerit transmissus Genuæ commoranti; quod debuerim incunctanter calamum arripere, & scribere; quod possit volumen quadraginta foliorum vno die, & condi, & cudi; quod ego feriatus ab nullo alio negotio distinear; & denique quod debuerit illicò e prelo reuolasse Veronam. At quid si tuum hoc tibi remitto telum, qui à publicatione mei libri, vltra septem menses etiam otians in Villa, distulisti molitionem tui opusculi trium foliorum, emissi prid. Kal. Decemb. anni elapsi? Pueriles, & futilissimæ sunt huiusmodi obiurgationes.

Hinc

Hinc excurris ad comparationem satis lepidam, sed illepidè adaptatam; facis enim me similem Aiaci furenti, vt quemadmodum ipse, pro Viris, porcos impetijt, ac concidit; sic & ego ex amentia, & furore, putans impetere tuas sententias, quas nec me percepisse contendis, cum brutis opinionibus meis sim digladiatus. Ego minimè meas opiniones, quas imò propugnaui, adorsus sum, sicut nec Aiax idem in res suas irrupit, Iuuenale relatore. Pag. eadem.

Insanus quid enim Aiax Horat.
Fecit cum strauit ferro pecus? Abstinuit vim sum. 2.
Vxore, & agnato, mala multa precatus Atridis. Sat. 3.

Ego sanè in tuas obiectiones solum insilij, hasque contriui; num tu eas gregi porcorum comparare pergis? Tibi arbitrium. Quid si pro hac tua asymbola comparatione aliam ego similiorem reponam? Quid si te assimilauero Cynico Crati, qui à Stilpone altero Philosopho, sed honestiore, interrogatus super nonnullis thesibus, scis quo ore, quaque voce ei responderit? Ergo si dicerem de te, quod tu quoque ad meas propositiones, pro respõsionibus rationedictatis, vt plurimum fœda, obscenaq; verba effutis, non ne verius? Huiusmodi illa sunt, & tua: *Firmatas inguinibus res*; & iterum, cum me *Operculũ latrina* appellas. Ah, te non puduit Virũ talem tales obscenitates, & fœditates crepitare? Animaduertisses saltem, per hæc, tibi nomen Ibidis, quod tantò displicuit, confirmari, qui stercora tanta detrudis. Castig. prolego 2. pag. 26.

Ergo te dixi Ibim, de nomine imitatus Ouidium, sicut & ipse Callimacum, qui tali nomine ad bucIandos suos obtrectatores abusi sunt. Hos igitur, & ad rem, imitatus, imponi t? cum dicis á me *impropriè vsurpatum*. Sic & Pictorẽ afficis, quia Nilum Ægypti fluuium delineauit in Emblemate; hoc fecit consultò, quia Ibis auis est Ægyptia, & propria, Herodoto teste. Voluisses Athesim ad denotandam Veronam tuam? At pepercit insculptor prudens Nobilissimæ Ciuitati. pag. eadẽ.

Porrò quod liber meus *non nisi barbarum sonet, affectatũ reddat, ac ruditũ emittat, eo quia latinè nesciam*, simq; prorsus analphabetus, alterius sit iudicium. Amarem ruditus potius, quam latratus strepuisse; quia tali sonitu, nec in te tantá bilem excitasset. Si petulantiâ tecum certare institui, certè victus abscedo, tu nimium hac virtute, quam heroicam me existimare affingis, polles, & præcellis. Vicisti, tibi tuam *Strongylam*. Pag. 4.

gylam. De ſenſu, quo tu Elenchum vſurpaſti, non contendo; illum retuli, quem de tua miſantropia ſuſpicatus fueram; ſi oberraui, & nunc ignoſce.

Hinc pergis ad conuicium, nec ſine conuicijs, in quo multa inuoluis, vt te exoluas ab errore, quem in te deprehendi, vtpotè qui velis Chriſtianis licitum eſſe conuicium; vndè & pro tuo ſenſu aggeras nonnullas ex Euangelio ſen- Pag.4. tentias, imò e Chriſto conuicia in Scribas, in Phariſeos, in Hebræos alios vibrata. Ego ſecus & dixi, & confirmo non licere; nec mihi deficit ſuffragium ex doctrina Chriſti Præ- Matt.5. ceptoris; etenim ab eius ore audio pronunciari: *Qui dixerit Fratri ſuo fatue, reus erit gehennæ ignis, qui autem dixerit ra-* Pag.4. *cha, reus erit concilio*. An putas reum eſſe condemnationis æternæ, qui leuiora iſta conuitia dixerit in proximum ſuum, & dignum abſolutionis, & laudis, qui dixerit *blaſphemum, impudentem, temerarium*, & grauiores huiuſmodi contumelias? Porrò *intruſi Chriſtianos Scriptores*, & Chriſtum ipſum, quo aptè, & ſolidè detruderem erroneam opinionem tuam de licito Chriſticolis conuicio. At quęsò quid aliud conuiciũ ha- D.Tho betur, quam *iniuria dehoneſtationis alteri illata per verba*? Er- 2.2.q.22 gò tu iuris Doctor, & Aſtreæ Satelles non dubitabis decer- art.primo nere licitum eſſe quandoque iniurias alteri inferre? Nec ſecus factu, quam doctrinâ, inſtituit Chriſtus, Aſſertor, & Dominus noſter; nã cum Scribas, & cęteros vocauit Hypocritas, duces cęcorũ, ſtultos, &c. neminem ſignanter eſt conuiciatus in indiuiduo, quod non licet, nec debet, ſed in vniuerſo reprę hendit, quod licet, & debet ab eo, cui incumbit, ratione diſciplinę, alios corripere, vti audiuimus Sacros Declamatores, e ſuggeſtu.

Pag.5. Minimè *deſpexi, tanquam vulgarem*, illam Euripidis regulam, quam tu, & ego proprijs ipſius verbis retulimus, quia nunquam vulgarem eam dixi, vt mea legenti ſit patens. Dixi quidem te non eam ſeruaſſe erga me, qui tam immoderatè, & exaſperatè, neq; pro veritate, tot captioſa verba profudiſti.

Quem riſum illâ tua propria interectione, ſeù vt tu maluis *naturali tuo ſono Phui*, expreſſeris, nec ego expreſsi, nec Pag.5. vllum diſcreui; impingis igitur tu mihi cum dicis me tibi impegiſſe *effuſiſſimum, qualis Democriti*. Ad illud de aſteriſmo: iurares tu ex conſcientia me ibi voluiſſe fatalem neceſsitatem ſyderibus concedere, eo quia dixerim Annium aſtro ſub in-

felici

felici ad ſtudia litterarũ exortum? Ergo nõ tibi reddidit certiorem ſinceritatẽ meã quòd legeris in illa aucupatione: *Fuiſſeque ſydera conſcia, ſiuè pranuncia, vt minus impiè loquamur, fatalis infortunij, vt Paganorum Poetarum eſt ſenſus, & phraſis, quod erant perpeſſura Anniana ſcripta?*

Hic, intermiſſis, tanquam per inducias, obiectat iunculis, excurris totus furens in iniurias, repetendo quæ dixeras in primis ſcriptis, eademque confirmando, & alijs plurimis, hiſque aſperioribus inaugendo. Sit mihi, vellem, pro indutijs pax perpetua, nè vltrà tecum habeam diſceptare, qui nimium ferox, feraxque contumeliarum non ſinis literarios conflictus eſſe incruentos. Calumnioſis igitur dehoneſtamentis, quæ prouocant, irritantque ad inconceſſa, quibus me vituperare auiſti, nihil pro exoneratione reſpondebo, certus quia apud eos qui me nouerint, defendent mores, actuſque mei. Et ſim etiam vindictæ auidior, ſat vindicabunt, ſcio, ipſæ paginæ tuæ, quæ me inſimulant, eo prorſus modo, quo Diogenes ille Cynicorum mordaciſſimus ſe de impactis ſibi a quibuſdã petulantioribus iuuenibus contumelijs, & plagis vindicauit; nomina ſiquidẽ eorũ deſcripta circũferebat, talique pacto illis vices contumeliarum rependebat. Sic & ego, cum tu me plagis tantis tuæ linguæ, & pennæ contudiſti, pro pœna tua, & vindicta mea, nil aliud exigo, niſi vt pluribus ſcripta tua oſtendas, certuſte ſic vices contumeliarum reportaturum. Itaque nihil immorando circa conuicioſa verba, propero ad obiecta reliqua, quæ mox reſumis; & recurrit diſceptatio de libris Canonicis vtriuſque Inſtituti. Pag. 6. & 7.

Circa quam cauſam, quę certè non leuis cenſeri debet, cum agatur de ſacris, & Diuinis, duo orarem, ſi exorare detur; vnum à Lectore, ſcilicet vt tua, & mea ſcripa accuratè perpendere velit, quatenus percipere, & deindè iudicare poſſit quis noſtrũ veriora, & ſolidiora locutus. Alterum a te, ſi meruero, vt bona fide, ſicut decet ingenuum, referas ſententias, verbaque mea, quę ſcripſi. Etenim nec volui, nec dixi: *Libros canonicos antiquitate vileſcere*; huius ſi iſta vnũ reperiatur in ſcriptis meis ſubſcribo condemnationi, qua tu me, vti blaſphemum, & hæreticum igni addixiſti. Dixi: *Libris Sanctis obfuiſſe antiquitatem ne in Canone ſacrorum reciperentur*. Hocque auctoritate D. Auguſtini confirmaui, & cum eodem Pag. 8. Apolog. cap. 4. & aucup. 22

& alijs Sac. Doctoribus á me relatit, sententiam roboraui per casū libri Enoci, qui ob nimiam sui antiquitatem minimè receptus fuit in canone; verba ipsissima Augustini transcripsi, potui securiús incedere, firmiora statuere? Tu tamen hæc vidisse, & in meis libris legisse dissimulas, vt insimules, qua fide, qua conscientia?

Dixi itidem: *Libros sacros cum in canone, tam Hebræorum, quam Christianorum recipiebantur tunc esse nouitios*: Dixi *Canonem inchoasse à Moyse, eius libros fuisse primos Canonicos, deinceps dum alij, vel á Prophetis, vel ab alijs Diuinitate actis edebantur, per auctoritatem sacri Magistratus recipiebantur in Canone*. Idem dixi de libris Euangelici instituti, & quod isti dum edebantur ab Apostolis, & Euangelistis, auctoritate Petri, & Apostolici Senatus, recipiebantur in Canone. Dixi Canonem sacrorum librorum post
Pag. 7. Apostolos, & Euangelistas non fuisse adauctum, nec alterum Canonem institutum. Hæc dicta, hęc asserta mea, hęc luci exposita, hęc leguntur in vtroque idiomate, & tu, Domine, legisti, & relegisti, & post hæc tibi adhuc causa meæ pietatis traducendæ? Adhuc ratio requirendi in me tanquam a Censore fidei num sim permissurus asserere libros, quos modò habemus in canone, esse nullius auctoritatis, quia nimiæ antiquitatis? Nec ego, nec qui rectè sapiat, imò qui non penitus desipiat, id permittet vnquam. At id ego adstrui? prode. *Ais stare meum decretum*, vbi, vbi, profer. Ah te non puduit ita luculenter mentiri? Audi iterum, vt bene discas, quæ decreui: *Nimia antiquitas praiudicium infert certitudini librorum; vnde, & obfuit libris Sanctis, effecitque, vt excluderentur à Canone; vti contigit de libro Enoci*. Dixi effecit vt excluderentur, non dixi efficit, vel efficiet, vt excludantur. Explicui qui nam libri Sancti, quibus obfuit; à sacris scilicet Auctoribus compositi, & sancta continentes; non sacris, qui iam in canone consecrati; nam istis nec antiquitas sęculorū, nec æternitas ipsa, vt à solidissima sua veritate, & auctoritate excidant pręualebit. Domino obtestante *Cælum, & terra transibunt, verba autem mea non preteribunt*. Aliud ergò est dicere antiquitatem obfuisse libris Sanctis, vt non reciperētur in canone; aliud verò cum obesse libris sacris hoc est in canone receptis, vt de ipsorū auctoritate, veritate, certitudine nonnihil diminuatur. Primum verè, & verum est

est decretum meum; secundum est obiectum tuum, omni veritate, & probatione destitutum.

Deindè quod gānis de libro Enoci nihil nec contra me, nec ad propositum. Nam mea sententia, quæ & D. Augustini expressa, est quod liber talis nunquam fuerit Canonicus, hoc est nunquam receptus in Canone sacrorum, nec ab Hebræis, nec à Christifidelibus, etenim si aliquando, & verè fuisset Canonicus, semper, sic disponente Diuina prouidentia, fuisset Canonicus, nec vlla antiquitas vllum vnquam ei prę iudicium intulisset. Et Taddæus cum ex illo adducit sententias, non vti à Canonicis, sed vti ab apocryphis adducit; & licuit, quemadmodum, & Diuo Paulo adducere suis in sacris scriptis sententias Poetarum Paganorum Arati, Callimachi, & Epimenidis.

Non itaque me iniquè fecisse existimo, nec te per calumniam accusasse, quòd me iniuriè dixeris *blasphemum, impudentem, ac totum in Sanctis Patribus obrigentem*. Men blasphemum, qui non nisi verissima, & certissima de Diuinitate pręfatus? Impudentem, qui tam reuerenter, & castè de sacris voluminibus decreui? in Sanctis Patribus obringentem, qui eorum ore sum locutus? Ergo cum patentissimum sit, & tu met videas, me non nisi vera, catholica, & benè firmata docuisse; amoue, obsecro, per misericordiam Dei, cuius vterque, ob nostra errata, multum indigemus à me notas, quas inussisti blasphemiæ, & impudentiæ: remoue scandalum, quod intulisti, desine me proclamare blasphemum, & impudentem. Elench. 22.

Verum, inquis, nec te blasphemum, nec impudentem dixi, quamuis & blasphemiam, & impudentiam tib appinxerim; etenim non ab actibus, sed ab habitu tales efformantur denominationes. Erraui, parce, si mereor, qui Magister, & Scholasticus hos methaphisices, & scholæ apiculos, & distinctiunculas vel nesciui, vel non adhibui; putabam à blasphemia nonnisi denominari blasphemum, & ab impudentia nonnisi denominari impudentem; at debuissem blasphematorem, & impudentorem, si vocabula ista Tullius, & grammatica concederent. Verum quidquid idest, scio Hieronymum Sanctissimum ad actum ipsum attendisse, vbi scripsit. *In calumnia blasphemiæ tolerantia impietas est, non virtus*. Ignosce quapropter si, ne impius sim, impactā per te mihi blasphemiæ calumniā non tolero. Pag. 7. Apol. c. Ruf.

Assertis, & in me confirmatis his blasphemiæ, & impudentiæ criminibus, quæ tamen, si pudor & conscientia, reuellare tenebaris, alia, quæ non adeò sunt oculis legentium peruia, videris velle obtrudere, interrogationem offundendo, quæ negationem sapiat. Inquiris enim: *vbi Canonicorum librorum temeratorem, peruersorem Sacramentorum, sacrilegum Diuinorum, profanatorem Deitatis, iniquissimum Fidei censorem te dixi, aut indigetaui? Vbi te dementem, vbi stultum, vbi arcadicum pecus, vbi animal setulosum, vbi scriptorem stercoreum, vbi Magistrum exiguæ lectionis, vb ridiculosum?* Age prosequere reliqua encomia mea, munera tua, quid te tenes? habeo. Hæc, quæ hic, taces, alibi dicta, probe dicta, & confirmata hic voles. At vis quoque vt ista, quæ modò negas ostendam a te vel expressa, vel innuita? faciam tuo, quam meo maiore pudore. En indico singula: *Canonicorum librorum temeratorem*. Elencho 22. vbi dicis me immisisse inter Canonicos lutuosum, & ridiculum librum Enoci. Hoc non sapit tibi contemerare intemeratum illum sacratissimorum librorum canonem, vndè tota fides, ac disciplina Christiana pendet? *Peruersorem Sacramentorum*. Elenc. 64. vbi me accusas absoluisse, confessaria ex sacramento pœnitentę auctoritate, Annium licet falsarium. Et hoc non est peruertre sacramentum à Deo institutum, pro peccatis absoluendis quę abijciantur, non quę persistant? *Sacrilegum Diuinorum*. Elencho itidem 22., vbi insimulas me dixisse antiquitatem potuisse abolere Diuinorum librorum auctoritatem. Hoc non est lædere Diuinitatem, suffurando quodammodò ab eius testimonijs, quę in sacris voluminibus expanduntur, auctoritatem & fidem? *Profanatorem Deitatis*. Elen. 85., vbi me traducis quod nomen Dei in vsu profano asseruerim. *Iniquissimum fidei censorem* Elen. 87., vbi me ab Inquisitoratu Veronæ repelleres, ex eo quia cum *desipiens* doceam Catholicâ censurâ castiganda, verendum sit ne iniquè iudicem de libris, qui *mea iudicio vti censori fidei debentur*. Dementem, & stultum, vbique, & signanter Elenc. 36. vbi nos vocas *Stolidum pecus, cui neque caput, neque mens* *Arcadicum pecus*, Elen. 31., vbi dicis. *Arcadiam nobis nomi-* [illegible] *Animal setulosum*, Elenc. 34. vbi ludis circa no- [illegible]*ole*, inquiens te hoc putare *erratum typographi-* [illegible]*here dici sedole*, vt referatur ad porcum. Scripto-

rem ſtercoreum. Elenc. 89., vbi ſcurriliter meis ſcriptis aptas illud Catullianum: *Annales Voluſij cacata carta*. *Magiſtrum exiguæ lectionis* Elenc. 85. Ridiculoſum (hui me tam barbarè locutum, qua ſcutica, qua ferula caſtigandum?) Elenc. 23. & 80., vbi me ridiculum interpretem quorundam verſuum cachinnaris; Sed quid enumerem recenſendo omnes, quas in me effutiſti conuiciationes? Deficiet dies, cum tuorum ſcriptorum plures ſint cōtumeliæ, quam verba. Vbi enim non me derideas, ſubſannes, conuiciaris, & grauiſſimis quibuſcunque iniurijs afficias, non reperio. At quam de leuibus quam de nihilo? etiam quod me dixerim *mulis gradibus venerandum*, tanquam de maræodoxa, tua me ciconia pinxit. Pag 9.
At num laudare ſuos gradus, eſt ſua merita, ſuaſque virtutes collaudare? Quemadmodum, & qui ſuas veſtes, & ſuos annulos? Non ne tua ſententia eſt quod: *Gradus, & honores non ſunt ſigna virtutis*? Dixi venerandum me, ob gradus, quia iſti venerandi ſunt. Num tibi non venerandus gradus Religioſæ profeſſionis, cui proprius eſt titulus Reuerendi? Gradus Sacerdotij, quod *Regale* prædicat Apoſtolorum Princeps? Gradus Doctoratus, vndè & tu venerandus haberis? Gradus ſacri Magiſtratus, quem & Principes venerantur, & colunt? His omnibus, & alijs, Dei gratia, ego potior. Nec idcircò me tibi, qui valdè pluribus, & ſi vis his clarioribus, refulges, inuidendo præpoſui, vt de hoc quoque improperas. Et eſto inuidiam vel inuidentiam de nobis (de nobis inquam, nec de me ſolo vnquam dixi) tibi aliquando appoſuerim, ſcias me non communiore illo ſenſu nomina accepiſſe, quo ſignificatur dolor, ſiue diſplicientia de bono alterius, quo tu careas; nam ingenuè fateor in me non reperiri bona, vndè tu, qui meliora, & omnia poſſides, priuatus indoleas. Sed pro odio, maleque volentia, qua quis inuiſum ſibi proſequitur, vſurpaui. Et ſcis tu noſter Tullius, & noſter Quintilianus, hoc & in ſenſu dicta nomina à Latinis vſurpari licenter. Ergo deſinas tu iniuriari, non ego de *inuidentia nugari*. Elen. 12. 1. Petri cap. 1. Pag. 11.

Videris quoque deridere quod me dixerim, *clariſſimæ famæ poſſeſſorem*. Num debui me dicere infamem? hoc tu aues? Satisfacerem, ni me repelleret Pater ille Diuinus, qui commonefacit: *Fili, curam habe de bono nomine*. Vbi, quandò, per quos, ob quod crimen, fui vnquam decentis famæ habitu Eccleſ. cap. 41.

bita spoliatus? Quis me detrusit à possessione mea?

Transcurro Chiliadem aliam ignominiarum,& scommatũm, occulo indulgenti, si fortè detur, vt patientia mea frangatur durities cordis tui, quæ nec flecti potuit ratione; & missis, ac remissis omnibus contumelijs, quas tu è pectore, ah nimium bilis, & atræ, & flauæ rancore repleto, eructas in me, vsque ad pag. 13. ferè per totam. Sisto ad obie-
Pag. 13. ctiones. seù magis ad querelas tuas, quibus me traducis tanquã *calumniatorem, & conuiciatorem* tui, in meo aucupio; nam opto potius de offensis; si quas intuli, tibi satisfacere, quam de iniurijs, quas à te retuli, vindicari.

Pag. 13. Itaque vbi fremis quod in te meis scriptis *suspitionem magię* fecerim, hoc non video; cum nec tale nomen vnquam pro te expresserim. Etsi quid vmbræ ex vulgo appinxi, dilui
Aucup. 14 statim, teque, meo iudicio, innocentem absolui, cum dico, *Sed meliorem de te, quam vulgus volo habere opinionem*. Verumtamen si quid præiudicij probatæ religioni, ac pietati tuæ, non ex mea intentione, sed ex verborum meorum insinuatione, intulerim, nunc reuoco, & Apologiam recanto. Tu redde occulos.

Pag. 14. Non te culpaui quod *extrà Patriam non fueris vagatus*; sed cum sic, volueris de extraneis, ac remotis, vti de tibi domesticis, ac circumsistentibus iudicare. Et in id tendit,
Pag. eadem. quod te *innutritũ in syluis* dixerim. *De sorditudine* deceperint me domestici tui, vicini tui, qui detulere. Ægrè fers quod constituerim me *Magistrum tibi in doctrina fidei*; ast ego non
Pag. 15. indolui, quin imò gratum accepi vbi tu te prestitisti mihi magistrum, & *Doctorem barbarismi, in Elen.* 45. *& Dialectica in*
Pag. eadem. *Elen.* 77., irrisoriè insuper vtrobique vocans *Magistrum me*, tu cum talia docebas. Indicaueram in Aucup. 15., simplici nutu rationes illas, quas tu circa tabulam Lombardicam adduxeras contra Annium, esse Cluuerij, & hoc tibi reputas ad iniuriam, tanquam si te culpauerim plagiarij? Vndè
Pag. eadem. hoc?

De *Vetulonijs binis* stat cuique sua sententia. Dubio procul, & qui eas asserit habet in Plinianis textibus quo suam
Pag. 16. possit firmare opinionem; nam duas certè referre videtur; vnam propè mare, alteram inter Mediterranea Etruriæ Oppida recenset. Porrò aliud est esse non procul à mari, & aliud esse propius mari, per comparationem alterius loci,

qui

qui sit distans; certè primum indicat propinquitatem absolutam, secundum comparatiuam tantum; vndè iste potest dici longè a mari, non ille. De Pisis ergo non nisi comparatiuè ad Lucam statuit Plinius *esse propriores*; mari; at verò de Vetulouia Populoniensium absolutè dicit *non procul à mari*; quarè ista bene potest dici, & esse litorea. Certè Populonia litorea erat, sicut & nunc Plombinum, eius in loco constructum, vel eius in proximo litore, vti variæ sunt de his Geographorum sententiæ. Lib 3. cap. 5.

Si non contradictionem sapiat appellare Manethonem *scurrilem scriptorem*, & alibi *venerandi nominis*, nec ego scribo quæ scribo. Illud tu scribis, & asseris ex Iosepho in Elen. 50., & istud, è tua largitate in sequenti. Pag. 17.

Tibi porro *falsarij notam* inussi quod affinxeris Metastheni Anniano de Dario Medo, quæ ipse non habet; & credo me hoc tibi minimè falsò imposuisse, & nunc præcipuè de mea hac veritate sum factus certior; Nam ad indagandam plenius rem, volui, & reuolui omnes Auctores, & libros Annij, quos tu commenta Anniana mauis appellare, & apud neminem reperi scriptum quod *Darius Medus moriens reliquerit regnum Cyro*, quod quidem, quamuis sit verissimum, non tamen ab Annianis Auctoribus habetur, sed potius á sacris biblijs. Attamen fateor me in tuæ falsitatis redargutione oberrasse; quia dum relationem talem remoui á Metasthene, qui solus de Annianis Auctoribus scripserat de Regibus istis Persicis; & cum in eo non reperissem, mente reuoluens quod & Philo Anaianus nescio quid attigerat de ijsdem Regibus, elegi ex benignitate, nec ex mala fide, ipsi potius errorem asserere, quam tibi omnimodam falsitatem. At modo error meus non eleuat, aggrauat imò tuam eandem falsitatem, quia omne fulcrum ei subtrahit de *Commentis Annianis*. En pete modo: *num oculus mihi salliat*; cum tam firmo obtutu inspexerim erratum hoc tuum, alioquin patentissimum. Pag. eadem. Elenc. 17. Eletu. 57. Pag. 17.

Absque nota siuissem excurrere erratum verè excusabile in referendis Auctoribus vno pro alio, si & tu hoc saltem mihi condonasses, qui me Elenc 81. notasti quod pro Iosepho Scaligero induxerim Iulium Cęsarem Patrem, & Elencho 76. quod citauerim caput 8. Iosephi Hebræi, pro 4., quamuis emendauerim illud in Indice erratorum, & istud non esset erratum.

Non

Non corripui quòd dixeris à Dario fuisse relictum Cyro Regnum, vel Regna, quia non dixisti; quinimò negasti, & in hoc toto Cœlo oberrasti,& Sacræ Danielis historiæ de Regibus istis contradixisti,vbi clarissimè legitur Cyrum Persam Dario Medo successisse in tota Monarchia. Sed absurdius peccasti in adducta per te ratione, pro tali tua negatione, nempè negasti: *Darium Medum morientem Persarum Regnum Cyro reliquisse; Cum anteà:* en tua ratio: *Cyrum, vt ei succederet, interemerit*. Hoc inquam falsissimum est, & absurdissimum in historia de Regibus præfatis; cum aduersetur, & profanis, & Diuinis Scriptoribus. Quæso te lege sua, & miraberis tu ipse de tua halucinatione in Elenchis, & de tua inconstantia in Satyra; nam in illis habes pro commento falsissimo asserere *Darium morientem Regnum reliquisse Cyro*, & pro asserto certissimo *eumdem Darium occidisse Cyrum, vt ei succederet in Regno*; & in ista, vt salues vtcunque Darium concessisse de suo Regno Cyro, excogitasti nescio quid de *Susiana, auulsa a Perside*, & hanc á Dario concessam Cyro. Ergò Darius reliquit Cyro Successori suo, & non Cyrus Dario interfectori suo; cuius oppositum astrueras in Elencho.

Clenc. 57. — Pag. eadem.

Nec erat, vt tu modò; ad offundendam oculis legentium caliginem, ne tuos lapsus tam patentes perspiciant, quos satius esset emendare, quam defendere; contendis, controuersia de modo regnandi, num scilicet vnà, vel successim regnarint Darius, & Cyrus; nam de ista, nec verbum in tuis Elenchis, siuè commentis, sed totam litem moueras de successione, quam tu prorsus subuertebas. Lege, lege inquam tua scripta, & vel parce conuicijs, vel *parcius ista Viris*.

Pag. 18 — Ecl. 3.

Deindè cum ingeris *nullam obtendi obscuritatem de Dario isto, & omnia fuisse elucidata à doctissimo viro* Iosepho Scaligero, ab ipsoque euidentissimè demonstratum Darium istum non alium extitisse, quam Nabonidum, Principem Coniuratorum in Balthasarem, postquem & regnasse in Chaldea, donec expugnatus a Cyro Persa, ablegatus fuerit à Regno; & concludis omnia huic sententiæ obstantia fuisse diluta *à tanto Auctore*. Ego ad hæc instans: Quis diluit, aut diluet obiectionem meam, quam intuli, hoc in loco, ex sacris literis, quæ tradunt de Dario isto, quod Regnum suum,

Pag. eadem.

suum, & subditas gentes gubernabat legibus Medorum, & Persarum? Legatur Danielis caput sextum. Ergò Rex Chaldeus, qui non imperabat Medis, nec Persis, cui Medi, & Persæ hostes erant infensissimi, a quibus inuasus, & obsessus, & qui tandem a Rege Persa, hic est Cyrus, fuit expugnatus, deiectus a Throno, Regnoque priuatus; regebat adhuc Chaldeos subditos suos, institutis Medorum, & Persarum, sibi, suæque genti inimicorum? & tanto vel rigore, vel reuerentia, vt secundum ea coactus fuerit à Senatu Satraparum suorum agere in Caput Danielis, sibi acceptissimi? Credat alius.

Nusquam dixi *haberi ex Sacris libris* Darium, permissu Cyri, solum gubernasse Regna Chaldaicum, Medicum, & reliqua. Asserui hoc opinione ex coniecturis, quas exaraui in meis chartis. Et legisti, & insimulasti? Pag. 19.

Non ego Crispinus, infamis scilicet, & *Monstrum nulla virtute redemptum* à vitijs, qualis à Iuuenale vituperatur; quemadmodum nec tu, quamuis ego ex feruentis indignationis impetu, preueniens te, sub eius coloribus traduxerim; at nunc, meliore impulsu, facti pœnitet, & reuoco. Saty 4.

Vndè nefas *expiscari, & requirere etiam à pijs, & religiosis Scriptoribus historias profanas*, non video. Nunquid, & ex istorum Choro non prodiere, qui de rebus profanis probè scripsere? Ergò quid peccaui in te, si optaui, vt & cum Vossio hæretico istos, quoque legeres, & audires? Pag. 19.

At qua æquitate me de temeritate, & iniquitate accusas, quod te non excusauerim de errore, ex inaduertentia, & celeritate calami, illapso in tuo Elenco 67. circa terminum historiæ Berosianæ; qui me non excusasti, sed condemnasti, de permutatione vnius nominis, quod emendaueram, & de citatione vnius capituli, quæ non erat errata? Pag. 19.

Non placuit, & inuexi in excessiuam tuam laudationem Aristotelis, cum appellasti omniscium Magistrum; quoniam errores multos tenuit, & docuit ille Magister, nedum contra fidem, factam *ex auditu per verbum Christi*, verum & contra naturalem, & moralem philosophiam, vti de prouidentia Deo detruncata, de licito mendacio, ac de alijs accusatur à nostris Doctoribus, & aduersantur etiam alij Philosophi gentilitatis. Et decet Christianum temperanter Ethnicos laudare Philosophos, præcipuè de doctri- Pag. 19. Roman. cap. 10.

nis, ne pietati sinceræ Religionis scandalum inferatur; Etenim qui eos, vt Doctores, & Magistros nimium extollere, & laudationibus commendare affectant, videntur quodammodo falsis, & erroneis eorum doctrinis assentire. *Laudarunt cum excessu Apuleius, & Amonius*, at Ethnici & ipsi erant. Quęso, hos tu christianus, catholicus, pius ne imiteris.

Pag. 20. Id quod protuli de annis lunaribus, nempè quod fuerint quondam menstrui apud Ægyptios, accepi, vt dixi, a Marsilio Ficino, & à Ioanne Lalamantio, quorum & loca citaui; addidique de Ficino quod opinionem istam referebat in Eudoxium Gnidium; Lalamantius verò in Plin., Plutar. Soli; D. Aug., & velis nolis, in Xenoph. Anni. Verba Lalamantij sunt talia: *Scio Plutarcum scribere Ægyptios vnico tantum mense annum composuisse, & deindè quatuor*. Ergò si calculo tuo *stulta est hæc sapientia*, ego stultus cum his omnibus, & cum alijs pluribus, qui istis consentiunt.

De ratio. Anni Ægyp.

Pag. eadē. Si sententia, & verba Ciceronis: Scilicet: *Debere nos vti sermone, qui notus sit nobis, ne vt quidam verba græca inculcantes iure optimo rideamus*, sunt vera, & fideliter a me relata, loco etiam indicato; cur me lapidas de petulantia, quod ipsis innixus, non approbaui tuum frequens in tuis scriptis latinis, & cum latino, græcizare?

Pag. 20. Attendatur obsecro, qua intentione, qua ratione, & qua cautela astruerim in Apologia, & in Aucupio 83. existẽtiam reliquiarum Arcæ Noemicæ. Intendebam confirmare assertum Berosi Anniani, id attestantis, & pro eo addidi cõtestatum Tudulensis; nam nondum mihi occurrerat videre D. Hieronymũ, huic opinioni fauentẽ, quo stãte inferebã posse credi adhuc tẽporibus istis permanere; etenim si durauit vsque ad annum Christi 1173., circa quem viuebat ipse Tudulensis; cur & non vsque ad præsens non rebar incredibile. Sic enim discurrebam: Si reliquiæ illæ seruatæ sunt per tria annorum millia, & ampliùs, iuxta defluxum tẽporis ab Noemo ædificatore, ad Tudelensem, qui scribebat circa notatum salutis annum 1173., quid vetat ne credatur posse quoque perseuerasse per alios annos, ad numerum 504. vsque ad ętatem hanc nostram? Nam non sine miraculo esset habenda tam diuturna duratio, cui nec tempus, nec æternitas officere potest. Talis itaque mea gradatio, nec video cur, vt

tu

tu vis, exibilanda: Procedebam à Beroſo, ad Ioſephum, à Ioſepho ad Tudelenſem, & ab iſto ad noſtra tempora, & hic proceſſus non eſt aptè gradarius? At quanta circumſpectione, & cautela? Dicebam: *forſan tempore* Ioſephi, dicebam: *Si fides præſtanda Tudelenſi*, & tandem inferebam, non quod incunctanter eſſet credendum, *Sed quod poſſet credi*.

Cum deindè inquiris inſultanter vndè coniecerim te ducere argumenta a Nicolao Damaſceno ad Beroſum; habe: Pag. 21.
Scripſeram referre Beroſum Annianum extare ſuis temporibus reliquias arcæ; tu qui ibi, & vbique pro tuo inſtituto nitebaris Beroſum iſtum de gradu deijcere, cum oppoſueris auctoritatem Nicolai, tanquam dicentis non extitiſſe ſuo tempore reliquias arcæ, putaui: eccur non, ſi negotium totum erat ad debellandum Annium in Beroſo? te voluiſſe per iſtam eleuare aſſertionem Beroſi, pro qua tibi reſiſtebam; quarè dicebam quod non rectè inferebas, quoniam Nicolaus fuit Beroſo poſterior. At modò cum te declarando dicas adduxiſſe Nicolaum non aduerſus Beroſum, ſed Teudelenſem, tibi concedo, meque remitto.

At cui me remitto? nempè inclementiæ tuæ, vt horribilioribus ſcorpionibus me excarnifices? Nam *ſceleratum* me Pag. 21.
facis, & dicis non aliud ob ſcelus, quam quia dixi te falsò retuliſſe, quod *Gyraldus pendebat, vt mutaret Plinianum* Elencho
textum in Vertumnam, nec Volturnam in mentem venit. Sed 95.
quæſo, mi Domine, conquieſcat tantiſper furor tuus, vt ſinat te videre limpidius verba ipſiſſima Gyraldi, quæ retuli in Aucup. 95., en iterum ea ſub tuis oculis ſubmitto: *Fuit*, inquit, *& Voltumna, vel Volturna, celebris Hetruſcorum Dea, ad cuius Phanum frequens Hetruſcorum Concilium habebatur, cuius non ſemel meminit Titus Liuius in prima Decade, &c.* Nonne tibi hæc ſuperabundant, vt intelligas veniſſe in mentem Lilij Gyraldi nomen Volturnæ, & non Vertumnæ, vt tu contendis; cum videas expreſſiſſe illud, & ſubticuiſſe iſtud?

Adauges deindè mihi encomia, ſic eundo de virtute in virtutem, vt tamen per hos gradus non aſcendas ad videndum *Deum Deorum in Sion*; & appellas etiam *fraudu-* Pag. 21.
lentum, qui mutulaîc verba Vuielmi Godelucij, vt celem malitiam meam, retulerim. Examinemus, & hoc crimen: Mens mea tunc ſolùm erat oſtendere textum Titi Liuij, quo

nominat Voltumnam, variari in diuersis exemplaribus; & ad hoc ostendendum inducebam nonnullorum verba, qui adnotationes in Liuium ediderant, inter quos tertio loco fuerunt Vuielmi præfati, & sunt ista: *Videndum tamen, an potius Vertuna legendum sit*. Hic constiti, nec vlterius processi, quoniam hæc sufficiebant pro mea intentione, hinc enim confirmabatur variatio talis nominis in Liuianis codicibus, quam ego venabar. Ergò quæ fraus, quæ malitia, quod scelus?

Pag. 22. Et nihilominus hic rursum attollis cataractas torrenti maledicentiarum, & conuiciorum tuorum, nec vllum est, quod in me non effuderis, tanta rabie, & furore, vt addubitem, an tunc fueris tuæ mentis compos. Et præcipuè fureris, quod contempserim, & proscinderim famosos Scriptores illos, qui Annium propudiosum fecere. Heù *Medice cura te ipsum*. Tu ne modestus, tu benignus, qui cauterio vrentis calami tui, vna impressione in facies plusquam 40. Scriptorum, quos ego nominatim pro Annio induxeram *literionum* notam inussisti; ego autem temerarius, & sceleratus, qui tres, quatuor calumniatores Annij redarguerim? Num debueram eos laudare, & commendationibus perdiuiuis extollere, vt sic eorum de Annij condemnatione Sententiæ adderem pondus? At si vis de hoc quoque veritatem sinceris oculis videre, & candide fateri, quæ nihilominus in meis scriptis est patentissima, eos omnes laudaui, præter vnum, pro quibus laudandi erant, & tantummodò ac pressè, pro iniurijs Annio illatis, improperaui.

Et mirum quomodò tu semper per trabes tuas inspicias festucas meas; ais enim me ad lectionem Elenchi tui totum exarsisse in rabiem, te verò, affectu diuerso, ad lectionem mei Aucupij *solutum in risum*. Obsecro, vndè collegisti me

Pag. 23. furijs actum ex libro tuo? Nimirum quia furibundè prorupi in conuiciationes aduersus te Auctorem? Et tu? Ah quæso dic credibilia, & si non credenda? Tu dicis Domesticos tuos te, cum legebas, ridentem vidisse, tanquam si aliquis morio, vel scurra dicterijs, & gesticulationibus petulantioribus te oblectasset. At puto si ijdem Domestici tui Sacramento ad veritatem addicerentur, te potius mugientem, vt sauciatum taurum, audiuisse confiterentur. Quemadmodum, & qui modò legerit frementem, ac furentem

hanc

hanc tuam inuectiuam, non dubium quin dicat: *Ecce hic homo concepit dolorem, & peperit iniquitatem* Siq; ex affectibus huiusmodi pensanda esset prꝯconceptꝯ ab vtroq; iracundiæ magnitudo; profectò tuam excessisse meam magno pondere comperiet; etenim si tua, ac mea conuicia, ad quæ nos præcipitarunt mutua rescripta nostra, appenderentur in lancibus, videres tuam chelym, ad centrum, si via daretur, profundari, mea ad Polum eleuata. Strepunt adhuc frendorem, & sibilum eiaculatę voces tuę, & literę tuę fulminant vndequaque horrorem, vibrantque furorem.

Merè negatiuum asseris hanc tuam propositionem: *Dico Osirim nunquam fuisse in Italia?* At dicito eius opposita talis: Pag. 23.
Non dico Osirim nunquam fuisse in Italia: cuiusmodi erit qualitatis? Nunquam credo auditum, quoniam imperceptibile est, quod verbum *Dico*, positum in propositione, nulla negationis nota affectum, constituat propositionem affirmantem. Et vis percipere appertius eius affirmationem? Habe primò ab eius exponente tali: *Ego sum dicens Osirim nunquam*, &c. Habe secundò ex eius Æquiualente tali: *Ego assero, seu ego affirmo Osirim nunquam, &c.* Habe tertiò, vt supra habuisti, ex eius opposita tali: *Ego non dico Osirim* Eléc. 77.
nunquam, &c. harum regulas, & leges adhuc ignoras? Et tu tamen ille es, qui quondam iactabas magnificè te velle me harum ignorantem docere logicam, & huius ob disciplinam mittebas *ad omniscium tuum Magistrum Aristotelem?* Ego pro addiscendis istis mitterem te ad tyrunculos ipsos logicæ, quos Summolistas appellamus, qui te docerent talem propositionem esse de genere earum, quas dicunt mixtæ qualitatis. Non igitur merè negatiua. Verum timeo tuam rabiem furentius in me exasperare; quare me Harpocrati consigno.

Non quidem ob id, quia me deterruisti, & confudisti, ac intra fauces spiritum conclusisti, ne valeam amodò loqui. Ne glorieris, nec puta mihi, quamuis à te præuento, & vti à lupo præuiso, vocem ademisse. Possum adhuc loqui, & si libuerit, possum & conuicijs conuicia repellere. Et si non dixero tam facundè, & luculenter, vt tu, sufficeret maledicenti, etiamsi & fœdè, & lutulenter garrire. An nescis quod volentibus rixari, nunquam deest copia contumeliarum, & quam promptum sit cuiquam effundere de pectore

sauciato

sauciato pus, & marcorem, cumque rabie incensa corda tumescunt, dummodò exhaletur, modum non requiri? Os rabidum vndequaque mordet. Verum & si, pro indulgentia mea, non faciam, attamen nec tentari, per irritamenta; patientiam meam diutius vellem.

Pag. 23. At cum video, quæ mihi affinxeris de libris, ac fragmentis Catonianis, Simpronianis, & Fabianis, cogor iterum tuam fidem: sed qualem ab Ingenuo: exquirere, quam expecto frustrá, in adducendis assertis meis. Si vnquam scripsi, si vnquam excogitaui, vel & somniaui scribere, vel dicere, quod fragmenta ab Annio, vel à Guliemo collecta sint eadem, quę in Tullio, in Solino, in Liuio habentur. Ah, mi Lector amantissime, tu mihi adsis pro veritate, tu perquire, tu lege, tu iudica, tu absolue, ne permitte me insontem de tantis ineptijs, ac propè incredibilibus insimulari. Hic repeterem quæ scripsi, ni nimium expressa, & declarata legerentur in Aucup. meis.

Pag. 24. In sacris Annij dignitatibus etiam sacerdotalem includebam, hinc verè & piè confisus sum eum dicere *propiorem Diuinitati*. Nunquid hoc non verum? Hinc inferebam: *iniuriam irrogari ipsi probabilia attestanti*, si non credatur; quando de falsitate, vel improbabilitate aliundè non constet; & hoc quoque non verum? Quantis tu, Domine Doctor, vtriusque iuris textibus, & Iurisperitorum sententijs, axioma istud fulcires? Modò videamus quid testabatur Annius, si probabile: inquiebat *se librum Berosianum dono accepisse ab vno Patre Armeno*. Nunc dicito, mi Sparauerie, quæ improbabilitas huic obstet facto, vt attestanti Viro, dignitatibus pluribus insignito, non credatur? Ergò si neque hic malè locutus sum, cur me cędis?

Pag. eadé. Me quoque iniuriè vellicas pro meis assertis in Aucup. 87. eaque mala fide, & traducis, & interpretaris, imponens diuersissima. Hìc pro veritate, & defensione mea nil aliud expeto, nisi vt perspicax, & sincerus Lector videat; nam certus sum statim percepturus quantum puluerem tentaueris in oculos legentium inijcere, ne videant quæ non velles videri, ne & tu confusione offundaris.

Pag. eadé. Circà Aucup. 88. præteris elephantum, & culicem insequeris; quæ in ipso grauissima sunt ad tui Elenchi confutationem dissimulas, at quæ leuissima, & quasi incidenter, &

ad cumulum potius, quam ad indigentiam elapsa, herculea claua inuadis, vt si quis ad confringendum ouum securim arripiat. Iam dixeram superius cum versus illos ex Prudentiano hymno recantaui, quo staret comparatio cœlestis gloriæ ad Chaos; nempè in antiquitate; & non in splendore, vel claritate, & cęteris proprietatibus, quæ non habentur in Chao. Ergò cum deinde consequenter ad ista intuli, quod Ecclesia hymnum istum inter sua solemnia recipiens, comparauerit Regnum perennis Gloriæ, quod est pura lux, Chao; non erat intelligenda comparatio ista, nisi secundum pręmissam declarationem, & distinctionem, nempè quo ad antiquitatem. Ex quo igitur benignitatis tuæ fonte deduxisti, quod non distinxerim *inter esse antiquiùs Chao, & idem esse cum Chao?*

Sed tædet me diutiùs minusculis istis apinis, tricisque tam anxiè insistere, & miror quod te non puduerit tanto æstu easdem producere. Defessus sum, tędioque nimio affectus; nunc respirem, iam satis, nunc perorandum; *sat prata bibere,* claudendi sunt riuuli; defensionis mihi vt volui, satisfactionis tibi vt valui sat prestiti. Cæterum causam reliquam, imò totam, & Polo, & Foro remitto, ibi iudicaturus Deus, qua mente, quibusque affectibus scripserimus vterque. Hic iudicent sapientes, & prudentes, & probi quæ scripsimus, qua veritate, qua firmitate, qua sinceritate processerimus. Dicant si quæ de *excerptis Berosianis* dixi *cap. 27. & 28. & mox recantaui cap. 29. & 30. sint insaniæ, & ineptiæ meæ, quas nixus sim tibi appingere?* si vsquam scripserim, & voluerim *Debere virum bonum assentiri ineptissima scribenti?* Si cum fol. 168., hoc est in aucup. 52. asseruerim opinione mea, collectionem fragmentorum Annianorum fuisse deriuatam ex alijs Auctoribus Græcis, siuè Latinis, *scripserim inuerisimilia?* Si ijsdem fol. & Aucup. dixerim esse nuspiam libros vel Auctores, e quibus Scaliger collegit fragmenta Berosi? Si non verum quod *indecentibus probris, & iniurijs*, potius, quam decentibus argumentis processeris in me oppugnandum in Elenchis tuis? Si credibile habeatur te *cum risu, & voluptate ad fallendum, siuè redimendum intertrimentum*, & tempus, legisse aucupationes meas, *absurditatibus plenas, ingenij vacuas, dicacitate refertas, & acumine inanes?* Si verendum fuerit ne cũ tu, in tuo rure, mea recitabas, ibi, *inter palu-*

Pag. 24.
Pag. eadẽ.
Pag. 25.
Pag. eadẽ.

*stres iunco's, sicut inter phrygias canas, & vano susurro, diuul-
garetur me superasse Midam, non auribus, sed ingenio?* Et
tandem *Si leræ sunt, & gerræ* quæ digessi in Aucupio meo?

Sed *finiendum est* inquis. Respiro. *Si quid restat vt satis*
Pag 25. *mihi fiat*, liberalissimè offers ditissimum librum *tuarum ca-
stigationum, e quo sitim vberrimè expleam*. Non egeo; nolo
diutius nec castigari, nec castigare. *Respuis me a concerta-
tione tamquam imparem tibi*. Cedo, & recedo. *Satis*, inquis,
nucibus lusi. At ego saxis te pugnasse sensi. Si non lusisti
morsibus, vt canis. *Iam tempus est* · mones: *melioribus ser-
uire*. Parebo. Iam tecum nō vltra disceptare constitui; nescis
enim moderari iracundiæ tuæ, quominus de ciuili, vt dici-
tur, in criminale irruas.

Pag. 25. Post hæc, vt finis prouocationis principio sit consectaneus
Horat. redis ad promptissima scommata tua: *Ad mores natura re-
Sat. 13. currit fixa, & mutari nescia*: Et pro coronide panegirica,
Pag. 26. mearumque laudationum compendio, eleganti ironia *stron-
gylam* meo *laureato* capiti contexis encomiorum, quæ non
mereor. Tibi dona tua, qui omnibus Naturæ, & Fortunæ
donis præceteris ditissimus admiraris, & qui

Iuoen. *Exempla nouorum*
Sat. 7. *Fatorum transis fœlix, & pulcher, & acer*
Fœlix, & sapiens, & nobilis, & generosus;
Appositam nigræ Lunam subtexis alutor.

(quo de Senatoria stirpe germen fastuosum etiam de calceis
dignoscaris)


Fœlix Orator quoque maximus, & iaculato.

Iaculorum scilicet quę insanabili lita veneno, quos sauciant
desperatè occidant.

Dis grates. Ad vltimam tandem periodum impuduratæ
satyræ pertingimus, quæ & sit laudationum mearum supre-
Pag. 26. ma; non enim vlterius posse progredi, in dedecore, & tur-
in fine. pitudine, existimo. *Esto* inquis *per me potius latrinę opercu-
lum*. Heù claude claude, iam operculo tali: dignum est:
Orationem tuam. Nihil aptius. Suffimenta nimium fœtidè
olentia exhalant; quę qualibus retrimentis sit repletum pe-
ctus, vndè eructantur, satis ostendunt. Sis sanus, & sapiens.

Prid. Non. Martij MDCLXXVII.

25


CB